





ANNVÆ LITTERÆ SOCIETATIS IESV.

Anni M. DC. III.

Ad Patres & Fratres eiusdem Societatis.




DVACI,
Ex Officina Viduæ LAVRENTII KELLAMI,
& Thomæ filij eius Typogr. Iurati,
sub signo Agni Paschalis.

M. DC. XVIII.

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS
PROVINCIÆ GALLO-BELGICÆ.

Ego IOANNES HERENNIVS *Societatis* IESV *per Gallo-Belgium Præpositus Prouincialis, permisi Viduæ Laurentij Kellami Typographi Duacensis, & Thomæ eius filio, vt Litteras annuas dictæ Societatis, annorum* 1603. 1604. 1605. *typis mandare possit. Datum Insulis* 6. *Aprilis* 1618.

IOANNES HERENNIVS



ANNVÆ LITTERÆ SOCIETATIS IESV, ANNI M. DC. III.

PROVINCIA SICVLA,



VMERAVIT hoc anno Prouincia Sicula Socios viginti ſeptem ſupra quingentos, in duodeuiginti domicilia diſtributos. Domus Profeſſa vna. Collegia tredecim. Domus Probationis duę, Totidem Reſidentiæ. In Panormitana domo Profeſſa, degunt è noſtris duo & quinquaginta. In Collegio nonaginta quatuor. In Tyrocinio quadraginta quinque. In Collegio Meſſanenſi quatuor & nonaginta. In domo Probationis quadraginta. In Catanenſi Collegio vnus & viginti. In Syracuſano vno plus. In Caltaieronenſi viceni. In Biuonenſi totidem. In Monteregali ſeptemdecim. In Menenino vndeuiginti. In Caltaninettenſi ſexdecim. In Drepanenſi decem & nouem. In Lilybetano quindecim. In Melitenſi vndecim; totidem in Rheginenſi. In Chia Reſidentia ſex. In Agrigentina quinque. E vita exceſſere decem; viginti ad Societatem acceſſere.

PANORMITANA PRO-FESSORVM DOMVS.

A Vincvlis corrogata pecunia, eruti ſunt ferme centum quinquaginta, in quæ propter æs alienum coniecti fuerant; ad concordiam plurimi reuocati, qui etiam conſanguinei, vel coniuges, acerbis tamen inter ſe odiis diſſidebant. Senatus etiam cum Equeſtri ordine; Archiepiſcopus cum Inquiſitoribus; Prætor cum vno ex Senatoribus noſtrorum opera conciliati ſunt.

Conciones quadrageſimales ingenti omnium ordinum applauſu atque concurſu habitæ, quibus ſexta quaque feria ſermo de Chriſti Domini cruciatibus eſt additus; quem Pſalmus quinquageſimus muſicis decantatus numeris excipiebat; quæ omnia tantam ad permouendos hominum animos vim habuere, vt quàm plurimas à turpi quæſtu mulierculas auocarint; quarum alias in matrimonium, alias in aliquo alio honeſtiore loco piorum hominum eleemoſynis adiuti collocauimus; eademque opera virginibus nonnullis, quæ in magno integritatis periculo verſabantur, ſubuentum eſt.

Lascivvs adoleſcens, qui puerum honeſtum ad infame ſcelus aſſidue ſollicitabat, à noſtro ſacerdote monitus, niſi ab incepto deſiſteret, Deo ſe honeſtatis vindici pœnas luiturum, irriſit hominem; ſed breui, ignito æreæ fiſtulæ globo ictus, ſenſit quanto fuiſſet ſatius bene monenti ſacerdoti obtemperare.

Egregia etiam hoc anno fuit Panormitanorum

norum

norum in nos liberalitas, tum eorum qui integra valetudine, tum eorum qui iam iam morituri eleemosynis, ac legatis nostram inopiam sublevarunt. Cũ enim fures quidam scalis nisi, per infimas templi nostri fenestras ingressi, eò peruenerint impietatis, vt sacras pixides argenteas per summum nefas furari non reformidauerint, & sacrosanctas Eucharistiæ particulas, profanis manibus eductas, in ipsa altaris planitie coaceruare: commouit ea res hominum omnium animos, & tantam quisque pecuniæ vim ad illarum damnum instaurandum contulit, vt satis superque fuerit ad multa alia sacrorum altarium ornamenta. Duobus item hoc anno sacellis extructis auctum amplificatumque est templum nostrum.

Don Laurentius Figueróa Feriæ Dux, & qui pro rege prouinciam moderatur, auita in nos animi propensione constanter est vsus; sæpe in cænaculo nostro, vna cum filio vnico à nobis prandio exceptus est; frugali illo quidem, sed quo, propter singularem erga nostros homines beneuolentiam, mirifice se delectari asseueraret. Is rem diu frustra à nobis tentatã ad optatum exitum perduxit; nouam licet viam, quæ à nostri templi principe ianua ad Toletanam viam recta duceret, non modo aperiri permisit; sed ipse quoque cum Senatu, atque viris primoribus, solemni ceremonia, argẽnteoque malleo plures ictus in obstantem viæ parietem ingeminauit; idque congregationis prouincialis primo die, felicibus nimirum auspiciis fieri cœptum est.

COLLEGIVM PANORMITANVM.

INOPINATA hoc anno ſeſe nobis obtulit exercendæ patientiæ opportunitas; cum enim maxima ciues vrgerentur frumenti penuria, inſanum, vti in pleriſque aſſolet, vulgus ſocietatis viros eius calamitatis auctores, nulla prorſus adducta ratione paſſim clamitare, ſibilis, conuiciis, ac maledictis excipere; verbera etiam poſt verba minitari; ſed ſilentio, tolerantia, atque diſſimulatione noſtrorum ita fracti ſunt, vt etiam puderet eos tam leuiter, tam indignum de nobis facinus eſſe ſuſpicatos, breuique ad priſtinam in nos beneuolentiam redierint.

ERVDITI ſunt Chriſtiana doctrina non modo pueri, ſed paſſim per omnia ciuitatis compita rudis plebecula, Æthiopes, cæteraque id genus viliſſima mancipia. Item ad eos qui in vinculis detinentur pij ſermones habiti; qua re factum, vt non pauci ad meliorem frugem redierint, & quæ per plures annos conticuerant ſcelera, pœnitentiæ ſacramento expiauerint: in quibus quidam fuit, qui inimico, à quo fœdum vulnus acceperat, iniuriam penitus condonauerit. Alter vero ab impudicitiæ cæno, in quo diu volens iacuerat, emerſerit. Hæc externa ſunt, illa vero domeſtica: frequentior ſolito ſcholaſticorum externorum numerus, feruor in litterariis exercitiis, modeſtiæ cæterarúmque, quæ eam decent ætatem, virtutum exempla. Ex parthenio ſodalitio tres noſtrum, alij alios ſacros ordines ſunt ſecuti.

OBIIT

Obiit hoc ipso anno P. Franciscus Chiaranda spiritualis coadiutor, Caltagierone nobili loco natus; quadragesimum & quartum annum egerat, cùm ingressus est Societatem, in eaque vixit tres & viginti, vir miro animi candore atque demissionis insignis, omnibus carus, & qui extrema etiam senecta ita assidue puerorum exomologeses excipiebat, quasi integris esset viribus. Huic comes additus Io: Baptista Belmisserius, Appiæ in Gallia cisalpina natus, indole & ingenij perspicuitate clarus adolescens.

COLLEGIVM
MESSANENSE.

Qvæ ad externos scholasticos pertinent, ferme sunt cum collegio Panormitano communia; quod etiam dictum sit de reliquis collegiis, de quibus deinceps. Illud peculiare est quinos in Societatem admissos, totidem in Capuccinorum familiam; Fratres germanos duos ab alterius cæde, in quam conspirauerant, absterritos. Illud præterea litterarum monumentis dignissimum accidit, quod mox apponam.

Pecvniæ quidam sibi creditæ in alea ludendo iacturam fecerat. Quamobrem ad id miser desperationis præceps ruit, vt séque animámque suam diabolo deuouerit: vsus est iure suo hostis acerrimus: hominem solum de nocte dormientem aggreditur, atque ita gulam manibus suffocat, vt alter oculus resilierit, & ad implorandum coniugis, quæ in proximo dormiebat cubiculo, auxilium, vocis omnem sonum intercluserit; pu-

gnis tamen parietem tundit: quibus excitata aduolat, virumque semimortuum, fusis ad Deum precibus in pristinum vigorem reuocat. Statim atque dies illuxit, ad nos se confert, totius vitæ scelera sacerdoti aperit, prauam ludendi consuetudinem detestatur, terrore mali dæmonis, quem conceperat, liberatur.

Abscessit è viuis Simon Chitinus Calaber sutor sexagenarius, ex quibus extremos septem paralyticus iacuerat, magna cum animi alacritate; nihil aliud dolens, quàm quod ob morbum aliis, qui ipsi ministrarent, molestus esse cogeretur. Vixerat in Societate annos triginta. Alia virtutum exercitia quotidiana sunt.

COLLEGIVM
CATANENSE.

Nostrorvm opera à turpi vita auocatæ sunt mulieres quattuor; totidem, ne in simile scelus inciderent, adiutæ; multisque egentibus necessaria suppeditata. Ex his virgo honesta, inuitis domesticis, domo abstracta ab impudicis adolescentibus, qui commutato habitu, atque vultu ne agnoscerentur, strictis armis id scelus perfecerant, licet triduo apud illos variis in locis fuerit, nullis tamen vel minis, vel precibus adduci potuit, vt sui corporis copiam faceret improbis raptoribus. Res tandem tota cum ad nostrum sacerdotem delata esset, is ita se prudenter gessit, vt integra pudicitia puellam liberauerit.

Tvrca præterea, apud nos Christianæ fidei documentis instructus, ad Christi castra sacro baptismate

psismate lustratus accessit. In grauem morbum incidit Natalis quidam, temporalis coadiutor, cui ad graues ac diuturnos corporis cruciatus illud etiam grauius accedebat, quod horrendis spectris à malo dæmone territabatur: quæ tamē omnia animi summa æquitate, atque constantia non ferebat modò, sed fortiter superabat. Demum ipso Christi Domini natali die, quo etiam ipse die in lucem editus fuerat, mortem oppetiit.

COLLEGIVM SYRACVSANVM.

COMPOSITA sunt hîc grauia Ecclesiasticorum cum nobilibus laicis dissidia. Instante iam, immò latè grassante propter frumenti inopiam acerba fame, quadraginta horarum preces nostro in templo institutæ sunt: quarum ea apud Deum optimum fuit vis, vt frumentaria nauis, quæ alios omnes portus cogitarat, ipsa maris & ventorum agitatione ad Syracusanum littus applicuerit, idque eo die qui D. Iosepho sacer erat, cui etiam Collegij templum dicatum à fundamentis fuerit, quæ res mirum in modum ciuium omnium in nos studia conuertit. Aucta est argenteo lychno sacra suppellex, templum vero eleganti sacello, quod Angelis construxit dicauitque fæmina nobilis. Diem suum obijt Michaël Franciscus, candidi adolescens animi, qui vigesimum vitæ annum non attigerat, post decimum verò quintum in societatem fuerat ingressus.

COLLEGIVM CALATAIERONENSE ET MONREGALENSE.

PRÆTER obitum Patris Alphonſi Charybdij, nihil eſt quod vel aliis collegiis non conueniat, vel adeo magna animaduerſione dignum videatur; obiit ergo Charybdius vir ad omnia ſumma atque excelſa natus, non iis modo carus quibuſcum diu eſſet verſatus; ſed ea morum facilitate ac ſuauitate, vt quemcumque ſemel fuiſſet allocutus, eum ſtatim arctiſſimo ſanctæ charitatis vinculo ſibi deuinciret; quibus verò virtutibus, quantaque in Deum O. M. Dei-paramque matrem religione fuerit, haud facile ſit neſcientibus explicare. Quattuor erat votorum profeſſus; omnia ferme Societatis munia, quæ tales viros decent, egregie obierat; ſed in concionando tamen ſummum leporem, eloquentiam, ſummam denique laudem fuerat aſſecutus: quamobrem quiſque nihil ſibi acerbius eius morte accidiſſe ingenue profitebantur; adfuerunt ad eius cohoneſtandas exequias, omnes religioſorum hominum familiæ; tanta præterea multitudo, vt templo noſtro quanquam ſatis amplo capi vix poſſet; omnia luctu atque gemitibus perſonabant. Immaturum profecto funus; quadrageſimum enim annum vix exceſſerat, cum ingentes Societatis noſtræ ſpes cum ipſius vita pariter concidere. Meſſanenſis fuit, duos habet ſuperſtites natu maiores in Societate fratres, quibus, ſicuti etiam omnibus, magnum reliquit ſui deſiderium.

In Monte-regali mulier, cui filius violenta morte ſublatus fuerat (quod diu ante renuerat) noſtro adhortante ſacerdote, vt homicidæ ignoſceret animum induxit. Item ad meliorem formam monialium cœnobium induſtria, & labore noſtrorum hominum redactum eſt.

COLLEGIVM RHEGINVM.

SACRI ieiunij tempore, conciones à noſtro ſacerdote in æde vrbis primariā habitæ ſunt; in noſtra verò ſexta quaque feria ſermo veſpertinus, magno vtrumque cum fructu, & morum in melius cõmutatione; In exſtirpandis odiis, quæ maxime in hac ciuitate pollent, laboratum eſt. Fratres germanos duos capite damnatos, vt pacem ab inimicis & peterent, & impetrarent, noſtris hortationibus perfecimus. Qua re non ſine magna vtrinque lacrymarum copia tranſacta, fratres non modo mortem, cui ſe ſciebant obnoxios, non horruere, ſed alacriter expectatam in ſuorum ſcelerum expiationem adiuêre.

COLLEGIVM DREPANENSE AC LILYBETANVM.

AVCTVM eſt hoc anno Collegium Drepanenſe eorum ſacerdotum numero, qui tertio exercentur probationis anno; quorum, vt par eſt, opera, maiores fructus attulit Drepanitana ſeges, multæ ab honeſtatis diſcrimine erutæ mulieres,

li[illegible]s, multi à profundo peccatorum cæno liberati, & alia huiuſmodi ad maiorem Dei gloriam perpetrata. Nobilis genere ac pietate mulier eo ipſo die, quo vir eius è viuis exceſſit, antequam ei iuſta perſolueret, pœnitentiæ ſe atque Euchariſtiæ ſacramentis, contra vim doloris ingentem præmuniuit. Quod idem per ſingulos feſtos dies de more præſtitit; idque prodigij loco eſſe debet, cum Drepani ſint communiter in deplorandis defunctis propinquis ſuperſtitioſiores, ita vt vnum aut alterum ſæpe annum, intra domeſticos ſe parietes contineant. Vir nobilis quingentos nummos aureos, ad templum noſtrum periſtromatis ornandum, dono dedit. Alter in extremo vitæ periculo, diſſenteriâ laborans conſtitutus, nulla medicorum ope præſente, ſacro perunctus oleo, cum B.P.N. Ignatij opem implorаſſet, breui priſtinam valetudinem recuperauit.

Marsalensis, ſeu Lilybetani collegij templum, quod magnifice fundatum ſuperioribus annis fuerat, magis magiſque in dies properat ad faſtigium, ita vt nihil in hac ciuitate pulcrius vel ſpectatu dignius videatur.

COLLEGIVM MENENINVM ET BIVONENSE.

Mulier quædam ad ſacroſanctum Angelorum conuiuium lethalis culpæ conſcia cum acceſſiſſet, religione perculſa, magnum ſe quid feciſſe rata eſt, ſi ſacram particulam ex ore depromptam ſudariolo potius inuolueret, quam pectori

ctori committeret tantis sceleribus commaculato; ita sane fecit, eamque in arcula domi repositam tres ad menses diligenter asseruauit; tum vero ad mentem rediit, remque totam sacerdoti aperuit; censuit ille oportere omnino, quo meliore fieri posset modo, sanctissimam Eucharistiam in templum ad suum locum deferri. Domum illa repetiit, quod tamdiu summa cum cura custodierat, nec multo ante in arca reliquerat, nusquam inuenit; nimirum ad nihil videtur aliud diuina maiestas in tam indigna sede morata esse, nisi vti stultam illam mulierem, veluti palabundam ouem, ad sua septa per pœnitentiam reduceret; quo præstito, non fuit quòd ibi amplius moraretur.

Vir etiam non vulgaris, cum per octo ipsos annos & Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta sacrilegus vsurpasset, graui inter ludédum vulnere percussus, ita suum scelus agnouit, vt & acceptam percussori iniuriam condonauerit, & confessione expiatus, vir alius omnino videatur. Excursum est per vicina oppida non sine magno Christianæ rei emolumento. Decessit è vita P. Ioseph Leonardus senex, Meneninis ciuibus apprimè carus. Item in Bibonensi Collegio Cæsar Bausottus. Cætera quotidiana sunt & dictis plane similia.

COLLEGIVM CALATANESSETTENSE.

INTER quinque, quos ob admissa scelera suspendio iudex addixerat, parens erat cum filio; arens verò (quæ naturæ vis est) non tam sua uàm filij morte, ita animo conciderat, vt vix com-

communi sensu, atque ratione vti posset: nostro tamen sacerdote, ad exonerandum peccatis animum, suauibus verbis & hortationibus adigente, statim atque id præstitit, tantos sibi ad ferendam doloris acerbitatem addi animos sensit, vt dum ad supplicium duceretur, gratias Deo ageret; ac singulos scalæ gradus, quibus ad mortem properabat, signo crucis impresso, exoscularetur.

Opificvm sodalitas, cum in magna terræ siccitate quadraginta horarum precibus insisteret, ingentem à cælo pluuiam, atque inexpectatam impetrauit; qua re factum est, vt alij atque alij, in idem Sodalitium se admitti, enixe postulauerint. Quidã etiam ex scholasticorum sodalitate à desperato morbo conualuit, postquam D. Virgini certa quædam ieiunia deuouit.

COLLEGIVM MELITENSE.

MELITÆ, cùm certus esset rumor, quàm primum classem inimicam aduenturam, omnium fere suburbiorum incolæ sese in metropolim recepere; vbi ad impetrandam Dei O. M. clementiam à nobis incitati, ita se gessere, vt & communem generis humani hostem ab animis excluserint, & iam iam aduentantem inimicam classem, à suis procul finibus prohibuerint. Deinde cùm ad oppida circumsita excurrissemus, tantus erat eorum numerus, qui ad peccata aperienda accederent; vt cum à prima aurora ad tertiam noctis horam audirentur, satis omnibus fieri non posset.

Itaque

Itaque sub dio non pauci ventis atque imbribus expositi, ad nostræ domus fores recubabant, vt summo mane primi ad confessionem adhiberentur. Fuit inter hos qui suorum scelerum dolore sollicitus, per octo ipsos dies noctesque nihil quicquam somni ceperit. Illa verò communis omnium vox erat, se ad illam diem nihil, præter nomen, aliud Christiano dignum habuisse. Fuere qui inimicos, à quibus maximis essent affecti iniuriis, diu diligenter quęsitos, non amplexarentur modo, sed ad eorum genua cum lacrymis aduoluerentur.

Hic etiam B. P. Ignatius, quàm sit Deo gratus, quantumque apud illum possit, pluribus argumentis declarauit. Territabatur à diabolo quidam, & ne amplius sacerdoti peccata aperiret, commonebatur. Frustra enim id à se fieri, & irritas esse omnes ipsius confessiones inculcabat. Hic igitur frustulo puluinaris Patris armatus, ita hostem terruit, vt ne mutire quidem amplius ausus fuerit.

Alia quoque puella tam familiariter dæmonum consuetudine vtebatur, vt cum illis vna pranderet, ac cænaret, quæcumque vel domi, vel ab illis pararentur. Huius mater cum id ad nostrum sacerdotem detulisset, obstitit ille, vt par erat, & feminæ, quidnam consilij caperet nescienti, B. Patris imaginem papyro impressam dedit, qua se suamque domum totam contra omnes hostium conatus tutam fore confideret. Cum igitur de more illi adītassent, ita nostri ducis etiam muto vultu territi sunt, vt nihil, præter ingenti furore permistas minas, intentarint. Cumque id semel & iterum factum esset, intra paucos dies, omnino neque ad illam, neque ad vsitatam domum accessere: atque

que ita quod exorcismis, alijsque huiusmodi remedijs obtineri non poterat, B. Patris imagine à Deo O. M. impetratum est. Reliqua quoniam similia sunt, & ne nimij esse videamur, scientes prætermittimus.

DOMVS PROBATIONIS MESSANENSIS ET PANORMITANA.

IN vtraque probationis domo, tanto animi ardore adolescentes nostri, ad sui ipsorum victoriam insudauere, vt numquam stimulis, frænis verò sæpissimè opus fuerit, præcipue in nosocomiis; in quibus digna B. Ignatio & Xauerio exempla, quidam præstitere in procurandis ægrorum corporibus, quorum ipsa species stomachum moueret. In Panormitana verò ad meliorem vitam festinauere Petrus quidam Sueda Melitensis: & Petrus Cutrona Calataieronensis, probatæ vterque virtutis, ac modestiæ specimen egregium.

SED dum Cutrona extremas vitæ horas agit, & Tyrones de more in suis quique cubiculis pomeridianæ orationi vacant; cæcis cælum nubibus obtenditur, vnde ingens tempestas, ventis inter se luctantibus, cooritur, magna vis pluuiæ ingruit, tonitruis ac fulgetris omnia complentur; tactæ præcipue de cælo sunt nostræ ædes, tam vago fulmine, vt parietes quidem viginti amplius locis transfossos reliquerit, ab hominum tamen damno omnino abstinuerit. Quæ res quoniam miraculo proxima visa est, ad agendas superis gratias, quod præter spem ante nos periculo exemissent, in sacram nostram


ædiculam conuolauimus. Exerciti sunt apud nos piis commentationibus inter alios duo Equites Hierosolymitani, & Panormitanæ Ecclesię Canonicus.

RESIDENTIA CHIA ET AGRIGENTINA.

INGENS est eorum numerus qui ex Græcorum ad Latinæ Ecclesiæ ritum transeunt; tantus sanè, vt templo nostro, quamuis non adeo angusto, capi ad audiendas conciones nequaquam possint: tanto autem nos honore colunt, vt cum suos Sacerdotes Papades vocent, nos tamen sanctorum patrum nomine compellent. Introductus est Eucharistiæ, seque ipsos flagellis ædendi frequens vsus. Pueri tum litterarum, tum Christianæ disciplinæ rudimentis instruendi, adeo frequentes sunt in scholis nostris, vt id admiratus Insulæ Gubernator cum suis asseclis, Turca licet sit, spoponderit tamen se nostram inopiam eleemosynis adiuturum: id autem professus est, cum in alteam gymnasiorum intrasset, & pueros ibi à nobis ulla mercede instrui percepisset. Adolescens quiam diuitiarum cupidine insanus, dæmonem sibi, earum compos fieret, aduocauit. Tum ecce tibi o viri peregrino cultu, atque habitu, de adolesncis domo ex vicinia percontantur: peruenit miseri aures eius rei rumor, quamobrem adssum facinus detestatus, ad sacerdotem nostrum perat, peccata aperit, & plane noscit bona scientia diuitias nullas esse præstabiliores. Niomnino nouum, vel quod de aliis non memo-

rauerit-

rauerimus, Agrigenti accidit.



PROVINCIA NEAPOLITANA.

CONTINET hæc Prouincia, Societatis habitationes 12. Domum Professam 1. Collegia 10. Domum Probationis vnam. Itemque Residentiam vnam.

IN his degunt Socij vniuersim 403. In domo Professa Neapolitana 80. Sacerdotes 38 Nouitij 4. Reliqui Coadiutores. In Collegio ibidem, 153. è quibus Sacerdotes 34. Magistri 18. Scholares 82. Reliqui Coadiutores. In domo Probationis, Nouitij 37. In Collegio Nolano 18. Sacerdotes 11. Coadiutores 6, Magister Gramaticæ vnus. In Beneuentano 13. Sacerdotes 6. Magistri 3. Reliqui Coadiutores. In Barensi 12. Sacerdotes 5. Magistri 2. cæteri Coadiutores. In Salernitano & Baralitano, vtrobique sunt 12. Sacerdotes 5. Magistri 2. cæteri Coadiutores. In Lupiensi 24. Sacerdotes 12. cæteri Coadiutores. In Aquilensi 13. Sacerdotes 5. Magistri 3. ceteri Coadiutores In Theatino 12. Sacerdotes 5. Magistri 2. cæteri Coadiutores. In Catacensi 16. Sacerdotes 8. Magistri 2. Scholares 2. cæteri Coadiutores. In Tropeensi Residentia, Sacerdos vnus. Mortui in hac prouincia 12.

DOMVS

DOMVS PROFESSA NEAPOLITANA.

HOc anno è viuis excefsêre duo Coadiutores; Prior Pomponius Quatrarus Nolanus, annorum ætatis quinquaginta; Societatis autem initæ 22. obijt xiiij. Martij. Secundus fuit Nicolaus de Paula ex Cercello Beneuentanæ Diæcesis annorum 42. quorum fuerat in Societate 22. Obijt 2. Iulij. Vterque pius, humilis, & in domesticis rebus magna cum diligentia, caritate, & omnium approbatione versatus.

Acerrime hoc anno pericula animarum, contra dæmonis insidias, quà concionando, quà confessiones audiendo, defensa sunt. Virgo quædam mirum in modum impuri cuiusdam iuuenis amore conflagauerat, iámque in horas, ac momenta singula, tempus, modúmque exigebat, quo malè conceptum facinus pessimè parturiret; id dum meditatur, Templum ingreditur. Sacerdos noster eadem hora, ad Populum de Virginitatis præstantiâ verba faciebat: sensit mulier secum agi, ac primò quidem reluctari, præceptâque impuræ voluptatis dulcedine, tamquam obiecto scuto, diuinitus immissa tela repellere. Sed cum magis magísque dicentis ardore, sub cælestis amoris in-[illegible]ude exacuerentur, manus dedit, immissóque ad [illegible]num vsque pectus vulnere, absolutâ concione, [illegible] sacello eiusdem Ecclesiæ, ante Christi morientis [illegible]figiem victa concidit. Hîc dum in summa animi [illegible]ctuatione, incerta sui, cælum lacrymis suspi-[illegible]sque lacesseret, palàm clarissima in luce ipsum

humani generis Seruatorem Deum, dum nimium sua sibi obiectantem scelera intuetur, obriguit tam seueri aspectu Iudicis, rerumque omnium oblita, quid faceret, quo se verteret, non habebat: Cum ecce parte alia, Beatæ Claræ vnicum deiectæ consternatæque mulieris remedium præsto est. Propiùs enim admoto vestigio, timidam primò subleuat, iacentem erigit, vitæque mutationem, vestis, quam manu præferebat, ostensione, omnino imperat: tum precibus Deum aggressa renuentem, reluctantemque, flexit tandem vt ignosceret, & amico vultu amissam ouiculam, ex teterrimi lupi ereptam faucibus ad suum ouile reciperet. Hoc illa ostento, omni penitus impuræ libidinis abraso vestigio, sacratioris vitæ amore conualescens, Deo puram integramque se obtulit.

ALIA sexdecim ipsos annos, intra domesticos parietes suæ pudicitiæ hostem repulerat: res tandem eò erat adducta, vt breui manus datura videretur: nostri tamen sacerdotis cohortationibus aliò digressa in tutiora se castra recepit.

QVIDAM multos annos, nec sine aliorum offensione, domi scortum aluerat, frustra omnia tentata remedia. Nullis enim amicorum cohortationibus, nullis patrum spiritualium precibus effici potuerat, vt vel ad breue tempus abstineret: sed vicit tandem hominis peruicaciã nostri sacerdotis prudentia, qua non modò factum, vt impuri contubernij sodalitium ablegaret domo; sed vt assignata dote, mulieris pudicitiæ consultum vellet in posterum. Alter eodem afflictatus morbo eandem in sacerdote nostro reperit medicinam, abstersisque totius anteactæ vitæ maculis, mirum est, quantum præteritas noxas sanctioris vitę institutione

ſtitutione compenſet. Alius viginti annos confeſſione abſtinuerat, tantique ſceleris cauſam impuram mulierculam habebat domi, puero ſque non paucos, quibus ad nefandiſſimam libidinem per ſummum dedecus abutebatur. Reſpuebat omnia, quæ ſalutem afferre poterant, cumque nulla remedij ſpes reliqua videretur, in morbum incidit, quo tandem ægrotantis animi ſalubre remedium eſt allatum: nam cum ſacerdotem noſtrum accerſiuiſſet, eius conſilio peſtes illas domo exturbauit, purgataque conſcientia, cum bonam recuperaſſet valetudinem, totum ſe Deo in poſterum dicauit.

ABDVCTI à mala viuendi ratione quam plurimi: tres à conſilio patrandæ cædis reuocati: effectum, multi vt inimicis ignoſcerent, & eos amiciſſimè amplexarentur. Sed omnium maxime noſtrorum induſtria in audiendis confeſſionibus enituit.

RELIGIOSÆ cuidam mulieri ſacerdos noſter aures præbebat, quæ obſtinato obfirmatoque animo, cum alia omnia proderet, peccatum quoddam aperire nolebat; inſtare ille, vrgere, æternaſque inferorum pænas intendere, ſed incaſſum; liquido enim affirmabat mali ſibi dęmonis manibus fauces premi, ne vlla ratione poſſet, quod vellet, Confeſſario denudare: hic pater tacitus aliquantiſper immoratus Deum enixè rogat, vt offuſas mulieri tenebras diuina luce diſcutiat: tum ad eam ſermonem conuertens, peculiaris cuiuſdam criminis mentionē facit, dubiamque ſciſcitatur, num illius ſe noxæ ream agnoſceret? Mirari primo mulier, tum lacrymis, ac ſuſpirijs magis, quam voce reſpondens, Diuinaſti, inquit, pater: hoc illud erat,

quod silebam, quod silui multos annos, quod ne aperirem in cætu sororum mearum, non semel sacrilego ore ad sacram Eucharistiam accessi: tum demum noster detecto vulnere, ac salutari adhibita medicina, impertitæ salutis lætus discessit.

QVIDAM sacris initiatus, ita ab instituta vitæ ratione deflexerat, vt sui oblitus, ac Dei, non impijssimorum modò hominum, sed ipsius etiam dæmonis amicitiam affectaret. Optabat miser his artibus Principem quendam virum sibi offensum conciliare, quod vt assequeretur, nihil intentatum reliquerat: adfuit, qui vnus id suggerebat, nefarius humani generis hostis, suamque operam vltrò pollicitus, præmij loco petijt, vt certam imaginem exprimeret, sibique Diuinos honores elargiretur. Paruit illico, & sæpius iterato cultu, illius se totum potestati manciparat; sed nocte quadam, dum eadem impia sacra operaturus assurgeret, superni illapsu numinis resipiscens, illam ipsam imaginem collidens proiecit in terram. Sensit id hostis nefarius, illatamq; ignominiam vlturus, teterrimo aspectu, accensis oculis, emicantibus ab ore flammis occurrit; ille, vt potest, signo se crucis munit, Diuinamque opem implorans satanæ minitanti resistit. Exorto demum die patrem nostrum accersit, peractaque Confessione, quam à primo vitæ initio placuit exordiri, sanctissimam deinceps vitam instituit.

TVRCA quidam multos annos obfirmato animo, omnem de nostra Religione sermonem obstinatissime repellebat: cumque in morbum incidisset, quo tempore, maiore conatu in idem incumbebatur, respuebat omnes, quos hac de re verba facturos esse suspicabatur. Mirum dictu: è

nostris

nostris quidam accedit, propiusque admoto ore, Abluere, inquit, sacro Baptismatis fonte, nullum aliud præter hoc tibi superest tempus: quo audito, tanquam è graui expergefactus somno, HOC VNVM, inquit, in votis hab eo, cur prohibetur? quarè statim ab eodem salutari ablutus aqua, suauissimè conquieuit. Sodalitia bellè procedunt, Nobilium inprimis; Hi incurabilium xenodochium frequentant singulis hebdomadis. Montem, vt vocant, instituunt, quo pauperum pudori consulatur, Atque ad id iam quatuor aureorum millia coacta sunt.

COLLEGIVM NEAPOLITANVM.

EX hoc Collegio sex ad iuuandos Indos; totidem ad Cæleste Regnum transierunt. Horum primus fuit Franciscus Poësius, magnæ spei adolescens, quinque & viginti natus annos; quorum nouem in Societate exegerat, & iam Theologiæ secundo anno dabat operam. Hunc sequuti sunt P. Franciscus Factorius, Roma Neapolim missus pænè tabe consumptus, ad leniendum Cœli clementia morbum: & P. Gregorius à Valentia Hispanus, quatuor votorum professus, nulli non optimè cognitus: quippe qui primus è Societate, in vniuersam S. Thomę Theologiam, non minus eleganter quam doctè scripserit. Romam ex Hispania venerat à R. P. Generali accersitus, vt disputationibus, quæ tum de Auxilijs corā summo Pontifice habebātur, pro Societate interesset. Quod munus dum maximo animi ardore, non minus acutè ac doctè; quam modestè atque constanter aliquot

annorum ſpatio obijt, aduerſarijs ipſis & ipſi ſummo Pontifici, in cuius conſpectu ad quartam, & quintam etiam horam diſputationes protrahebantur, admirationi fuit; ſed quà aſſidue ſtudendi conatu, quà diſputationum labore (ſtando enim, & interdum ſæpius in hebdomada, præſente Pontifice diſputabatur) quà demum ætatis ingraueſcentis vitio, vtpotè ſexagenarius in phthyſim incidit: ob huius leuamen dum oportunioris ſalubritatis cauſa Neapolim mittitur, morbo in dies graueſcente, paucis menſibus, maximo omnium dolore vij. Kal. Aprilis extinctus eſt. His acceſſit P. Cæſar Viuus trium votorum profeſſus, annorũ 54. in So-
Procurator cietate verò 24. Fuit Superior Collegij Neapolitani 10. annis: totius verò Prouinciæ 15. Fuit Vicerector in Cirinolano, Rector verò in Catacenſi Collegio. Grandior natu Societatem adiuerat, & à foro, & litibus (conſulebatur enim de iure) accerſitus. Mirum quanto precandi ſtudio ac Dei amore flagrabat. Poſt hunc P. Bernardino Lutio huius Collegij Rectori, quartum votum profeſſo, magno animi ſenſu iuſta ſoluimus; qui poſtridie eius diei, quo P. Cæſarem extulimus, in morbum incidit, à quo poſt nonam diem conſumptus eſt. Eius obitus magnum omnibus inflixit doloris ſenſum, & omnino qualem viri, qui paternè præeſſe ſciret, & cum Deo coniunctiſſime viueret, deſiderium poſtulabat. Poſtremum ſibi vindicat locum Nicolaus Paladinus Coadiutor, qui vix tertium in Societate vixerat annum. Difficile dictu eſt quantos in pietate progreſſus hoc breui ſpatio fecerit. Cum enim eſſet literarum omnino expers, ac minimè facundus, in ipſo tamen valetudinis decurſu, ita de Deo, de Beata Virgine ac diuinis rebus diſſe-

rebat,

rebat, vt & bene doctus, & eloquentiſſimus quàm facillimè iudicari poſſet. Imminentis extremæ horæ denunciationem eâ lætitiâ audiuit, vt manantibus gaudio lacrymis in gratiarum actionem erumperet. Adeo ſe Deus rudi alioquin animo cognoſcendum præbuerat.

Svperstitvm maxima pars ſpiritualibus cõmentationibus exculta eſt, vbi per communem à ſtudijs vacationem licuit; quas tanto animi ardore aggreſſi ſunt ac perfecerunt, vt toto anno illarum fructus extiterit. Itaque conſueta illa: laceris veſtibus ad ſtipem hoſtiatim corrogandam ire; pueros ad Catechiſmum audiendum colligere; nauticam triremium multitudinem inſtituere: carcere detentos conſolari: publica xenodochia inuiſere, maiore quam vnquam ardore atque emolumento. Illud, quod non leue eſt, inſuper additum, vt Turcas ſeruos, quorum magna multitudo in hac vrbe ſeruitutem ſeruit, ab impio Machometi cultu conaremur auocare; fructu, quæ Dei eſt benignitas, labori reſpondente: cum non paucos iam Cathecumenos habeamus.

Tanto animorum ardori de alijs bene merendi, qui in noſtris viget, reſpondet omnino auditorum, qui noſtrum Gymnaſium frequentant, multitudo, quæ longe maior ac maior eſt, quàm male materiatæ claſſes merentur: licet vnicuique doctori auditorum ſuorum diligentia, & numerus abunde ſatisfaciat.

Sodalitia frequentia, & pietate ita vigent, vt multi locorum anguſtijs excludantur: multi qui admiſſi ſunt, cogantur identidem in limine hærere. Eorum verò pietas tanta eſt, vt nullam alios iuuandi occaſionem elabi ſibi patiantur è manibus.

 Ex

Ex his extitit certi aurificis caritas, qui iuuenem nobilē alere pollicitus est, dummodo ille nuntium remitteret aleatoribus, quos rerum inopia impellente, domi suæ fouebat, vt eo quæstu vitam tolleraret; quod cum ab illo impetrasset, ita constanter, ac sedulo ei necessaria suppeditauit, vt aleator hominis minime diuitis liberalitate commotus, quò illum sua causa sollicitum molestia liberaret, & quò sibi in omnem vitam tutius consuleret, elegerit post aliquot menses in Cappuccinorum familia se Diuino cultui mancipare.

DOMVS PROBATIONIS.

EXCEPIT probationis domus nouitios septem supra triginta; ij ad omnem Societatis disciplinam eruditi, altissima iaciunt fundamenta virtutis. Diem suum obiere duo: vterque Franciscus appellatus: alter cognomento Caricidia, Coadiutor; alter Lauria. Vixit hic in societate annum, & dimidium. Adolescens tum ceteris virtutibus, tum præcipue animi demissione, suique contemptu insignis: Superiori suo dum conscientiam aperiret, liquidò sæpius affirmauit, nihil esse quod sibi æque molestū accideret, quàm cum iussus aliquid facere, voces illas leniter, vt fieri assolet, imperantium audiret: Agas id quæso te Francisce· Ne supra vires, & similia. Maluisset enim nulla adhibita verborum consolatione exequi imperata; Religiosi enim viri proprium esse dicebat, non modo non repugnante, sed vltro alteri, & appetente animo, ita vt nullis opus esset alijs verborum adminiculis, constanter hilari-

hilariterque parete. Viliſſima quæque ac laborioſa ſummo ſtudio proſequebatur. Paulo antè quam in morbum incideret, à P. Rectore petijt ac impetrauit, vt noſtræ domus piſtori laboris ſocius adderetur: hîc dum eâ, quam ſemper præſeferebat, alacritate totus incumbit, febri corripitur, quâ ſex tantum dies vexatus exceſſit è vita. Mirum autem quantopere, latentem illius in occulto virtutem, morbus ipſe prodiderit; nullus erat ſermo, niſi de Deo, nulla niſi de rebus ſuperis cogitatio. Deſtituerant vires corpus, non tamen viuida illa vis, pro Chriſti nomine extrema omnia ſubeundi, animum dereliquerat. Decumbebat in lecto morti proximus, Indiam tamen prouinciam, quam ſuis laboribus peragrare vnicum in votis habebat votum, quâ dabatur, animo ſemiuiuus lætiſſimè conplectebatur: quare nulla erat, dum de eâ ac de B. P. Franciſco Xauerio, quem ſibi hac in re imitandum propoſuerat, loqueretur, defatigatio: imo voluptas nulla maior, nulla iucundior. Ad mortem iam propius accedebat: Pater cui ea cura demandata erat, deſperatæ ſalutis nuntium allaturus accurrit, conceptiſque verbis, Longum, inquit, tibi cariſſime frater, peragendum eſt iter, quare ne deficias, conſueto es viatico muniendus: ſenſit ille quod dicebatur, ſummamque vultu, & oculis præſeferens voluptatem, Paratum ſe eſſe reſpondit; defixiſque in Cœlum obtutibus, leniter vocem attollens, Veniat, veniat, identidem repetebat, ad me dominus meus. Rurſus pater: An aliquid eſt, quod me noſſe velis extremo hoc vitæ tuæ tempore, ad conſcientiæ, ſi quæ ſunt, maculas penitus abſtergendas? Omnino nihil, reſpondit: ſiquidem ſic vitam moreſque ſuos compoſuerat, ac ſi in horas

horas fuisset, ac momenta singula moriturus. Allata demum sacra Eucharistia, ingentique lætitiæ significatione excepta, pater dimissis omnibus adstare decumbenti: vt, si esset opus mœrorem, qui multus ferè semper morientibus inesse solet, cælestis patriæ recordatione leniret. Tunc ille nec interrogatus, patrem suum compellans, Gestit, inquit, gestit dulcissime pater, inusitata mihi lætitia animus, nec ipe capit sese. Iam enim cœlum manibus videor comprehendisse; & rursus, Quid illud sit, haud scio; scio autem, ea me diuinæ dulcedinis interfusa gaudia experiri, quæ nesciam vlla verborum quantauis amplificatione explicare. Hic pater rei nouitate attonitus, in tanta decumbentis lætitia lacrymas continere non potuit, attollensque vocem, Quia, inquit, Francisce charissime, te cælum manet, nos terra: Cui ille. Sic Deo visum, mi pater, Cælum, Cælum me manet, quas inter voces, nouo delibutus gaudio, quod ad extremum vsque spiritum retinuit, exilire videbatur. Demum sacro inunctus oleo, cum totius domus moderator abesset, patrem illum, qui ægrotanti præsto fuerat, rogauit vt facultatem faceret excedendi; sanctissimæ obedientiæ, quam viuens tantopere coluerat, in ipsa morte non immemor; acceptoque responso, Dei hac in re maxime iubentis imperio parendum; religiosisque viris, animo parato ad vtrumque, illius voces, ac nutus excipiendos esse. At, subdidit, Quando per Deum licet è vita, liceat mihi per vos ex hoc cubiculo in ædem sacram commigrare, vt ibi ante eius conspectum, placidissima morte consopitus excedam; cumque id negaretur, At saltem humi nudus prosternar: liceat pauperem, pauperis in morem, Christo,

ſto, qui & ipſe pro nobis nudus in Cruce iacuit moriturus, extremum ſpiritum exhalare. Negatum id quoque, impoſitumque ſilentium; ſummis enim id precibus contendebat. Cum autem magis magiſque morbus conualeſceret, additiſque febrium doloribus capitis dolor infirmiſſimum corpus acerrimè moleſtaret, Chriſti morientis effigiem poſcit, eiuſque vulnera deoſculatus, Quæ, inquit, dulciſſime IESV, quæ reddam? Æternas enim inferorum pœnas ſæpius promerito, immenſa cæli gaudia polliceris, & quod ſummum in votis habebam, in tam ſancta religioſorum hominum familia, diem claudo, & tot Angelorum ſtipatus agminibus, ſic enim fratres meos vocare licet, in cæleſte domicilium ex hac vita commigraturus aſcendo. Hîc omnibus præ lætitia obortæ lacrymę, illapſaque fratri cælitus voluptas aliquatenus deguſtata. Denique paulo antè quàm moreretur, nouiſſimè patrem allocutus, Quod, inquit, ſignum eſſe poſſet, beatis me ſupernorum ſpirituum ordinibus adſcribendum eſſe? Illud profectò, reſpondit pater, ſi maximus tuorũ te peccatorum tangeret dolor, tuamque ſpem omnem in vna Chriſti morte collocatam haberes. Tum Franciſcus nouo elatus gaudio, Tantum, inquit, tua hæc mihi verba lætitiæ cumulum addiderunt, vt cum animus capere nequaquam poſſe videatur. Has inter voces, tanquam dulciſſimo conſopitus ſomno, placidiſſimè conquieuit.

COLLEGIVM NOLANVM.

AVCTVM hoc anno Collegium Nolanum, & ſcholarum numero,& noſtris non paucis, qui tertium probationis annum expleuerunt. Ex his alij ad explicandam Catecheſim, alij ad emendicandam ſtipem in pauperum vſum erogandam profecti, mirificè & corporis, & animorum ſaluti conſuluerunt. Bis in hebdomada ſermones ad populum facti in platea publica, & in Æde maxima: Caſuum Conſcientiæ explicatio ab vno è noſtris habita, Epiſcopum,& Vicarium, qui ferè ſemper intererant; & vrbanorum externorumque Clericorum magnum numerum, ingenti cum voluptate ac vtilitate detinuit. Æſerniam Epiſcopi rogatu duo è noſtris ſacerdotibus miſſi, retulerunt ſuorum laborum fructus non contemnendos: expoſita fidei rudimenta, & ſacerdotes idonei ad hæc eadem munia exercenda informati. Quadraginta horarũ ſupplicatio ingenti celebritate peracta, ac primo quidem die, hominum capita amplius mille trecenta, ſacram ab Epiſcopo ſumpſerunt Euchariſtiam: duobus reliquis maxima cum voluptate precationi vacatum eſt. Reſtituta bona non pauca, quæ male retinebantur. Mulierculæ ab infami lucro ad meliorem frugem reductæ: diffidentium animi ad concordiam reuocati. Illud non tacendum. Cum ciues abalienato animo, centum ferme annos, ab Epiſcopo Regijſque miniſtris diſſiderent, noſtrorum opera tandem aliqua pacta obfirmataque ſunt fædera, tanta omnium approbatione,

tione, ac gaudio, vt lætitiæ indices lacrymæ ex multorum oculis exciterentur.

Itvm deinde in oppida, Castellàque finitima; & quidem accurrentium numerus, vt de rebus fidei atque ad saluté pertinentibus erudirentur, primam diei lucem anteuertebat: sub solis verò discessum, cateruatim huc confluebant, vt ad multam noctem paratas confessionibus aures habere sacerdotes nostri cogerentur; & quidem suus nostro labori extitit fructus. Viginti circiter familiæ, extinctis odijs, tranquillissimam pacem amplexæ sunt; licet aliquarum recens sparsus cruor adhuc ferueret. Restitutum æs alienum non paruum: duo ad euomendum peccatorum virus adducti, quibus salutis nulla aut perexigua erat cura.

Nec Atellis nostrorũ opera defuit: Aduocati ab Episcopo è nostris duo, ea pietatis iecère semina, è quibus licet magna seges extiterit, maior tamen in dies singulos expectetur. Atellarum prouentus nostros, ad obeundos vicinos agros inuitauit: quare Pagos lustrarunt omnino quindecim, in quibus doctrinę Christianæ præcipuus extitit fructus, effectùmque vt tam salutaris instituti Sodalitates erigerentur. Demum tota Diæcesis à nostris cælesti pane refecta, vires, vt speramus, Deo administrante capiet, atque incrementa virtutum.

COLLEGIVM BENEVENTANVM.

Feminæ quatuor, quæ pudicitiam venalem habebant, nostrorum operâ ad bonam se recepêre frugem: ex his vna ingressa Cænobium, quasi

ad portum appulsa naufragantis pudoris, religiosam vitam suauissimè instituit; eius sequendæ studio maximo tres reliquæ tenebantur, & assecutæ profectò essent, nisi rei familiaris inopia impedisset.

Obita vicina Oppida: institutæ vbique Sodalitates: Sed in duobus maximè oppidis duę sunt, quarum Sodales vulgò tanquam religiosi suspiciuntur: in harum altera decretum, vt fæminæ quotannis complures inopes conuestiant. In altera illud illustre: Cum is qui ædes dono dederat cogendis Sodalibus opportunas, eidem Sodalitati nomen dedisset, essetque abalienato erga Sodalem quendam animo, summo studio contendebat, vt is, cui infensus erat, à Sodalitate excluderetur. Conspirant omnes in vnius Sodalis defensionem, decernunt donatas ædes, licet magno cum incommodo dispendioque, deferendas potius, quàm innocentem Congregationis aditu prohibendum: quarè relictis prioribus, corrasa è singulis pecuniola nouas à fundamentis excitarunt. Verum haud ita multo post, is qui in fratrem iniustus esse volebat, iustissimam Dei vltionem expertus est.

Dvo aureorum millia eleemosynæ nomine nobis attributa, quibus tantumdem æris alieni dissolutum.

Mvltæ ad sacram supellectilem accessere Sanctorum reliquiæ, quibus asseruandis tegendisque, thecam confecimus accomodam & peruenustam.

COLLE-

COLLEGIVM BARENSE.

ANNVS hic multis obnoxius morbis, ingens fuit Societatis hominibus ſeges, ac materia pietatis. Accerſitus è noſtris quidam domum illuſtris cuiuſdam viri, quadraginta ægrotos reperit: hic dum corporum ſaluti ſeruit, multorum animis ſaluti fuit. Siquidem flagiria multa repreſſa: Virginum inopia, quæ periclitabatur, ſuſtentata: fæminæ ab impuro quæſtu reuocatæ. Illud memoratu dignum. Mulier quædam cum pudicitiæ naufragium feciſſet, factura iam erat vitæ, ſiquidem cognatus eius apprimè diues, ad quem id maximè ſpectare videbatur, conduxerat iam nefarios homines, pecuniamque ſoluerat, vt inuſtam familiæ notam, ſanguinis effuſione delerent; ſed noſtri ſacerdotis prudentia, ac dexteritate effectum, vt non modo libens ignoſceret, conceptumque facinus confeſſione expiaret; ſed vltro vt pecuniam munifice elargiretur, qua & feminæ inopiæ, cuius cauſa maximè pudorem vendiderat, conſultum eſt, & regijs miniſtris pecuniariam pænam expetentibus largiretur. Famoſæ cuidam mulieri diù noſtrorum, imo Dei ipſius vocibus reluctanti, diſcuſſa errorum caligine veritatis lumen affulſit; ita vt non modò meretricium quæſtum, ſed filios etiam (quod vnum matris animum remorabatur) quos malè ſuſceperat, & malè etiam alere conſuerat dereliquerit; elutoque confeſſione animo, ijs tantum amoribus, qui ſine animi ac dignitatis iactura ſuſcipiuntur, adhæſerit.

QVA-

QVADRAGINTA horarum ſupplicatio extremis Bacchanaliorum diebus, ingenti omnium lætia peracta eſt. Ædem noſtram cohoneſtauit ſingulis diebus Illuſtriſſimus Cardinalis Bonuiſus, is enim & horam integram orationi dedit,& ſermonibus qui habebantur ſumma, vt videbatur, approbatione interfuit.

AVCTVS eorum numerus,qui noſtram Sodalitatem frequentant; aucta pietatis officia. Illud maximè eorum animos conciliauit. Quidam ex eorum Sodalitio,qui manuum labore vitam ſuſtentant, ætem ſuum obicrat; vxor in magna liberorum inopia, ſummam inopiam patiebatur: accidit vt vitio parietis fatiſcente domo, non exigua muri pars in terram decideret; ſed ijdem qui decumbenti, ijdem prolabenti familiæ præſto fuerunt; nimirum quà corrogata pecunia,quà extructis ab ijs, qui artem eam profitebantur, proprio labore parietibus, afflictæ domus miſerijs conſuluerunt.

COLLEGIVM SALERNITANVM ET BARALITANVM.

IN Salernitano omnia communia: in Baralitano hec propria. Quæ omnes maximè premebat controuerſia, inter huius vrbis primates, & Tranenſem Archiepiſcopum, omnino dirempta. A Patre enim Rectore noſtro in Collegium perhumaniter accepti, in priſtinam amicitiam ſunt redacti. Sed repreſſit, aut minuit huius lætitię copiam, P. Rectoris obitus. Erat is Pater Claudius Arallus probatæ virtutis vir, religione ac doctrina optimè

optimè notus, adeóque Baralitanis ciuibus carus, vt audito illius mortis nuncio, pęne omnes in templum nostrum non externi modo sed religiosi etiam viri iusta persoluturi confluxerint. Nobiles autem feminæ, vt subsidijs largisque muneribus ægrum, ita mortuum vberrimis lacrymis sunt prosecutæ. Neque hic lugendi finis: siquidem paulò post P. Petri Moaræ Lusitani mortē defleuimus: qui Baruli, ad reditus ex Apuliæ prędio exigendos, Collegij Romani procurator degebat; multa viuens, nec pauciora moriens, suæ virtutis edidit documenta. Is dum in lectulo morti proximus decumberet, sensit extremum sibi tempus instare, quarè sodalem quendam, qui sibi ægrotanti præstò fuerat, dormitantem cum animaduertisset, in cubitum assurgens sublata voce; Expergiscere, inquit, accende extinctas faces: Iam enim mihi cœlorum atria patefiunt. Paruit ille monentis voce expergefactus, accensisque cereis animaduertit eum, oculis manibúsque in Cœlum sublatis, extremum Deo spiritum exhalare.

COLLEGIVM
LVPIENSE.

OBITA hoc anno, vt nunquam antea, in Lupiensi Collegio nostrę Societatis munia, summa & nostrorũ, & externorum approbatione. Natali die Domini Seruatoris, & eius Circumcisionis, qui cœlesti pane refecti sunt, numerũ quatuor millium attigerunt. Totius vitæ confessiones auditæ octingentæ. Superat fidem studium ac religio, qua nostrum templum colunt.

Mvlier quædam quotidiana febri laborabat: ea tamen in spem venerat fore, vt si Ædem nostram inuiseret, omnino pristinam recuperaret salutem, & quidem voti compotem fecit Deus. Domo discessit ægrota, rediјt integra.

Hoc idem studium erga nostrum templum, præstitit extremis Bacchanalium diebus ciuitas vniuersa: tantus enim erat confluentium numerus, vt non Bacchanalia sed Paschalia celebrari videretur.

Brevi speramus fore, vt hoc Collegium & omnino ære alieno liberetur, & complures alios alere possit, qui tùm domi, tùm foris animarum saluti dent operam. Et quidem huius rei non leuia iecit fundamenta P. Aloisius Fidelis, qui septem millia nummorum aureorum huic Collegio dono dedit: alios etiam octingentos supra mille, paternorum bonorum legitimam partem, Vincentius Antoghetta, antequam in Indiam proficisceretur, attribuit. Quædam quoque primaria femina, Societatis nostræ studiosissima, quingentos alios post mortem soluendos assignauit.

MISSIONES.

Sacerdos noster ad Castellum Lupiensis Diœcesis, quod non longe ab Vrbe distat, ad Domini vineam excolendam missus, sui laboris maximos vberésque retulit fructus. Iurandi peierandíque repressa licentia: Sacrorum Sacramentorum vsus inuectus: quæque antea, prætérquam semel aut bis in anno, attingere pæne religio erat, nunc maximè frequentantur: omnium denique vna vox erat, sacerdotem illum è cælo demissum

vt

vt illorum salutem procuraret. Ingens in eum studium tunc maximè ostenderunt: cum lacrymis, ac suspirijs, peracto iam anno discedentem patrem sunt prosequuti, & quidem in eo persæpe præsentissimum numen agnosceres. Decumbebat in lectulo mulier iam multos annos ægrota, vigilijs inediáque ita confecta, vix vt cutis ossibus hæreret: huic persuasit sacerdos, vt animum totius anteactæ vitæ confessione expiaret; paruit libens, eáque confecta, eiusdem manu seriem sacrorum orbiculorum, quam Deiparæ coronam vulgò appellamus, acceptam inseruit collo. Mirum dictu: statim remisit morbus, sumtóque cibo melius habere cæpit in dies. Demùm conualuit, salutémque vni Deo, per hunc sacerdotem, acceptam refert.

Alivs in morbum inciderat, adeóque vis mali inualuerat, vt iam de eius salute medici desperarent; noster autem non modò non desperabat, sed liquidò etiam asserebat fore, vt omnino conualesceret: ridiculum id omnibus videbatur, ac tum maximè, cum perfunctus iam ille rebus sacris, quæ ad animi salutem pertinere videbantur, funebres indutus vestes, multas horas tanquam mortuus à compluribus lugeretur; sacerdos autem sedulò repetebat non modò eum non mortuum, sed nec tunc quidem temporis moriturum. Fidem præstitit euentus. Dum hæc circumferuntur, cæpit is, qui mortuus videbatur, primò moueri, tum loqui, demum paucis post diebus, recuperata iam salute, ac si nunquam ægrotasset, consueta munia exercere.

Exevnte anno ad Hydruntinam Diæcesim ipsius Archiepiscopi rogatu, nostris patuit aditus. Excursum initio in aliqua finitima oppida;

Catechesis explicatio rudi plebi, teneræque ætati tradita: assiduæ confessiones auditæ, habitæque conciones; Aliquibus in locis, linguæ inscitia (Grecè enim tantùm, saltem mulieres norunt) rebus nostris impedimento fuit; sed pueri natura dociles, & viri, qui Italicam linguam callent, Christianam legem optimè perceperunt. Tribus in oppidis, in quibus maior incolarum numerus, Sodalitates institutæ: quæ magno studio, ac pietate frequentantur.

MVLIER quædam immanitate barbara suam ipsius filiam suis manibus, quæ vix vnum aut alterum vitæ mensem attigerat, cum interemisset, tacta facinoris dedecore, scelus & impietatem omninò celare statuerat Affuit aliquando concioni, cum è nostris quidam hac ipsa de re ad populum verba faceret, multisque propositis exemplis, quantopere, qui inter confitendum peccata retinerent, apud inferos cruciarentur, edoceret: territa primùm vehementer, & biduo diu noctúque agitata, nec cibum, nec somnum vlla ratione capiebat; demum vbi se collegit, ad Confessarij pedes accidit, extractúmque celati diu sceleris virus euomuit.

ALIVS eodem modo, obfirmato animo nonnulla inter confitendum scelera retinebat, sensit malus dæmon nostrorum aduentu posse hominem recipiscere: quare, vt magis magisque labentem in extremum exitium deturbaret, quadam die senis formā simulans, rugosa fronte, obsoletis pannis, cogitabundum offendit, proprióq; compellans nomine, Te ipsum, inquit, quærebam. Vndecim in te sunt puncta (sic enim loquebatur) octo bona, tria mala. Hęc autem ea sunt flagitia, quę omnibus, vt

vt tu credis, ignota commisisti; nec prius dicendi finem fecit, quàm loca, tempora. & omnia, quæ fidem facerent designauit: negare ille, hic rursus vrgere: quid negas? aperta mihi omnia, sed bono animo esto; Sacerdos sum: affer stipem paucos nummiculos, confitere hoc mihi, quod peccasti, absoluèris. Et ablata pecunia, ac nudato crimine, manum vocémq; sustulit, absolutionísque formula adhibita, Abi, inquit, tutus; non est quod amplius eadem confiteare. Discessit miser, primò lętus, tum suspicari cæpit, id quod erat, mali dæmonis insidias; quid agat, quid consilij capiat, conueniat rursus hominem? Sic statuit. Omnia igitur percurrit loca, omnes interrogat, indicia profert, nusquam reperit, hic maior oboritur metus: inops animi, ac sui pæne inscius, nullam capiebat quietis partem; tandem nostros adit, ac re perspecta, illusum se à malo dęmone intelligit, quare expiato confessione animo, sanctiorem vitam instituit.

Toto eo tempore, quo Christi Domini Aduentum de more pręstolatur Ecclesia, in oppido totius Diœcesis maximo, & celeberrimo, plenissima concione nostri, quâ Chrstianæ fidei rudimenta exponendo, quâ cohortando, quâ conscientię casus explicando, multitudinem ingenti non minus voluptate, quàm vtilitate detinuerunt. Præsenserat id humani generis hostis, omnémque mouerat lapidem, vt felicem nostrorum cursum, si non omnino, saltem magna ex parte retardaret: ferebat enim in vulgus nostra nos vtilitate, non ipsorum salutis causa, ad ea oppida profectos esse, nec deerant, qui faciles his vocibus aures darent; quippe qui nunquam antea nostræ Societatis institutum nouissent. Sed vicit tandem nostrorum

patientia, malique dæmonis irritos conatus reddidit: siquidem, nec labori parcebant, nec aduersariorum calumnijs ac iniurijs succumbentes à consuetis exercendis muneribus desistebant. Quod cum Ciuitatis Princeps, honestissimique ciues, ac plerique omnes, qui cum bonis sentiebant, animaduertissent, omni penitus animo abrasa suspicione, nostros admirari, colere, & obseruare cæperunt.

COLLEGIVM AQVILENSE, AC TEATINVM.

INGENS discipulorum numerus in Aquilensi Collegio: vix enim credi potest, quanta omnes scientias ediscendi cupiditate teneantur. Apertum nouum Gymnasium, vt ciuium petitioni satisfieret, in quo casus conscientiæ Clerici edocentur.

TEATE Illustrissimi Archiepiscopi officia quotidie in nos extant illustrius, adest semper nostris concionibus, & Bacchanalibus ferijs, cum abesset ab vrbe, licet anni frigidissima tempestate iter arripuit, summáque omnium lætitia in templo nostro de more, ad circumfusam multitudinem verba fecit. Media Quadragesima quatuor hominum millia & eo amplius, totius fermè anteactæ vitæ peccata confessarijs aperuerunt: Multi scorta domo expulerunt: malè parta suis dominis reddiderunt Mons pietatis, qui iam (vt res humanæ ferunt) collabebatur, instauratus ac sustentatus nostri sacerdotis diligentia.

Maximæ hic sedatæ discordię. Vir quidam nobilis ab alio pessimè acceptus, siquidem non verbo solùm, tanquam p̄robrosè mendax, sed impacta etiam maxillę alapa, multísq; insuper pugnis in conspectu multorum violatus fuerat. Frustra laboratum à multis, ac in primis à Prorege ipso, vt ignosceret, sed nostris cohortationibus tandem manus dedit, eique libens acceptas iniurias condonauit.

Qvidam cum obfirmato animo mortem sibi suis ipsius manibus consciscere decreuisset, iamque operi admotâ manu vulnus pectori inflixisset, nostri Sacerdotis cohortatione, à nefario incepto sic destitit; vt spem omnem, quam sibi suisque diffidens moriturus abiecerat, in Deo collocatam haberet.

COLLEGIVM
CATACENSE.

Hoc anno habita est concio in templo nostro, magna cum frequentia totius ciuitatis, & multorum fructu. Sexta quoque feria habiti sunt sermones de passione Domini, publicáque supplicatio cum grata vocum, ac instrumentorum symphonia.

Proregis animum in nostrum ordinem in dies experimur propensiorem: nullum enim finem facit de nobis, quà honorificis verbis, quà munificis donis benemerendi; & quidem pari mente, parique in nos studio coniunctissimam habet vxorem: ea mundum muliebrem pænè omnem ad nostram ædem exornandam exhausit, vt quę mun-

do, ad speciei ornatum, vanitatis insignia militabant, sanctiore cultu, Christo Domino veræ pietatis indicia deseruirent.

PHILOSOPHIÆ disputationes nunc in hoc Collegio haberi cœptæ, summa nobilium virorum multitudine, ac ipsius inprimis Proregis approbatione peractæ sunt.

HINC excursum ad finitima oppida: atque ingens, tum ex alijs, tum è Boliano agro seges extitit animorum. Sacrarum confessionum vsus, qui pænè absoleuerat, restitutus; viæ publicæ grassatores in meliorem frugem redacti; multi à perdito impurissimarum mulierculatum amore abducti. Alea, quæ impunè certã sibi statuerat sedem, è suo tanquã eiecta regno, exulauit. Omnino in eo maximè insudatum, ne mortales mortalis hominis funus, immortali vt ita dicam, luctu prosequerentur, effectúmque magna ex parte, vt impiam illam pietatem exuerent, nec, vt prius, lugubri carmine debaccharentur. Impetratum etiam vt lex illa in propinquorum funere templum non adeundi, quam diu insaniens dolor altissimè fixerat, refigeretur. Eorum, qui vulgò sanctorum nominibus, per summã impudentiam blasphemo ore abutebantur, compressa licentia. Huic malo, omnium maximè Catechesis explicatione occursum est: siquidem tenera illa infantium ora impietatem dedocta, sacras sanctorum laudes, quas à nostris acceperant, passim per vicos & compita concinere cœperunt.

BEATÆ Virginis sodalitio iam pridem instituto, sed frequentantium paucitate deflorescenti, suus nostrorum diligentia restitutus decor.

INIMICITIÆ non leues, & in fœdam iam iam erupturæ cædem, sublatæ. Mulier occisi fratris iniu-

iniuriam condonauit Christi amore: ac tum maxime fænerari Deo visi sunt nostri, cum vsus ille, quo publicè iniquissimo fænore pecunia dabatur, publicis refixis tabulis, quibus id confirmabatur, sublatus est. Pari labore, pari etiam exitu, alterius effrenata auri cupiditas repressa est. Quum enim tabellione, ac testibus corruptis, testamentum quoddam supposuisset, magnámque inde argenti vim, vt erat futurum, animo deuorasset; tandem audita criminis grauitate resipuit, succensóque chirographo, conceptum facinus confessione deleuit. Xenedochij domus iam pænè collabens, stipe publica corrogata suffulta.

TROPEIA.

NOSTRO sacerdoti, qui vnus hoc anno sedem hanc incoluit, solemne fuit, vt contentiones & rixas, quæ hîc exoriuntur, extingueret; vix enim credibile videtur, quantopere gens omnis prona sit ad ferrum, ad cædes. Paruæ initio discordiarum scintillę, in tantum persępe incendium exiuerunt, vt non nisi multorum sanguine restringui possent. Effectum tamen Deo duce, vt persæpe multi, sedatis discordijs, pacem amplecterentur.


NOBILIS quidam vir, cum nulla certa coniectura infensum sibi hominem, eúmque ex prima nobilitate suspicatus esset, cognatos omnes, vt sibi cum armis pręstò essent aduocauit; eóque res erat adducta, vt in insidijs posita magna hominum manus, vnum illius præstolarentur aduentum, quò inscij immerentisque hominis sanguinem exorberent; sed attulit, qui vnus poterat, medicinam Deus:

Deus: siquidem eam nostro sacerdoti mentē, eam agendi dexteritatem dedit, vt patefacta re, is qui alterius cædem moliebatur, conceptas iniuriarum suspiciones, depositis armis oblitteraret. Primaria quædam femina sublatum cæde fratrem miserabili carmine lamentabatur; omnem mouerat lapidem is, qui cædem patrauerat, vt sibi ignosceretur, sed frustra: viuax enim mulieris odium, implacabile irarum seminarium nutriebat. Tandem nostri sacerdotis cohortationibus victa, manus dedit, suásque Christo, adhibitis etiam testibus dimisit iniurias. Nouum id ac pænè inauditum ijs in locis, summa omnes præclari facinoris admiratione detinuit: siquidem ea in omnium animis, humani generis hoste dictante, inceffit opinio, vt condonare iniurias, idque publius testari tabulis, minime viros nobiles decere putent.

VENIO ad alia; catechesis explicatio perbellè procedit: iam pueri obscænas, quas à parentibus edidicerant, cantiones dedocti; per vicos & compita non nisi sacros hymnos, sacrásque Dei ac Beatæ Virginis laudes concinere exaudiuntur. Confluunt ad nos confessionis causa non è finitimis modò, sed à maximè disiunctis locis quàm plurimi: nec quisquam ferè lecto ægrotus decumbit, qui nostrum sacerdotem non accersat. Vir quidam nobilis multis varijsque afflictabatur doloribus, nullam noctu, nullam interdiu quietis partem capiebat; tandē id consilij cepit, vt nostro sacerdoti conscientiæ maculas eluendas aperiret: quo facto statim melius habere cæpit, ac breui omnino conualuit. Alterius confessionem peccatorum, animi valetudo ita est consecuta, vt qui anteà omnibus offensioni fuerat, nunc sit admirationi: siquidem

dem cum animi sordes, quas multos annos collegerat, confessione detersisset, scortum, quo cum male vixerat, domo dimisit, mutatúsque in virum alterum, suos amores, sua studia, in tutiorem locum vni Deo seruiens collocauit.

Addam aliud cuiusdam puellæ, quæ nostram Ædem frequentat, facinus sanè pium. Hæc enim cum animaduertisset mulierculam quandam, quæ viro nequissimo famulabatur, ob exortas rixarum offensiones, voluntarium interitum meditari (iam enim ascenderat fenestram, è quà se præcipitem erat datura) cum vi cohibere non posset, humi flexis genibus, factisque ad Deum precibus, quod viribus corporis longe impar nequiuerat, orationis adhibitis machinis impetrauit.



PROVINCIA
MEDIOLANENSIS.

Domicilia habet sexdecim: Domos Professas duas, Collegia septem, Nouitiatum vnum, Residentias quatuor, Missiones duas, Socios autem vniuersim trecentos. Ex quibus numerat Domus Professa Mediolanensis triginta, Collegium Breranum nonaginta, Domus Professa Genuensis vndetriginta, Residentia Pauirani quatuor, Collegium Taurinense duos & viginti, Comense duodecim Vercellense, totidem, Domus Nouitiorum Aronensis sex supra quadraginta, Collegium Montis Regalis tredecim, Cremonense duodecim, Residentia Alexandrina, Ticinensis, Corsica,

Corsica, quinos singulæ Vità excesserunt quatuor; ad Societatem accesserunt decem.

DOMVS PROFESSA MEDIOLANENSIS.

ANIMARVM salus quantæ curæ fuerit nostris, ea quæ sequuntur tùm domi, tùm foris gesta declarant. Plures è transalpinis Hæreticis, vnus ex Vall Telina ad Ecclesię Catholicæ veritatem, per nostrorum Catecheses accesserunt. Gebennensem quendam nec cognatorum preces, nec matris eiulatus, nec vlla terrena commoditas impedire potuit, quominus Catholicam Religionem, relicto hæresum errore complecteretur; conscientiæ stimulis, quibus per triennium in illa secta agitabatur, quodammodo compellentibus. Valle-Telinus autem sui genitoris maluit doloré, mináſque contemnere, quàm suæ saluti deesse. Mahometani duo per nostros primùm instructi, mox salutaribus aquis abluti, nomina Christo Domino dederunt. In audiendis Confessionibus ab ipso vsque vitæ primordio, assiduè, nec sine fructu laboratum; magna in multis facta mox mutatio: multæ sublatæ offensiones, & illecebræ, occasionesque peccandi; multa extinguendis vitijs remedia, multa ad virtutem suppeditata præsidia, multa restincta odia, homicidia impedita multa.

IVVENIS quædam honesta Iurisconsultū litis causa adierat; is libidinis œstro percitus, Nisi pudicitiam, inquit, perdas, litem non vinces: ad quem femina. Corpus hoc, inquit, cui sanctissima hodie Eucharistia insedit, nullo profecto humano

mano contagio violari patiar; fixum mihi prorsus est causa, imò & vita potius, quàm pudicitia cadere. Mirum, quantas vires virtus habeat; perditi hominis repentè immutata voluntas est, & ab insana cupiditate in admirationem virtutis versa, tanto ardentius opem feminæ tulit, quanto ea fuerat in tuenda castitate constantior. Quid multa? & pudorem femina tenuit, & causam obtinuit; vsque adeò non deserit eos Deus, à quibus non deseritur. Decreuerant omnino quidam, consanguineam occultissimè in puteum præcipitem dare, nisi vellet ipsis pro quibusdam fortunæ bonis, vel ipsa reluctante conscientia assentiri; quod facinus nostrorum interuentu impeditum, & res tota composita. Multorum simultatibus per nostros occursum. Nobilis quidam grauissimè vulneratus, hortatu confessarij illico pacem fecit.

Ad vltimum supplicium tres ducendi ex prima nobilitate, nostrorum, quos aduocarunt, adiuti monitis, tanto in morte fuerunt omnibus exemplo, quantæ in vita fuerant offensioni.

COLLEGIVM BRERANVM.

Qvidam diuino instinctus afflatu, Societati nostræ se adiungere cogitabat, nescio quas tamen nectebat moras, licet maioribus in dies stimulis, quæ diuina bonitas est, vrgeretur: hunc aliquando tanto rerum spiritualium tędio affecit dæmon, nihil vt quietis illum, aut voluptatis capere fineret: tanto etiam erga nostros horrore perfudit, vt ne aspicere quidem nos, nisi toruè, & cum qua-

quadam animi, ac sanguinis commotione posset, adeò vt in posterum, nec quemquam nostrorũ alloqui, nec gymnasium adire, nec confessarium vltrò aspicere statuerit. Verum cum se cõtinere non posset, quin cum discipulo è nostris, quem præcipuo affectu complecti solitus erat, rem hanc aperiret, cúmque ab eo fallaciam dæmonis esset edoctus; repentè nubes illa euanuit, & pristina obseruantia in omnes de Societate nostra, simul cum animi tranquillitate redire visa est: nihil vt habuerit antiquius, quàm in eandem illico Societatem adscribi.

Qvidam qui virtutum omnium exercitatione animum mirificè excolebat suum, incepit interdũ infestissimis eisdem, atque inpurissimis cogitationibus pulsari: qua in molestia (quâ nullum cruciatum maiorem existimabat sibi accidere posse) vnum è nostris patribus supplex adijt, remedium oraturus. Pater blandè eum consolatus bono animo esse iubet, eique particulam donat vestis vnius sericæ, quâ B. Virginis Lauretanæ simulacrum circumamictum fuerat. Mirum quantum castitatem tuentibus Virgo opituletur, quantúmque non fallat eorum fiduciam, qui in eius patrocinio conquiescunt. Digito serica illa fila alligauit magna cum pietate adolescens, omnisque turpium imaginum cohors repentè discussa est, pacatissimo remanente animo, & ad castimoniam seruandam mirificè accenso.

Qvidam imaginem S. Ioannis Baptistæ, quæ in Templo nostro ad dexteram altaris B. Virgini dicati depicta est, visere quotidie solitus erat, Diuóque sua vota peculiari pietate fundere; huic (quæ adolescentium instabilitas est) cupiditatibus fræna laxanti,

laxanti, nocte quadam intempesta, per somnium S. Ioannes Baptista apparuit, ea prorsus specie, figuráque oris, & corporis, qua in sacro Templi nostri pariete depictus erat; acritérque illi peccatorum admissorum turpitudinē obiecit, in eundem magna vi, & execratione inuectus, & vt ad meliorem frugem se quàm primùm conuerteret, suadens. Hæc tam cælestis, & tam grauis reprehensio, ita adolescentem percellebat, & ab imo corde euertebat, vt tanta verborum fulmina ferre non posset; sed ruboris plenissimus lacrymas, & singultus vberrimè, & creberrimè daret, inter quos rupta voce altè exclamare cæpit, mugitibus similes sonos edens: quibus tota domus excitata, ipséque demum solutus somno est. Rubore interim totus, lacrymisque suffusus, silentio pressit quæ viderat, & nescio quem dolorem cordis simulans, vbi domestici abscessissent, eadem hora noctis seminudus se in terram, simul & in preces abiecit; conscientiaque ad multas horas excussâ, & ad primum lucis exortum expiatâ, vitam sanctè instituit, per sacramentorum frequentiam ad omne se virtutis genus comparans, & exercens. Tanti interest sibi, pijs obsequijs amicitiam conciliare Sanctorum.

NEC domi solùm intra sodalitiorum parietes, sed etiam in triuijs miro cum fructu habitę à nostris Collegialibus conciones, illicóque turmæ confitentium ad nostra templa adductæ; quas ad conciones cum quidam nobiles constitissent, zelum & charitatem dicentium admirati, moderatorem Collegij adierunt, & obnixè, vt suis villis tales iuuenes ad huiusmodi conciones concederent, postularunt. Quod non semel vacationum tempore obtinuerunt, fructu sane non pœnitendo.

Devexa, atque adeo fessa ætate senex quidam ex agresti villa, multis ab vrbe milliaribus, ad nostrum Collegium venit; vnum è nostris Patribus accersit, cum quo rem ad deliberandum difficilem communicauit. Multis ab hinc annis, inquit, puellarum turbæ, quæ diebus festis ad templum doctrinæ Christianæ causa confluunt, præfectus sum à Parocho; curęque meæ demandatum est, vt eæ frequentes conueniant, & catechismum ediscant, vt modestè se gerant, nemo vt eas interturbet, nec exiguus hactenus extitit fructus: Nuper autem tres perditis, corruptisque moribus adolescentes, aliquas ex his puellis in ipsum templum persequuntur, assident, impuro nutu gestúque illarum honestatem, ac modestiam pertentant; nec, quamuis ego illos moneam & increpem, à scelere desistunt; insuper etiam minas iactant, & vitæ insidiantur meæ. Quare cum hanc amentiam ferre æquo animo non possem, contrà vero extremam hanc senectutem meam Deo dicatam planè esse velim; venit mihi in mentem optimum fore, si relicto rure Mediolanum me transferam, & xenodochio alicui vtcumque inseruiam: hanc tamen cogitationem probaturus, an ex Deo sit, huc accessi, & consilium humiliter peto. Pater collaudata senis sedulitate, ac virtute, vbi rem attentiùs considerasset, respondit; nullo modo videri, vt solum mutet, curámque illam, tot licet emergentibus difficultatibus, deserat: quin potius illas pro sua prudentia patienter, & constanter superet, labores hos Deo fore acceptissimos; non deesse Mediolani, qui xenodochio inseruiat, defuturum autem qui puellas illas erudiat, & custodiat; quare ne dubitet in incepto perseuerare Deum

enim

enim de petulantibus illis iuuenibus pœnas ſine dubio ſumpturum. Abijt ſenex tranquilliore animo, & quaſi accepto, vti poſt dicebat, oraculo; nec illum fefellit exitus; cum enim tres illi homines inſanire pergerent, paucos poſt menſes accidit vt vnus, furto admiſſo, ſuſpendio damnatus; alter exul ob multa crimina factus, ſclopis in publica via interfectus ab inimico ſit; tertius eiectus à ſuis erret incerto ſolo, incertaque'fama. Quo euentu bonus ſenex in memoriam reuocans, quæ à noſtro Patre dicta fuerant; agnouit & prædicauit diuinæ prouidentiæ, iuſtitięque vim maximam. Illud vero percommodè accidit quòd ille Pater ex noſtris, qui conſilium dederat, cum caſu in eam villam ad concionandum acceſſiſſet, agnitus à ſene ſit, & palam laudatus: quæ res magnam ei opinionem conciliauit, & ſatis aptam ad animorum fructum viam aperuit.

MISSIO NO-VARIENSIS.

DOMVI Profeſſæ, & Brerano Collegio miſſionem Nouarienſem iungamus; iunctis enim quodam modo copijs vnus ex Domo ſacerdos, alter ex Collegio in hanc expeditionem iuêre. Quanto minus illis in oppidis noſtri homines noti erant, tanto maior extitit admiratio, & fructus; & par fructui de noſtra Societate opinio excitata eſt. Ad cõfeſſiones tanti fiebant quotidie concurſus, vt noſtri prima luce aures darent, nec ſe ad meridiem vſque loco mouerent, ita vt ſtudio perſæpe tempus fallente, ſacri dicendi hora, & occaſio

 præteriret.

præteriret. Certabat pœnitentium studium cum Confessariorum sedulitate: nec illi se quidem loco mouebant vel maxima ingruente pluuia (Sacellum videlicet vbi Patres sedebant, non secus ac si impluuium esset, magnam vim aquę ruptis tegulis excipiebat) vt proximus quisque quàm primùm expediretur, idque cum magna significatione doloris. Vidisses non tam pluuia vestes, quàm ora lacrymis madida. Concionum verò tantus ardor, vt quibusdam in oppidis vix vllus relinqueretur, quin vitæ crimina à prima ætate repeteret: vt multæ pellices vetitos toros perosæ sint; vt inter plurimos inueteratæ inimicitiæ finem inuenerint, simultatum auctoribus, pace facta, ad confessionem concorditer euntibus, cæterosque factionum sectatores quasi examina ducentibus: vt paciscendi, & contrahendi iniquitas ad ius, modumque legitimum reuocata sit: vt denique magna morum mutatio, & noua quasi rerum facies esse cœperit.

ILLVD vero memorandum in primis: quòd perniciosus quidam, qui inoleuerat, mos exercendi in diebus Pentecostes choreas, quod non sine magno christianę pietatis detrimento fiebat, sublatus est. Occasio fuit eiusmodi; In his choreis quiddam accidit, vndè homicidium consecutum, ac per summum sacrilegium in templo quodam admissum est; hoc templum sanguinis effusione profanatum, dum sacratur iterum atque expiatur, noster Concionator extrema oratione, accerrimè è suggestu in pessimam illam consuetudinem, quæ vt plurimorum, sic etiam huius mali stirps fuit, inuectus est, minatusque cœlestem, eamque seueram admodum vltionem, nisi omnis populus scelus illud nefarium, licet ab vno commissum, communi

muni tamen pœnitentia elueret; nullam autem fore meliorem, quam si choreæ illæ in perpetuum abolerentur. Id tanto animi ardore dixit, vt mirum populo terrorem incusserit. Accessit siue casu aliquo, siue certo Diuinæ Prouidentiæ consilio, quòd statim à concione cœlum, quod antea serenum prorsus erat; nigrantibus repentè nubibus vndequáque opertum, crebro micante fulgure, horrendóque sonitu mugiente, magnam vim tempestatis effuderit: qua sic perculsi omnium animi, vt de choreis in perpetuum abolendis, eodem die publico consilio, communi consensione decreuerint.

QVIDDAM ad extremum sempiterna posteritatis memoria dignum subiungam. Puella quædam nostrorum aduentu, multum putatur roboris ad constantiam, multum ardoris ad pietatem, multum lucis ad omnem viuendi perfectionem concepisse. Hęc iam tùm nubilis, non summo illa quidem loco nata, summa vero virtute prædita, vtróque parente orbata erat; modestia in primis formáque præstanti, altera alteri decorem addente, enitebat. Veste vtebatur lacera, & pannosa, rudi vitta incultas in simplici linteo stringebat comas, ipso tamen neglectu, & incultu conspicua magis, ruinosa in ædicula sola se continens, acu & colo vitam inopem tolerabat. Huius pectus magnus Dei amor, peccati odium, & vero maximè pudicitię tuendæ studium occuparat. Ergo illam nocte quadam nondum concubia, inflammati libidine, armatíque non tam ferro, quam scelere iuuenes obsedêre; vocibus primùm, & clamoribus castissimas aures, mox ictibus, atque impetu facto ostium quassant, virginem per summum nefas raptum: Puella exalbescere primò, pauere, & quid consilij capiat, ignora-

ignorare; ætatis infirmitas, paupertas, solitudo timidam faciebant; male materiata domus vndique admittebat insilientes, fores iam iam effriugebantur, plena omnia tumultu, & periculo. Sed nunquam inops consilij virtus, nunquam non fortis diuinus amor: vbi sensit nihil esse propius quam vt scelesti amatores fores irrumperent, è fenestra in tectum, è tecto in campum se præceps demittit; gressúque quantũ poterat occulto & citato, iuuantibus tenebris longissime proripit, dum ad vicini fluminis ripas perueniat; vbi cum vlterius progredi neque nox neque flumen paterentur, tota nocte sub cœlo constitit, saxóque insidens ad murmur aquæ tantum soporis cepit, quantum & perturbatio mentis, & noctis frigus permisit, quousq; appetente luce, elusa impurorum libidine, domum redijt.

PRIMAM victoriam non ita multò pòst alter nobilitauit periculosior fortasse congressus; Vir enim quidam nobilis eius forma illectus, cum eam domum suam nescio quo astu aduocasset, in conclaui obseratis foribus clausit, infelicissimam optionem illi permittens, vt aut libidini obsequeretur suæ, aut fame inibi moreretur. Nuptæ Susannæ plane similis Virgo, nisi quòd diuersæ vtrique minæ si scelus recusarent, illi famæ, huic famis intentabantur; sed didicerat Virgo prima in victoria mortem contemnere, & se rebus præclarè gestis virtus intenderat, ac fiebat maior. Quare non difficilis fuit deliberatio; audenter confirmat certum sibi esse, fame potius vitam perdere suam, quam libidinem saturare alienam. Mirum dictu: tres dies, ac totidem noctes sine cibo mansit; qua constantia scelestus ille fractus, cupidinem in venerationem vertit, & intactam, illibatamque
domum

domum remisit: sed nimirum in occulto hactenus virtus mansit, nocte & penetralibus tecta; exerat se necesse est, & in lucem conspectúmque omnium veniat. Tertium iam ad Virginis pudicitiam expugnandam adornatur scelus; Impurus, atque audax adolescens, vbi illam aggressus, delinire blanditijs non potuisset, vim afferre tentat; enimuero indignum id rata Virgo, nec existimans vim inferri posse virtuti, cum viam repellendæ à se labis non inueniret, cultrum, quem fors obiecit, arripuit, & quanto potuit conatu in amplexantis pectore infigens, infamem illum nexum ferro præcidit. Iudex cum de more quæreret è saucio, quisnam illi vulnus dedisset, fœminam vti res erat detulit; quæ ad quæstionem adducta crimen iudici, si crimen fuit, simpliciter, & causam aperuit. Iudex, non diffitente altero, & pudicitiam, & magnitudinem animi in Virgine admiratus, verbis factum cohonestans; Age, inquit, si rursus te fuerit adortus, profundioré impone plagam: quæ nunc fers laudem, tunc feres præmium. Ita tot, ac tam illustribus Virgo hæc nobilitata victorijs, suo in flore perseuerat, omnemque aggrediendi audaciam hostibus pudoris ademit.

DOMVS PROFESSA, ET COLLEGIVM GENVENSE.

DECIMO quinto Kal. Nouemb. quod Collegium ante erat, Domus Professa facta est, conducta in alia vrbis regione aliena domo, in quã Collegium commigraret. Auctum gymnasium no-

bilium numero, augendum etiam numero doctorum, qui maiores disciplinas profitentur. Ceterum præter ea, quæ in prioribus ædibus gesta sunt ad Dei gloriam, non exiguus etiam excursionis cuiusdam in vicina oppida, & villas fructus fuit; mirus ad Dei verbum concursus, sparsi per montes ad pascua rustici turmatim, vbi æra sonuissent, ad sacras ædes descendebant; in quibus totus dies peragendo sacro, habendo sermone, explicando catechismo, confessionibus audiendis, erigendis ad doctrinam christianam Sodalitijs insumebatur. Illud memoria dignum. Quidam ex montis cacumine nonagenarius senex, miræ simplicitatis, atque candoris, lento gradu ad templum matutinus se tulit; insolita Sacramentorum administratione, & eximia specie pietatis delectatus, sic nostrum sacerdotem compellat: Eia, inquit, Pater bacillum vides, cui hoc corpus innititur, fulcris iam opus est, nihil est propius, quam vt ruat domus; animam igitur hanc instruas, vt ad cœlum velox, si Deus annuerit, subuolet. Pater blandè hominem excipiens, quiddámque solito magis in rustico sene animaduertens, multa de virtutibus illius, ac pietate rogare cœpit; prçter alia vero vnum illud altè senis animo insedisse reperit, vt mors illum quàm paratissimum offenderet: quod vt non solùm interdiu, sed noctu etiam bonus senex animo volueret, ne fessum somnus altius opprimeret, gallum dicebat se, vt in cubiculo lecto proximus dormiret, assuefecisse, qui noctis vigilias distingueret, & profundè dormientē suo cantu ad mortis memoriam, diuinásq; laudes identidem excitaret. Vsque adeo Deus, vbi vult, spirat, & in agrestibus etiam siluis frugiferas arbores aut enasci iubet, aut inseri.

HVIC

Hvic illud etiam affine. Rusticus quidam Paterfamilias inopia rerum omniũ pressus, vix labore assiduo tantum lucrabatur vt domum sustineret; erat pietati maximè deditus, & ædificationem templi ad diuinum cultum augendum, vehementer promoueri expetebat; ad quam cum miser nec pecuniam conferre posset, nec diurnam operam, quippe sustinendæ familiæ pernecessariam (vide quàm ingeniosa sit pietas) aliquot ex nocturnis horis somno detrahebat: quibus ad templum currens, & campanarum pulsu aliquos exciens, lapides, ligna, cæmenta per sublustres noctis tenebras subuectabat, aliquáque, quæ vsui forent magistro murario, præparabat, quò ædificium celerius surgeret, ipséque pro sua parte opus iuuaret; quæ vbi perfecisset, in ipso templo se vsque ad auroram dabat in preces, qua surgente agriculturam repetebat: dignus profectò cui terra liberaliter ad alendam familiam fruges ferat, qui tam piè singulis noctibus cælum colat.

Accedentivm ad confessionis sacramentum numerus maximus, & frequentia tanta fuit, vt obiecta trabe coercendi essent ne sacerdotem opprimerent, profestíque dies, soluti operis festi viderentur. Nulla diei pars laboribus vacua; antemeridianum tempus missa, concione, confessionibus, Eucharistiæ communicatione; pomeridianum vesperis canendis, doctrina christiana, pacificationibus; vespertinum processionibus, ac pijs sermonibus insumebatur, opere opus premente, vix vt sufficerent vires, aut dies. Nec nocti sua pars curarum, & laborum deerat; tantus erat confitentium numerus, vt domum etiam, & conclaue, nedum templum confessionis causa obsiderent

derent. Inanes ac lasciuæ choreæ disturbatæ penitus; indicio est, quod cum die quodam dominico in siluam trans flumen solemnes choreas locauissent, vbi longe venientem sacerdotem nostrum, qui id resciuerat, conspexissent; illico taciti, fidibus & fistula repente obmutescentibus, huc illuc dilapsi sunt: quos tamen nôster quasi ioco reprehendens, & vnà recolligens, secum cum musicis ad canendas vesperas duxit. Effectũ est vt oppidum duas in factiones discissum, in quas vicina etiam oppida, magno illius loci damno, dissidentibus animis conspirarant, in pacem, stabili, vt speramus, concordia rediret. Et hęc foris. In vrbe vero prout ciuium pietas, & solertia ingenia requirunt; omni animorum contentione nostris ministerijs institum est. Domus etiam, quæ nouitijs extruitur, non parum creuit, vt non multo post speretur, Deo fauente, habitationi commoda fore.

COLLEGIVM
TAVRINENSE.

LABORATVM est impigrè, cùm in ciuium procuranda salute, cùm in finitimorum oppidorum incolis iuuandis, qui fama Societatis permoti nos adeunt, fructúsque referunt non pœnitendos. Ex hoc numero fuit mulier, quæ in confessione nullum lacrymandi finem faciebat, præteriti pertæsa temporis, quod ad eum vsque diem, cælestis viæ ducem ac magistrum, vt in votis habuerat semper, inuenisset nunquam. Confessiones generales multæ auditæ eorum, qui quadraginta iam annis huius sacramenti ope indigebant;

Qua

Qua in re illud opinionis, quam de nobis conceptam habent, non vulgare argumentum; quod cum serio de vita mutanda, ac de pœnitentia cogitant, ad nos veniunt, quamuis antea sibi ignotos.

ALIA item mulier, quę doctrinę Christianæ interfuit explicationi, tanta se illicò ardore sensit non animi solùm, sed etiam corporis corripi, vt se flammis comburi iactaret, &, licet perfrigida tẽpestate, æstiuam etiam vestem vix ferret, quietis planè impatiens, somni nihil ferè ea nocte cepit, vitæ suæ noxas animo repetens; summo manè cum apud se animo statuisset peccata ritè confiteri, & domo vellet abscedere, oculis fermè capta, domus ostiũ haud poterat reperire, ex vno in aliud cubiculum amentis more cursitans: mox dolum communi hostis animaduertens, in preces effusa, quasi è somno vigilans ianuam reperit, templũ ingressa nostrum eum inuenit sacerdotem orantem, à quo doctrinæ christianæ audierat explicationẽ, ad cuius procumbens pedes, suspirijs lacrymisque abundè manantibus, interruptis vocibus opem auxiliumq; implorabat; de se ac de sua salute actum identidem repetens, nisi sibi subueniretur, quod ad eam vsq; diem belluinam plane duxisset vitam, in omni fermè flagitiorum genere volutata, nec satis sciret quam habuisset fidem. Bono animo esse iussa à sacerdote, ac peccata sua ritè expiare, octo dierum spatio cum lacrymis quotidie animi sordes egessit, tanto animi sensu ac dolore ob commissa peccata, vt non calcaribus ad contritionem concipiendam, sed fræno egeret, nullam dictitans tam grauem pœnam reperiri, quæ tot purgandis sordibus par esset. Nec ad virtutem probandam perennis hostis defuere artes, incursusque non vulgares, quibus teneram

adhuc

adhuc in virtute mentem labefactare, tum per se conabatur, tum per domesticos, qui tam repentinam mulieris mutationem admirati, pio animi proposito aduersabantur: sed omnibus tandem superatis difficultatibus cæptum tenuit iter, & nunc octauo quoque die confessionis, ac sacræ synaxis sacramenta piè admodum obit, surgitque quotidie de multa nocte ad orandum Deum, ac nullum interea finem facit doctrinæ pueris tradendæ institutionem probandi, cui salutem suam acceptam post Deum refert.

Alia mulier cùm periculosas auersata familiaritates virorum, sęculi vanitati nuntium remisisset, vitęque rationem nouam frequenti Sacramentorũ vsu instituisset, tam multis cæpit à dæmone vexari molestijs animi, vt nullá nec diurnæ, nec nocturnæ quietis partem caperet, plurimáque contra huiusmodi morbos tentata remedia caderent in irritum: tandem magno fidei ardore, vt ei à Confessario demandatum erat, ad dæmonem conuersa, Age igitur, inquit, teterrima bellua, facesse hinc in barathrum, tuis ego consilijs parebo nunquam. Mirum; hisce verbis ex obedientia prolatis curæ omnes, quibus agitabatur, illicò recesserunt. Multarum pudicitiæ, quæ in lubrico erat, consultum: plurimæ item mulierculæ, quæ corpore quæstum faciebant, è cœno flagitiorum extractæ, in tuto sunt collocatæ. Inter has vnius enituit virtus, apprimè casti propositi tenax; ex nostrorum consilio, cum ab honesta vidua domo fuisset recepta, nefarius quidam libidinis impatiens, de multa nocte cum armatis domum sepit, vimque parat; iámque occlusi ostij valuis effractis, nequaquam muliere reluctante pedem inferebat, cum infelix femina

mina opis æque, atque consilij inops, auxilium implorans, tantis vocibus viciniam conciuit, vt perditus adolescens fuga saluti suæ consulere coactus sit. tantúmque valuit conatus ille ad insanientis animi audaciam frangendam, vt eius constantiam ausus non fuerit, ne tentare quidem deinceps; estque cum alijs, quæ è flagitiosa vita emerserunt, tam firmo in pudicitia seruanda animo, vt miseram potius vitam pane, & aqua certum sit ducere, quàm ad priores relabi sordes.

Ad sontes quóque morte plectendos, nostrorũ manauit industria; ex his cum quidam adduci non posset, vt mortem æquo animo obiret, ac peccata confiteretur; mox confessarij verbis, atque adhortatione ita in alium mutatus est hominem, vt expiatis confessione peccatis, totam noctem insomnem precibus traduxerit, & quidquid diei sequentis ad suspendium vsque fluxit. Viri nobilis filia cum diu multumque ęgra iacuisset, frustra plurimis adhibitis remedijs, cum se intimo animi affectu B. P. N. Ignatio commendasset, ac eius etiam vestis particulam à confessario acceptam de collo suspendisset, mox recepit incolumitatem. Vxoris pudicitia venerat apud maritũ in suspitionem, non sua quidem culpa, sed procaci ausu viri nobilis, qui marito absente, rustici habitu clàm in domum à serua, auro corrupta intromissus, cum armatis ad cubiculum dominæ penetrarat; sed irrito conatu, mulieris constantia repulsus: id vbi maritus resciuit, vt est in eiusmodi re semper in deterius suspicax hominum ingenium, expugnatam pudicitiam vxoris ratus, iniuriæ impotens, quam vlcisci aduersus sollicitatorem non posset, in vxorem efferatus venenum miscet; vbi non succedit ferrum parat,

rat, sed commodè vnius è nostris interuentu ferrum è manibus extortum, ac multis delinitus rationibus, vxoris præsertim integritate, quam vt certius haberet perspectam documentis curatum est, tandem in gratiam redijt.

Cvm destinatus concionator huic nostro templo, aliò missus fuisset, nec spes esset alium per Quadragesimæ tempus substitui posse, ex tempore alius licet imparatus, prouinciam coactus est suscipere, ad tuendam Societatis existimationem; cui non vulgaris inurebatur nota apud Serenissimum Ducem, vrbemque vniuersam, si templum concionatore caruisset. Onus videbatur non satis firmæ eius valetudini longè impar; sed diuinæ placuit bonitati, & vires & verba dare Euangelizanti: tenuit cursum feliciter, estque concio celebrata tum auditorum numero, tum nobilitate Senatus, Magistratuum, ac illustrium virorum ex flore vrbis. Dux ipse Serenissimus vltrò, non inuitatus, non semel adesse voluit, præsertim vero cum instaret Serenissimorum Principum in Hispaniam discessus; a concione sacro interfuit, dum eo in altari eius nutu fieret, in quo Sanctissimorũ Martyrum ex Illustrissima Thæbeorum legione Solutoris, Aduentoris, & Octauij corpora religiosè asseruantur. Ab ijsdem patronis, liberis suis in Hispaniam profecturis, secundum precatus est iter, & precibus, & insigni munere, calice argenteo, candelabris duobus ex argento affabrè factis, palla item ex villoso holoserico purpureo, in qua trium Martyrum imagines opere phrygio pereleganti exprimuntur, cum casula quoque ex eadem veste auro ornata, trecentorum fermè aureorum sumptu: vt præter cetera non vulgaria merita in ordinem

nem nostrum, monumentum illud tùm suæ, tùm liberorum beneuolentiæ erga Societatem, apud nos esset sempiternum.

AVDITORVM porro frequentiæ respondit fructus; Quidam, vt acceptam iniuriam inimici deleret, multos iam annos à peccatorum confessione abstinebat, veneratque in hanc vrbem eo consilio, vt cædem faceret. Is cum de iniurijs in Christi gratiam condonandis concionatorem audiret differentem, ita commotus est, vt statim à concione ad pedes confessarij accideret, ritéque expiatus, & vltionem remiserit, & in gratiam cum aduersario redierit. Pecunia non leuis momenti dominis restituta; inter duas familias acerbissima odia penitus restincta. Aucta domus sacra supellex piorum liberalitate, tùm veste auro argentóque intertexta, pallis duabus, totidemque casulis conficiendis: tùm bino conopæo ex holoserico damasceno, purpureo altero, altero candido, auro argentóque mire variato, pixide præterea pregrandi. Nec minori hæc omnia stetere, quàm trecentorum aureorum pretio.

MISSIO LV-
CERNENSIS.

DVo ex nostris Sacerdotibus in Valle Lucernensi Summi Pontificis mandato, & Ducis Serenissimi impensis, in vinea Domini excolenda laborant iam pridem. Ibi cum quidam ex interiore valle hæretici à ministris incitati, plerisque Catholicis, & præcipuè Ecclesiasticis cædem, ac bonorum direptionem intentarent; nostri sacer-

dotes,

dotes, quibus illi infensissimi sunt, non rato adiere vitæ discrimen. Quo die festo noster sacerdos in pagum quendam venerat, vt Catholicis Missam faceret, & de more concionaretur, dum se ad sacrificium comparat, ecce nuntius, adesse propiùs grassatores illos Hæreticos, ad templum conuolare; ecce secundus nuntius, ecce tertius vno pænè momento, vt perniciossima fuga vitæ consulendum fuerit; atque tum quidem alta niue omnia obsessa erant. Eodem tempore multa incommoda perpessi sumus, cum singulis noctibus in varias amicorum ædes ad dormiendum, vt hostes lateremus, commigrandum esset, lectis, & reliqua etiam supellectile magna ex parte comportatis; Nec facile fuit qui illos exciperet inuenire; tantus omnium Catholicorum animos occupauerat terror istorum Hæreticorum.

INTERIM ad nostros sacerdotes Taurino Archiepiscopi litteræ afferuntur, quibus monebantur, vti prudentia vterentur sua: Serenissimo Duci placere si opus esset, vt in aliqua tutissima oppida extra vallem tantisper secederent. His acceptis litteris sacerdos noster, qui missioni præerat, re Deo prius commendata, & cum altero sacerdote consultata, decernit, ne diutius amicis molestiam exhiberet, ex oppido ac valle ipsa proficisci; statim adornat profectionem; inchoata iam erant cineralia ieiunia, quo tempore quotidie sub vesperum solitus haberi sermo. Eo igitur absoluto, noster sacerdos discessionis suæ consilium exponit: & omnibus peramanter salutatis, postridie mane abiturus domum se recipit, obortis interim multorum, tùm virorum, tùm mulierum lacrymis. Vix Pater se domum receperat, cum se ad recitandas matutinas

tinas horas compataret: dimidia circiter hora solis post occasum, ecce tibi virorum ingentem multitudinem Patrem accersentium: adlegant primùm iurisperitum virum nobilem, qui totius communitatis nomine Patrem oret ne discedat: tum singulari affectu impellente, obsecrare. supplicare ne se deserant; aduersus hęreticos polliceri excubias, quæ illos dies, noctesque custodiant, si omnino velint discedere, sibi quoque constitutum domicilium aliò transferre.

Hic primum Pater gratias agit de tanti amoris, & humanitatis significatione; dein quod rogatur libenter concedit, & de profectione consilium abijcit: quas pollicebantur excubias nullo modo admittit, sed rogat vt rationem aliquam ineant, qua sine tanto ipsorum incommodo & sumptu, ipsi & nos tuti esse possimus; peruincunt ipsi. Itaque eadem nocte domus, in quam se Pater receperat, cæpit arcis more custodiri multis militibus, nec noctu solum, sed interdiu quocúnque Patres exirent, eos præibant aliquot, ac ponè sequebantur armati Catholici. Contigit quadam die vt viginti quatuor circiter ex hoc sicariorum numero in pagum deuerterint: in media pagi platea propè nostras ædes offendunt armatorum manũ; causam sciscitantur (quam tamen non ignorabant, vtpotè qui, per certos exploratores hæreticos, quidquid in tota valle fieret, certiores statim redderentur) respondetur, ad Patrum custodiam illam militum manum collocatam. Verbis aliquot hinc indè factis parum abfuit, quin Catholici superbiore aliquo hæreticorum responso lacessiti, cum illis conflixerint; Fit certior de re tota sacerdos noster, monet Catholicos eo die vespertino sermone posse

ne posse supersederi, ne quid grauius accideret; iam enim primo campanę pulsu de more ad sacellũ populus conuocatus fuerat. Respondent Catholici secumac catholicè velle viuere, proinde, coram illa manu hęreticorum, velle se etiam illud Christianæ pietatis opus illo die obire: ad sacellum discedit Pater, cum ad centum circiter Catholici egregiè armati, & animati comitantur, recitantur litaniæ, sermo inchoatur. Hæretici, qui è regione sacelli in proximæ ædis atrio morabantur, visa Catholicorum constantia, & multitudine; cum primùm polliciti essent Syndico, & aliquot Catholicis, quibuscum colloquebantur, nihil se mali Patribus, nihil illi pago illaturos, silenter bini, & bini discesserunt.

TRES aut quatuor, abiurata hæresi, hoc anno Catholicæ Ecclesiæ se aggregarunt. Inter hos vir fuit sexaginta circiter iam annorum; hic salutationem angelicam, & Crucis signum, quæ à puero, dum Catholicè in tota valle viueretur, didicerat, nunquam intermiserat; narrabat hic, duabus nostri Patris auditis concionibus, conciones ministrorum à nostris valdè diuersas esse, hoc maximè, quod vitia nunquam reprehenderent, ad virtutem nunquam cohortarentur. Disputatum sępius cum hęreticis publicè etiam, & frequenti corona, & æstate quidẽ frequentius post cœnam, dum in platea Catholici mixti hęreticis auram captant, & familiares miscent sermones; magnum ex huiusmodi disputationibus Catholici & gaudium, & fructum pêrceperunt; profligatis ita hæreticorum omnibus argumentis contra Catholicam veritatem, vt obmutescerent. Hortati sunt vehementer nostri, tùm publicè in concionibus, tùm priuatim, ad frequentem

quentem vſum ſacramentorum; & cum dies aliquis feſtus ſolemnior inſtaret, miſſo ſeruo per ſingulas ferè ædes. Deo laus glacies inde cæpit diſſolui. Plures hoc natali Domini communicarunt, quàm frequenter ſolent in Paſchate. Dominica infra octauam Corporis Domini, noſter ſacerdos in ſacello toto die exponi voluit ſanctiſſimum Sacramentum, quod toto anno exponi nunquam ſolet, nec aſſeruari quidem in pixide. Ornauit egregiè ſacellum: mane abſoluto ſacro, circumlatum eſt per viciniorem, & nobiliorem pagi partem ſub vmbella, magna comitante populi multitudine: concurſus fuit ad ſacellum tantus, vt ad multam noctem patere neceſſe fuerit. Data opera eſt vt vbique Chriſtianæ doctrinæ habendæ ſtudium, quod planè iacebat, erigeretur. Diſciplinatorum congregationes vbi olim fuerunt, reuiuiſcunt; Societates etiam, quas vocant Sanctiſſimi Sacramenti, & Roſarij renouantur; templa, ſacella reparantur, & ornantur; ad quæ omnia noſtri non verba tantùm, ſed operam, & partes eius eelemoſinæ, quę ad ipſorum ſuſtentationem à Sereniſſimo Duce ſuppeditatur, contulerunt.

COLLEGIVM
COMENSE.

SCHOLÆ augentur in dies numero diſcipulorum. Tres ſunt congregationes ſanè frequentes, prima nobilium virorum, diſcipulorum altera, tertia opificum; ex his ſingulis fructus ad Dei gloriam magnus. Cęnobia Virginum, quę Comi plurima, adiuta & expiata confeſſionibus; iuuantur

etiam in dies adhortationibus nostrorum, neque Cænobia tantùm, sed vrbs reliqua; septem in templis assidua Christiana doctrina traditur; pauperes qui, ære alieno oppressi, in carcere detinebantur, opera nostrorum subleuati. Ciuitas vniuersa mirum quantum Societatem nostram amplectitur, & colit.

COLLEGIVM VERCELLENSE.

EX discipulis duo in nostram Societatem, alij in alias religiosas familias admissi fuere; Conuictorum Collegiũ iam omnino dilapsum, nostrorum diligentia restitutum; mulier à viro per aliquot annos malè accepta, mortis etiam terrore adiecto, nisi sui copiam nonnullis faceret, nunquam se de virtutis statu, dimoueri passa est; sed morti paratissima, quò constantior, propositíque in dies esset tenacior, crebrò Sacramenta obibat, quæ animosiorem & fortiorem illam semper dimittebant. Quidam singulas Beatissimæ Virginis effigies, de via salutare peculiari sibi precatione consueuerat; Exceptus ergo insidijs aliquando ab inimicis, ad matris pientissimæ opem supplex confugit, nec frustra; nam vario ictu concisis vestibus, ipse tamen euasit incolumis: posteà nostri Patris hortatu, cum inimicis in gratiam redijt. Nobilis quidam vir per tres & viginti annos pellicem occultam tenens, nullius vnquam suasu & auctoritate, ab illa abstrahi se passus fuerat: noster, quod separatione obtineri non poterat, coniunctione perfecit, maxima totius ciuitatis cum admira-

admiratione & plausu, ipsismet exilientibus propè gaudio, quod ex antiqui hostis faucibus erepti fuissent, eo potissimum tempore, quo vehementius suauem diuini numinis vim repellebant.

MORIBVNDÆ feminæ sacerdos quidam è nostris adfuit, quæ per annos complures, varijs ex doloribus grauiter laborans, decumbebat; Hanc in sacra expiatione veram Dei famulam comperit, quæ mirum in modum ex diuina voluntate cruciatá se tot angoribus fuisse lætabatur; quippe cui dominicam orationem percurrenti, religioni esset verba illa proferre, Sed libera nos à malo, quod putaret se illis verbis à Domino petere, vt tolleretur dolor, quem ipsa amplificari potius vellet, quàm minui: itáque Christianæ fiducię plena obijt, nostrorum nunquam officio destituta. Nostra opera adiuti nonnulli tum viri, tum feminæ, ex pellicatu emerserunt, edocti quanam potissimùm ratione vitæ castimoniam sectari possent; ex quibus mulier, quæ per viginti vnum annos voluntario crimine obstricta, à sacra tamen pœnitentia & synaxi nunquam destiterat; quæque, scelus vlciscente Deo, dum sacra hostia tolleretur, eam, quodam quasi velo obductis oculis, videre nequibat, etsi reliqua omnia circumquaque posita cerneret: hæc generali confessione expiata à nostro sacerdote, omni sublato velo, pristinum, eundémque gratissimum recuperauit aspectum.

AB altero lucuplete viro, cum pellex nec amicorum suasu, nec eorum, quibus obtemperare tenebatur, auctoritate abstrahi posset, noster in eius se, data opera, consuetudinem insinuauit; paulatimque effecit, non solùm vt feminam à se ablegatam benè collocaret, sed vt pecuniam, quam

antea in eandem flagitiosè profundebat, mox in Christi pauperes sanctiùs, ac religiosiùs erogaret. Quædam verberibus adigebatur ad facinus, cuius causa cõfessarius, cum eius expediendæ ratio nulla inueniretur, cæpit verberibus sibi sponte inflictis Deo supplicare; verbera priora exitio, hæc saluti fuere, siquidem Deus occasionem obiecit, qua aliò commigrans & locum, & scelus reliquit.

TENTARAT sæpius multiplici ratione virginem quandam pagi vnius Dominus, qui cum nullis illam flectere neque pollicitationibus, neque minis posset, ingenti munerum vi, patri vt sibi ad flagitium traderetur, persuasit; hic verò, ipso nequior dæmone, per mensem varijs eam rationibus sępius oppuguauit, at expugnauit nunquam. Tandem cum delitescentem aliquando comperisset, districto gladio, mortem, nisi assentiretur, minitari cæpit; At illa forti animo in parentem, tanquam in nefarium satanæ administrum, acerrimè inuehens, professa est apertissimè, sibi quidem necis magis quàm sceleris placere consilia: nec ita multo post, ex luporum teterrimis faucibus Dei ope, nostrique Patris opera extracta fuit. Plures qui in mutuam cædem conspirauerant, inuicem reconciliati; ex quibus duo erant, qui aliquos, quorum interdiu familiarissimi putari volebant, noctu certis horis, locisque dispositi, duobus perpetuis mensibus ad necem præstolabantur: hi nostri sacerdotis opera ad concordiam adducti, & pœnitentiæ Sacramento lustrati sunt.

DOMVS NOVITIORVM ARONENSIS.

DIEBVS templo nostro solemnibus, frequentissimus hominum concursus fuit ex finitimis etiam pagis, præcipuè ad Confessionem, & sacras epulas accedentium; ipso verò Sanctis Gratiniano, & Felino tutelaribus sacro die, quidam morbo grauissimo affectus, ita vt pedibus ingredi nequiret, omnino Diuorum munere repentè conualuit. Nouitius, dum Christianæ doctrinæ capita præcipua explicat, narrauit de quodam, qui, quòd peccatorũ numerum in confessione subticuisset, æternis inferorum supplicijs addictus est. Nec inanis narratio fuit; Quidam enim, quem eius fortè rei pupugit conscientia, decem & octo annorũ seriem retexens, nouam per confessionem vitam instituit; Duo item consimili nouitiorum sermone permoti, generali animam confessione expiarunt. Vir turbulenta suspitione perflatus, magno impetu in vxoris necem ferebatur; iamque sicam veneno infecerat, cum, re cognita, vnus è nostris, & præsens periculum depulit, & magnam inter coniuges concordiam stabiliuit. Feminæ nonnullæ à turpi quæstu abductæ, multę vi eius vini, quod germinat virgines, ad castimoniam solidatæ; quarum vna, dum domi suæ agerentur choreæ, in remotissimum conclaue se abdidit, vbi se acriter verberans, alienæ leuitatis pœnas sponte sumebat, nec vnquam adduci potuit, vt incompositæ illi corporis iactationi, ac motibus interesset. Multę etiam magno animi ardore ieiunia, flagra, cilicia, similésque pœ-

nas expetunt; vnum addam extremo loco, quod magno, & quidem meritò, omnibus tyronibus exemplo fuit. Reuerendissimus Nouariæ Episcopus, cum quendam sacræ suę ditioni subiectum pagum viseret, perhumaniter ad nos diuertit, neque teneri ab vllo potuit, quin à prandio tyronibus se associans, lances cum illis lauaret ac tergeret; grandis profectò hospitij merces, tam insigne demissionis exemplum.

COLLEGIVM
MONTIS REGALIS.

MAGNA quædam pietatis, & industriæ videtur nobis quodãmodo indicta necessitas, tanta hic in existimatione sumus apud omnes, seu pietatis, seu doctrinæ; tanta ciuitatis vniuersæ in nos obseruantia a qua hoc anno bona summa nobis ad Bibliothecæ, ac templi vsum, atque ad sacram pixidem donata. Nouus Antistes, & Serenissimus Princeps certatim nos beneficijs, & humanitate deuinciunt; vterq; ad nos veniens, oratione & epigrammate, Antistes etiam Dialogo exceptus. Omnia Christiana doctrina iam personant templa, plateæ, villæ, montes; In plateis conciones haberi cæptæ: rei nouitas theatro digna visa est, vndequáque è fenestra prospectantibus. In summo templo, toto fere anno, noster multos concione permouit, ita vt primarij quidam eius fidei se totos, penitúsque commiserint, Christiano in posterum instituto vitam gesturi. In medijs montibus mirum quantum habitæ conciones profuerint; agrestium hominum greges, qui nunquam sacri oratoris vocem audierant,

audierant, ad verbi Dei gustum & pietatem incitati: quos repente tanta rerum diuinarum lux, tantus erratorum dolor, tantus æterni ignis terror inuasit, vt per confessionem expiati cuncti, longo ordine (quod admirationi maximæ, ne dicam miraculo fuisse visum est) ad Deiparæ sacellum se tulerint, Christi corpus inibi cum lacrymis multaque pietate susceperint. Sanctimoniales feminę crebris adhortationibus ad animorum concordiam, pietatem, & religiosarum legum obseruantiam reductæ. Multi anteactam vitam generali confessione retexerunt; mulierculæ complures à voluptatum cœno liberatæ; & ab adulteris, quà arte, quà consilio al stractæ pellices. Quidam aduersario struxerat insidias, is postero die necandus erat certo in loco, nec euadendi modus. Admonitus sacerdos è nostris, parato malo subtraxit hominem; tum sublatis odijs, rebúsque compositis, vtrúmque ad pœnitentiæ Sacramentum adhortatus, ad meliorem vitam traduxit; Alter quóque hosti moliebatur cædem, iam iámque erat inferenda; sed in melius nostrorum operâ mutata consilia sunt, odiáque deposita.

PROVISVM est hoc anno saluti miserrimi cuiusdam, qui a dæmone ita obsidebatur, vt, illius posse manus effugere, nequaquam videretur. Hic eam incolebat vrbis partem, quæ in montis radicibus collocata, Breduli nomen accepit; tantísque rei familiaris angustijs vrgebatur, vt cum sibi non esset quo suam, vxoris, liberorúmque ægerrimam vitam toleraret, biduum, triduum quandoque cum familia ita traduceret, vt nihil vnquam cibi caperet, aut potionis. Id ærumnosæ vitæ genus cum aliquamdiu sustinuisset, ne suos liberos fame

cruciatos, intereuntésque videre cogeretur, desperationem fermè in consilium cogitationum suarum adhibens, in agrum ad ligna, sarmentáque colligenda exiuit; quibus diuenditis suæ, domúsque calamitati depeliendæ, numinulos aliquos auferret. Eunti occurrit formam rustici hominis indutus dęmon, quò pergat sciscitatur, acerbi mœroris causam inquirit, eius leuationem pollicetur, sibi modò vni adhæreat, nummos porrigit, benignissiméque iuuenem deuincit; tum ad arborem deductum, a qua ligna amputaret, conscendat, ex eáque præcipitem seipsum vt det, hortatur idque præstitisset, nisi prætereuntes homines, furtúmque illius increpantes, vehementiúsque minitantes iam iam affore Dominum arboris, qui illum malè acciperet, lignis amputandis, susceptóque proposito remouissent.

PAVCVLIS in humeros lignis sublatis, domum repetens, cum acceptos nummos quæreret, nullibíque inueniret, eadem specie dęmonem obuium habuit, fidem fraudatam postulantem, qui accepta pecunia suę seruituti se dedidisset, tum iubentem vt se præcipitem daret ex arbore non audisset, ideóque, violata fide, aiebat se ex eius conspectu proripuisse. Is è contra amissam pecuniam querebatur, simúlq; excusabat sese, quod prætereuntium minis exterritus, coactus fuisset ex arbore, iisdem cernentibus, descendere. Ecce tibi pecuniam, ait dæmon, quam surripui ipsemet, quòd mihi parum fidelis videre re: quòd si optas miserum hunc statum euadere, hic crastina die hac ipsa hora te exspecto; faciam prorsus ne vlla vnquam in posterum egestate premaris, nec inter infimæ plebis quisquilias numereris. Postera igitur die cum data hora ad condictum locum perrexisset, dæmonem ibi præstolantem

tem offendit, qui eum in lubricum ac precipitem montem deduxit, ibíque repentè augustissima specie, auri argentíque miro quodam splendore collucentem principem virum indutus, quem equitum superbissimus chorus stiparet, se offert, ostendítque aulam regiam circumquáque fulgentem aureis laquearibus, sericis aulæis, pretiosa supellectili; illarum diuitiarum se profitetur auctorem; Christum ei exprobrat, qui, tanta rerum omnium inopia oppresso, ne exiguam quidem opem suppeditet; affirmat, si illis perpetuo beatus frui velit, vnam esse viam, ipsum sequatur, dictóque audiens sit. Deum igitur Opt. Max. in primis eiuret: ad hoc, pudore ac rei fœditate deterritus homo, difficilem se aliquamdiu præbuit; verum illum suæ mentis impotentem, quà hortando, quà pollicendo, diabolus ad indignissimum omnium facinus adegit. Diaboli ergo hortatu impulsúque, Deum Opt. Max. sacrum Baptisma, ac sacro-sanctum Christi corpus ita eiurauit, vt perceptum, se pedibus proculcaturum promitteret, ac sponderet.

Hoc non contentus dæmon, Deiparam Virginem vt detestaretur, edicit; ille tantum scelus vt committeret, adduci numquam potuit. Tunc dæmon, quòd non nisi vita functum in suorum aulicorum numerum cooptari posse affirmaret, præcipit, vt ex altissima rupe se præcipitem perturbare ne vereatur, locúmque subeat, vt rem conficiat. Affuit illicò pulcherrima specie matrona, cæruleis induta vestibus, lineam sub axilla gerens telam, quæ subeundum vitæ discrimen amenti obijciens, conata est eum deterrere, ne permaneret in incæpto; nec antè illinc se mouit, quàm à scelere reuocatus, miser ille in vrbem rediret. Miratus

ipse dæmon se vinci, atque eludi, & occasionem eripi è manibus, excandescit vehementer, proficiscenti in via occurrit, pusillum animum arguit, qui feminæ vnius vocula inflecti se facilè adeo siuerit; mortem, ni pareat, minitatur. Post hæc, vt propalam omnes adhibitas artes, vim, suasiones, insidias in cassum sibi cessisse vidit, non quidem abiecta spe vincendi, soluit obsidionem, sed alia ratione dolis, cuniculisque grassari constituit. Inter grauissimas ergo curas, graui pressum mæstitia ita iacentem, vt nulla res mitigare dolorem posse videretur, inuadit hominem; atrocem, ac sæuam immittit cogitationem, vti ad luctus, miseriásque finiendas, aut è fenestra cubiculi semet præcipitem det, aut in puteum deijciat, aut alia simili ratione mortem consciscat: Fecit at diuina prouidentia, vt quidam semper interuenirent, quibus coram violentas sibi manus inferre non auderet.

Tandem prioribus certaminibus nihil se profecisse videns dæmon, in Breduli xenodochio versanti se obtulit, domicilijque tigna auro interlita, è quibus torques aureæ innumeræ pendebant, pauimentáque nummorum aureorum aceruis redundantia ostendens, talibus eum verbis inuasit: Quamdiu in pedore isto ac macie iacebis? Si me audis, laqueo animam eripias ex vitæ mortalis ærumnis; tua erunt, quæ vides. Homo præsenti spectaculo, argumentorum vi atque copia, pænè extra se positus, accipit funem, quem commodissime aptatum porrigebat; altero catenæ, quæ è camino pendebat, laquei capite illigato, altero ceruices præligat, reductóque a terra corpore obruisset omnino spiritum, ni strepitu catenæ excita mulier, quæ xenodochium tractabat, ac in

proximo

proximo cubiculo erat, irrupisset in aulam, & vicinos conuocasset, qui fracto laqueo vinculis mortis miserum dissoluerunt, in lectóque collocarunt. Qui vbi pristinas vires recepit, ac respirauit, nihil se doloris habuisse testatus est: ac non multo post à dæmone cum cæpisset obsideri, itáque excuti, vt qui aderant, mirarentur, ac penè exanimarentur, firmissimis catenis quattuor lecto alligatus, manicisque vix repressus est. Aduocantur sacerdotes, atque è sacra familia nonnulli, admouentur remedia superiora corporeis, adhibentur exorcismi, humilimæ ad Deum preces funduntur, nihil inexpertum relinquitur, quod homini liberando conferre possit: diceres inde iuuari dæmonem, vnde vinci superarique debuerat; vehementius hominem vexare, & exagitare cœpit.

Armis omnibus nequicquā adhibitis, accersitur Societatis medicus P. Rector, qui sacris medicamentis depellat dæmonem, & miserum corporis animique saluti restituat. Quamprimum energumenum adit, maxima cùm mulierum, tùm virorum in xenodochium eum prosequente multitudine, iacenti spem salutis ostentat; litanias ad diuinum auxilium implorandum, & quinquies orationem Dominicam, ac salutationem Angelicam recitanda curat, coram sacratissima Christi crucifixi effigie; tum dimissa multitudine, solus cum energumeno agens, noxis per confessionem, illum expedire animum iubet, nequicquam, salubre consilium capessenti, inferno obstante hoste. Verum impendente coactus nocte, confessione in sequentem diem iustis decausis dilata, discedit. Quæ, cum humani generis aduersario, infelix nocte illa subierit certamina, vix dici potest: modò namque in-

usitata rabie in eum inuadebat, vt erepturus illi vitam videretur, ipsúmque suffocabat; modò ni sacerdoti obligatam fidem reuocaret, mortem minitabatur; modò verbera miscens minis, a peccatis sacerdoti detegendis absterrere hominem, & abstrahere conabatur; modò immanitate facinoris proposita, pœne in desperationẽ adducebat; modò strepitus atque terrificos horrores admouebat, identidem vociferans suæ ipsum potestati permissum, neminémque erepturum.

SEQVENTI die per homines, qui vt miserum tuerentur, insomnem cum illo noctem traduxerant, & grauioribus dæmonis prælijs, quæ constanti semper animo sustinuit, adfuerant, edoctus pater, ad hominem se confert diuturnam eius moram expostulantem; quem vbi spei plenis verbis recreauit, quoniam per confessionem se Deo cœpit conciliare, vt eandem absoluat, Deumque placare penitus insistat, admonet. Aures ille dat, confitentem longè abripit dæmon; referre à patre iubetur, nullumque ei negocium facessere; paret, homo cæptam confessionem persequitur. Ea peracta, Pater optimum ratus, ante absolutionem quæsiuit ab energumeno, an eius esset voluntas, vt vexatorem diabolum pedibus suo nomine protereret? annuente illo maxima cum difficultate, quòd linguam teneret aduersarius, centies ipsum conculcauit. Qui despectum se, contemptumq; vbi vidit, miserum hominem acriter adeo institit vexare, ad parietem allidere, in sublime vnà cum grauissimi ponderis strato abripere, ad summum ferè lacunar eleuare, vt mirum plane videretur. At iubente patre, tandem a vexatione destitit. Pater deinde vt hominem, nihil omnino pœnarum, rerúmque

túmque quas impoſuiſſet, recuſantem vidit, ea edocuit, quibus Deum placaret, cœleſtéſque a ſe iras auerteret, & miſerrimæ ſeruitutis iugum a ſuis ceruicibus per omnem æternitatem depelleret, abſolutionémque impertiuit. Statim diabolus exceſſit, homine pœnè exanimi relicto, qui receptis viribus, liber & incolumis ad Deiparam Virginem a Vico, gratias acturus profectus eſt, vbi vitæ maculis denuo confeſſione ſacra elutis, in Dei genetricis, cuius opem fuit expertus, ſeſe tutelam tradidit.

COLLEGIVM CREMONENSE.

CÆSAR Specianus Epiſcopus perſeuerat in benè merendo de Collegio noſtro; nam voluit etiam hoc anno in templo maximo concionatoré ex noſtro ordine, qui quadrageſimę tempore, quotidianis concionibus primas tulit, & auditores permouit. Eiuſdem hortatu Eccſia cæpta eſt ædificari in Sanctorum Martyrum Marcellini, ac Petri honorem; qui licet ſint ex Ciuitatis patronis, & magnam corporum partem, tanquam patrocinij pignus hic habeant, tamen in eorum memoriam Eccleſiam Ciuitas nondum ædificarat: ipſéque Epiſcopus ſolemni ritu primum lapidem iecit in fundamenta die quinto octobris, multa pollicitus, quæ pocul dubio, vita comite, ad Dei gloriam eſt præſtitutus.

REG-

RESIDENTIA
ALEXANDRINA.

LABORES nostrorum augentur in annos singulos; generales porrò vitæ totius confessiones ad octoginta supra centum, nec tamen fuimus plures tribus, ijque concionum ministerio tum in templo maximo, tum in nostro impediti. Quartus in summo templo per Quadragesimam quotidianas habuit conciones, frequentissima & libentissima ciuitate; cum enim vetere instituto, in eo templo Religiosi ex varijs familijs, quæ hic domicilium habent, sine ordine concionari soleant, hoc anno, post orbem confectum, denuo expetita Societas est communi consilio ciuitatis; quod vt in posterum semper fiat, publico statuto decretum. Meretrices duæ ad meliorem frugem, ex flagitiosa vita reuocatæ. Quædam etiam adolescentula, ne in simili turpitudine volutaretur, effectum. Hæc non ignobilis, ætate iam nubili, victa importuni hominis precibus, pollicitationibus, muneribus, fugam è paterna domo, quocunque amator ille asportare voluisset, meditabatur. Occurrit autem opportunè sacerdotis nostri charitas, qui puellam ex impuritatis faucibus eripuit; & sacramentis munitam, aduersus pertinacis hominis improbitatem, tueri non destitit.

RESIDENTIA TICINENSIS.

SECVNDVS hic eſt annus cùm ad hanc vrbem acceſſimus, nec obſcurè ſignificat diuina Prouidentia velle ſe, vt in ea Societas figat pedem; ſiquidem binæ domus donatæ nobis ſunt, vbi & ſacellum ad diſpenſanda Sacramenta, Chriſtianamque doctrinam, erectum eſt. Aliqua etiam ſumma legato, aliqua teſtamento relicta, aliqua eleemoſinæ nomine collata; & ſacris veſtibus, vaſis, imaginibus, ad religioſos ſacrarij vſus impenſa. Nos contrà vicem omni religionis officio rependimus.



PROVINCIA LVSITANIÆ.

NVMEROSIOR nunquam, nec prole ſua felicior Luſitania, quippe quæ domicilijs tredecim, ſocios hoc anno recenſuit ſexcentos, & quadraginta. Oliſipone in domo profeſſa quattuor & ſexaginta. In collegio ſexagenos. Conimbricæ duo de triginta ſupra ducentos. Eboræ, maiori anni parte, centum & quinquaginta. Bracarę ſeptem & triginta. In Collegio Brigantino alterum & viginti. In Portuenſi duo de vignti. Totidem in Funchalenſi. In Angrenſi duodecim. In Algarbienſi domo nouem; totidem Villauiçoſæ in domo etiam Profeſſorum. In Reſidentia S. Michaëlis ſex.

ſex. In Angola ſede ſeptem. Emigrarunt ad ſuperos nouem, immigrarunt in Societatem tres & quadraginta. Ceterum tantæ huic multitudini, doctrinæ virtutiſque fructus haud impares extiterunt.

DOMVS PROFESSA OLISIPONENSIS.

QVINQVENNIVM fermè eſt, cùm iratum huic vrbi Numen, graui peſtilentia in eius incolas deſæuit. Et licet graſſantis mali vis, annis proximè ſuperioribus, aliquantulum deferbuerit; recrudeſcere hoc vere licentiùs cæpit; maioremq; vrbis partem vulgata contagione corrumpere. Ergo noſtri auertendo malo, propitiandóque Numini intenti, quâ precibus, quâ ieiunijs, quâ voluntarijs corporis caſtigationibus placare cœleſtem vim inſtiterunt. Ciuitas ipſa cum Prorege, ſacra Diuo Rocho die, in templum noſtrũ vniuerſa confluxit; vt eius opem, aliorúmque Sanctorum ſubſidia, quorum tunc oſſa pulcherrimo ſane apparatu conſpicienda exhibebantur, pro vrbis incolumitate implorarent. Factúmque diuina bonitate fuit; vt in frequentiſſima vrbe, vnus tantùm eo die puellus, peſtilenti tabe correptus decubuerit. Et verò licet in omnes Diuos, quorum noſtro in theſauro reliquiæ aſſeruantur, eximia ſit ſexus vtriúſque religio; præcipua tamen in Diuum Gregorium Thaumaturgum, Oliſſiponenſium pietas eſt: cuius præſentiſſimum, per hoſce annos, patrocinium expertos ſe teſtantur multi: peruaſit quippe omnium animos ea opinio, nullum lærhali morbo

corri-

corripiendum, qui suspensum ad pectus filum gestet, quod sacrum Thaumaturgi caput prius ambierit. Quo in genere multa sanè acciderunt; quæ in se totius ciuitatis admirationem conuerterunt, pariter & sermonem. Ero vnius tantùm narratione contentus.

Nobilis cuiusdam Lusitani mancipium æstuare in ea domo lætaliter cæpit, in qua solus ipse, id quod supra memorauimus, Thaumaturgi filum non gestabat; tunc ex domesticis vnus, Accipe, inquit, afflictóque corpori hoc adibe filum; quando nullum aliud, ad arcendum malum, præsentius medicamentũ. Mira dictu, visúque res; qui opinione omnium mortuus sub vesperum habebatur, prima insequentis diei luce firmus, vegetúsq; surrexit è lecto. Hoc factum, & similia, cum nostrorum quidam, è suggesto, populo euulgasset; tanti repentè ad ædem nostram facti sunt hominum concursus, vt in amplissima vrbe, in qua multa numerantur centena hominum millia, nullus omnino remanserit, qui simili, ad abigendum malum, amuleto pectus in posterum non communierit. Neque vero tantis beneficijs impar extitit Olisiponensium liberalitas. Horum námque eleemosinis præclara Thaumaturgi effigies elaborata; excisúmque, vbi rite colatur, maiori in sacello receptaculum, auro totum, cęruleisq; notis artificiosè distinctũ. Procurata communi ciuium salute, ad sanandos animos curam omnem intenderunt nostri. Neque vero in Lusitanos tantum, sed in Mauros, in Turcas, in Gallos, in Anglos, in Germanos, in Italos sedula eorum incubuit diligentia. Turcæ tres, Sarraceni septem, cum feminis duabus, ab infelicibus Mahometis vepretis, ad læta

Christi pascua, caulásque traducti, nostro omnes in templo, splendido illustrium virorum, feminarumque comitatu, salutari aqua de more perfusi.

Horvm vnus, cum adhuc esset in patria, visam sibi, secundum quietem, narrabat feminam humana specie augustiorem, quæ ipsum ad christiana sacra suspicienda hortabatur; amicísque verbis identidem increpabat; Quid tu tamdiu in his terris, atque adeo in regione vmbræ mortis commoraris? terras fuge crudeles, & melioris alicuius, sanctiorísque soli littus festinus occupa. Non fuisse hoc sopitæ, aut ægræ mentis ludibrium, docuit euentus; quippe hoc illi præcipuum calcar fuit, vt natales suos sponte desereret, vocantémque Deiparam intrepidus sequeretur. Lutherum & Caluinum execrati sunt hæretici vndeuiginti, in septentrionali cœlo, & frigore enutriti. Ex eadem farina tres circiter & qadraginta, christiananarum institutionum prorsus imprudentes, exiguas tantùm catholicæ fidei scintillas conseruabant, quas infantes pæne à parentibus hauserant; animorum labes sacra nunquam confessione deleuerant, nec mentem Angelorum pane refecerant. Hi omnes à nostro sacerdote salutariter edocti; & ad meliorem viuendi rationem eruditi.

Ivdæos, qui à vesana superstitione resipuerant, ignominia notatos, vni ex nostris instituendos fidei cognitores tradiderunt. Periclitanti multarum puellarum pudicitię, quibus importuna paupertes aduersabatur, nostrorum opera consultum. Feminæ omnino decem è vorticoso fædæ consuetudinis turbine, quo iamdiu voluebantur, ereptæ. Fuerunt qui simili, quo Ioseph Patriarcha, strategemate llatas eluserint pudicitiæ insidias. Nobilis

lis adoleſcens è noſtra diſciplina, inſigni pulchritudine conſpicuus, ab impudicis feminis è feneſtra euocatus, in remotum ab arbitris locum per imprudentiam deducitur; vbi patuerunt inſidiæ, in omnem ſe verſat partem magni animi adoleſcens, quo caput ſuum poſſit, ab impuris feminarum laqueis, expedire: inſonat primùm, qui ſontes perpetuò manent violati pudoris apud inferos cruciatus; addit paratum ſe, extrema quæque forti & conſtanti animo exorbere, quam vel minimā pudicitiæ ſuæ labem aſpergere. Sed cum nihil apud eas proficeret neque precibus, neque clamoribus, ad ianuam feſtinus accurrit, vt ſe præcipitem ex ea daret; cum ea quoque intercluderetur via, ſatius habuit vilem facere veſtiū, quam pretioſam pudicitiæ iacturam. Galerum igitur & pallium, externa corporis ſpolia, in Ægyptiarum manibus relinquens, ſeſe ab impuro illarum conſpectu, quà data porta, præripuit.

SEQVITVR aliud, quod ni fallor, tum quia ſexus erat inferior, tum quia pugnæ genus, quo hoſtem proſtrauit, inſolentius, illuſtriorem habebit commendationem. Pia mulier, ex noſtra item diſciplina, è lonquinqua quadam peregrinatione reuertebatur domum; cùm illam in ſaltu deuio, & perobſcuro, ex inſidijs impurus ganeo adoritur, eiuſque pudicitiam, quà precibus, quà minis expugnare per iniuriam contendit. Hæſit illa diu ſtupenti ſimilis, in tam præſenti periculo, quid conſilij caperet, incerta; mox redintegrato diuinitus animo, Chriſti è cruce pendentis imaginem è ſinu extraxit; in genua procubuit: in lachrimáſque & in ſuſpiria effuſa, terribili deinde cæleſtium irarum denuntiatione, duratum ad facinus pectus ita infregit; vt illo territus ſpectaculo, à turpi cona-

tu non solùm destiterit, sed ne vllum quidem verbum hiscere amplius ausus sit.

In celeberrima totius Lusitaniæ oppida, siue locorum magnitudinem, siue populi frequentiam consideres, profecti sacerdotes tres, vberes fructus retulerunt domum. Ea sunt Scalabis, Mons maior & Cætobrica: quæ licet multis alijs religiosorum familijs excolantur, miro tamen audiendi nostros concionatores desiderio exardescunt. In oppido Monte maiori, coacta inter Ecclesiasticos discordiarum tempestas, omnes ordines ita turbauerat, vt non nisi strage maxima sedanda videretur; iámque quæsitor regius Olisipone euocabatur, qui in præcipua capita, magno ipsorum damno inquireret: nec sine metu, curáque oppidum erat, quorsum tandem eruptura res esset; sed hæc tanta rabies mitescere paulatim nostris autoribus cæpit, optata deinde animorũ tranquillitate, per eosdem inducta, omnino posuit. Quo pax esset firmior ac diuturnior, in templum maximum vniuersi conuenerunt, vbi mutuis se complexibus excipientes, venia vltrò, citróque data, ac petita; in gratiam & concordiam, optimo sane exemplo redierunt. Eiúsdem concionatoris nostri hortatu, aureos trecentos contulerunt oppidani, vt sacellum è carceris regione extrueretur, vbi sacrum ritè celebrari, & diuinis rebus interesse magno animorum bono possent, qui in publica custodia vincti asseruantur.

Fratres germani duo, alieno efferati odio, in eam exarserant rabiem, vt mutuis vulneribus strictos furenter gladios, non solùm cruentauerint, sed etiam de inferenda morte, inimicissimè atque infestissimè contenderent. Sacerdotis nostri interuentu pessimum consilium demissum est, fraternúmque

nudique fœdus, quod illata diruperant vulnera, redintegratum. Sacerdos alter in Villam Francam, id oppidi nomen est, excurrens, oppidanorum animos ita nobis deuinxit, vt ex his vnus Olisiponem profectus, bonorum suorum, tercentorum scilicet in singulos annos aureorum, Societatem dixerit heredem. Ceterum in eo agro colendo, ita optimus pater laborauit noctes & dies, vt ex nimia, qua premebantur, lassitudine, tam ipse quàm socius morbum eum contraxerint, à quo non multo post, reuersi domum, extinctus est eorum alter; is fuit Pater Gondisaluus Leite, in iuuanda re proximorum athleta strennus. Quadraginta annos in Societate meruerat, in audiendisque sine vllo discrimine, cuiusque fortunę & conditinis pœnitentibus, fortiter adeo desudauit, vt nunquam non in acie, nunquam non in puluere ad eos excipiendos steterit. Enituit præclara eius virtus in hac publica Olisiponensium calamitate; quo ille tempore, vrbem totam diebus singulis circumiens, egentissimum quémque in compitis, in angiportis, locisque abiectioribus delitescentem, magna sedulitate inquirebat, vt vtramque ageret & animæ & corporis salutem. Obijt etiam Pater Ferdinandus Vasæus, qui ex India in Lusitaniam renauigauerat; & multis terra, marique pro Indorum salute perfunctus laboribus, hic tandem quieuit, ætatis suæ anno sexagesimo, Societatis trigesimo septimo.

COLLEGIVM OLISIPONENSE.

NVLLO vnquam anno, maiori mortalium frequentia, per huius vrbis plateas catechiſmi explicatio perſonuit; nec illuſtriori pompa, ad reprimendam bacchanaliorũ licentiam, cum ſcilicet indulgere ſibi liberius ſolet impunita laſciuia, ducta ſunt diſcipulorum noſtrorum examina. Valuit ea res plurimùm ad augendam Societatis exiſtimationem; cuius proprium eſſe, bonorum omnium vox fuit, nouas ſemper machinas excogitare, ad demolienda ſcelerum & nequitiæ monumenta, prauę conſuetudinis adminiculo ſuffulta. Tres hęreſim, quam pueri Aquilonari tractu imbiberant, adhibita noſtrorum medicina, euomuerunt. Ex eodem grege priuatis inſtitutionibus informati quamplures, vt auitam religionem in locis patrijs, aduerſus hęreticorũ iniurias roborarent. Sacerdoti noſtro vrbem negotij cauſa obeunti, caſus interuenit, in quo diuinæ prouidentiæ rationem admirari maximè licet. In hominem incidit, vt ſuſpicabatur, notum ſibi & familiarem; quem pro veteri conſuetudine blandè & amicè compellans, Conſcientiæ, inquit, latebras hoc veſpere diſcute diligenter, vt ſequenti luce facilius poſſis crimina, mihi confitendo aperire. Nihil prætereunti tam nouum aut abſurdum, ad aures oculóſque accidere potuit; hæſit primum cogitabundus, intentis in Patrem oculis; mox, vt credi par eſt, affuſa diuinitus luce, Erras, inquit, Pater optime, neque is ſum, quem tu fortaſſe ſuſpicaris. ſed tuus hic error, mea

vt errata cognoſcam miſer, imprimis admonet; ante duos dies peccatorum ſarcinam, qua iam diu grauor, apud te lubens deponam. Nec fidem promiſſa fefellerunt, eodem namque, quo pactus eſt die, ſuperioris vitæ turpitudinem multis cum lacrymis abſterſit.

VNIVS ſaluti conſultum, qui in varijs orbis partibus, contra ius fáſque, pluribus ſimul vxoribus fuerat abuſus; & hanc poſtremam, ex qua plures ſuſceperat filios, deſerere etiam meditabatur: ſed cum rem vni ex noſtris patefeciſſet, aliam induit mentem, vxoréque ritè in matrimonium ducta, præterita dedecora, vitęque anteactæ caliginem, nouo virtutum ſplendore colluſtrare totis viribus contendit. Sacerdos propter abortionem, cuius ipſe auctor fuerat, à ſacrorum procuratione iure arcebatur; nihilominus ille ſacrilego auſu diuina tractabat, ſceleráque ſceleribus de induſtria cumulans, obruere eorum magnitudine conſcientiam conabatur, eiúſque vim atque aculeos retundere: non valuit tamen diutius ſuſtinere ſtimulantem animum, conſciámque facti mentem, ſontes (vt ille dixit) ſurdo verbere noctes atque dies flagellantem. Ergo re cum noſtris communicata, de eorum conſilio curauit primo à Pontificijs cenſuris, diriſque imprecationibus, quibus ſe per tot annos occultè implicuerat, exolui; profligatam deinde animæ ſalutem, ex eorundem præſcripto, medicari. Occubuit Pater Iacobus à Valle, per annos triginta, quos in Societate poſuerat, varijs ſemper morborum tentationibus exercitus. Philoſophiam magna cum ingenij laude docuit, reliquum vitæ tempus, habendis ad populum concionibus, cum fructu & pietate exegit.

COLLEGIVM CONIMBRICENSE.

CONIMBRICENSE Collegium, vt sociorum multitudine, sic fructuum vbertate nulli secundum, primas sibi partes vindicat. Institutum inter Academicos Doctores Sodalitium, multis illud quidem, & antiquis expetitum votis, tentatúmque aliquando: sed irrito semper euentu, illusus omnis labor, consiliúmque nostrorum fuit. Hoc demum anno præpotens Numen pios nostrorum conatus ita fortunauit, vt ipse Academiæ moderator, cum præstantissimis eiusdem Academiæ Doctoribus, principibúsque maiorum facultatum professoribus, ceteris ad id præstandum auctores non solùm fuerint, sed suo exemplo, eandem illis mentem plane induxerint. Bis in mense in ædem nostram conueniunt, sacræ mensæ pariter accumbunt, aliáque obeunt Christianæ pietatis officia, magno vel ipsorum bono, vel ipsius Ciuitatis exemplo. Scio vulgaria hæc, & communia alijs in collegijs, atq; adeo in prouintijs; Conimbricæ tamen, in luce totius Lusitaniæ, propter gentis ingenium adeo illustria sunt, vt si nihil aliud literis dignum occurreret, multum hoc haberet splendoris, vtilitatis multum. Alterum est opificum Sodalitium, ex quo non minores, hoc anno, percepti sunt fructus. Alia est facies, alij incolarum mores, alius in Societatem plurimorum animus; vt non iniuria, hoc erecto Sodalitio, ciuitatem hanc & nobis, & Deo conciliasse videamur. Ceterùm ipsa Deipara egregium suum erga Sodales de se

optimè meritos, patrocinium, non vulgari euentu, testatum nobis esse voluit. Horum vnus cùm in alta quadam specu varios in vsus defoderet humum, ad foueæ ostium agricola accessit, hominémque hortatus blandè fuit, vt, quando nimio labore fatigatus ægre iam spiritum traheret, exiret è fouea, viréſque paulisper resumeret, sese interea in partem operis, laborisque libenter successurum. Paruit monenti Sodalis, & vix pedem e fouea extulerat, cum egesta tellus ac pendula, in profundum repentè abijt, miserúmque agricolam, qui pro Sodali fuerat ingressus, immani pondere ita grauiter ad terram afflixit, vt animam quoque crudeliter extorserit. Ergo ille, tanto defunctus vitæ periculo, habendas sibi immortales gratias Dei parenti existimauit, cuius numine illæsus & incolumis, tantum adierit vitæ discrimen.

In Lamacensi agro, commissum Societatis curę templū est, cui Virginis à Lapa nomen, miraculorum fama tota Lusitania inclitum: ad hoc inuisendum, ipso assumptæ in cælum Virginis die, femina venerat, fidem vt solueret voti à se non ita pridem nuncupati. Hæc cum varijs ageretur scelerū furijs, infelicem vitam, quam morte ducebat grauiorem, voluntario ac violento sui ipsius interitu, terminare decreuerat; nec ab insano consilio destitit, quoadúsque se altum in puteum, moræ impatiens præcipatauit. Ibi tamen, cum diu multúmque eluctata cum vndis fuisset, media iam in morte, saniori vsa consilio, Virginis à Lapa opem inclamare valenter cœpit. Nec temerè fusæ sunt preces; sublimem se inde auferri subitò sensit, & supra putei ostium in loco tuto, ac peropportuno, satis commodè reponi. Tanti stupore miraculi attonita mulier, non

sat

ſat habuit votum ſoluere, ſed ingenti etiam vi lacrymarũ, vniuerſas vitæ maculas apud ſacerdotem noſtrum eluere. Quàm ſalutares extiterint noſtrorum hominum (hi fuere numero duodecim) in varia loca excurſiones, ex eo colligere in promptu erit, quod vno in loco ſublatę ſint ſimultates amplius trecentę; quo in genere cùm multa acciderint literarum commendatione haud indigna, nos ea tantùm afferemus, quæ nobis inter alia magis apparere viſa ſunt.

Dvo optimo loco nati, ſerendis varijs litibus, rem omnem familiarem penitus diſtraxerant. Horum alter inteſtino odio ita æſtuabat, vt ad Epiſcopi Marturienſis preces, qui ad eius genua in id ipſum ſupplex acciderat, obſtinato animo obſurduerit. Huius efferatum pectus, noſtri ſacerdotis conſilio, ita blande emolluit; vt ipſe prius mentem flexerit ad meliora, déque petenda venia cogitarit. Alter propter non numeratam à ſocero dotem, vxorem à domo per ſummam iniuriam non ſolùm expulerat, ſed pellicem eius loco, ſiniſtris totius populi ſermonibus, quintum decimum iam annum alebat: Hic etiam, de noſtri ſacerdotis conſilio, cum ſocero in gratiam, cum vxore, eiecta priore pellice, in communem torum migrauit. Fuit, qui vt illatam iniuriam reponeret, ad arma cædémque, cognatos & amicos excierit; nec ijs contentus, ex remotiſſima vrbe ſclopetarios duodecim adduxerit, vt negotium multorum ſanguine conficeret: ſed hi tanti animorum, armorumque ſtrepitus, ad ſacerdotis noſtri verba, non ſine magna totius populi admurmuratione ſiluerunt. Alibi, noſtris interpretibus, deciſa lis eſt, quæ ad viginti-quinque aureorum millia accedebat; & de qua

magnis

magnis vtrinque partium ſtudijs, annum iam duodecimum certabatur. Fictis quidam criminibus, bonam ciuitatis partem inſimulauerat, multarumque ſimultatum reus habebatur; noſtri ſacerdotis ſuaſu, quæ obiecerat, reuocauit, inuſtámque maculam deleuit. Alter facultates omnes ſuas, quinque videlicet millia aureorum, vni ex noſtris commiſit; vt de his, quod eſſet optimum factu, ſuo arbitratu ſtatueret.

In tyrocinio, maxima vigent animorum contentione, abſolutæ virtutis, chriſtianæque pietatis ſtudia; nec priuatis tantùm parietibus ſerpit inclusus ignis, ſed foras etiam erumpit, oppidáque & vrbes in noſtrum amorem accendit. Conimbricenſis Epiſcopus, qui nunc Luſitaniam pro Rege moderatur, cum diœceſim de more obiret, in tres incidit ex noſtris tyronibus; qui paululùm auerſi à via, ſecreto in loco, diuinarúmque rerum contemplationi peropportuno, flexis genibus, ſublatiſque in cælum manibus, Deum ſupplices precabantur. Tam gratum hoc optimo præſuli ſpectaculum fuit, vt illos ſecum inde deduxerit, hoſpitio perhumaniter acceperit, nec niſi rebus inſtructos neceſſarijs remiſerit; atque vt eſt noſtri ordinis amantiſſimus, noſtrarumque rerum egregius prędicator, coram viris principibus, à quibus per id tempus frequenter inuiſebatur, in noſtras effuſus laudes, quid ſibi in itinere accidiſſet, iterum atque iterum admirabundus enarabat: nec eſſe magnopere mirandum, ſi Societatis homines vitæ ſanctimonia, morúmque probitate cæterorum luminibus obſtruerent, in quibus inſtituendis, vel ab ipſis religioſæ vitæ incunabulis tam pręclara opera impendatur: eam ſcilicet eſſe educandorum nouitiorum

uitiorum rationem optimam, cum domi ita ad virtutem erudiantur, vt foris de domestica disciplina remittant nihil.

Eisdem amoris & beneuolentiæ signis, tyrones alios prosecutus est Lamacensis Episcopus, cui cum aliquando in magna religiosorum hominum corona (qui vt sacris initiarentur, conuenerant) nuntiatum esset, tres adesse Societatis tyrones: quotquot aderant extemplo dimissis, eos secum in interiorem domum introduxit, atque ab omnibus se negotijs eo vespere expediuit, vt hospitium esset & hilarius, & iucundius. Sequenti vero die in templum maximum secum deductos, cælesti pane, propria manu refecit. At Episcopus Visensis nobis sæpius per literas significauit, pergratum sibi futurum, si tyrones nostri, quoties illac iter intenderent, se suámq; domum frequenter inuiserent; cum quibus solet & familiarissimè colloqui, & de rebus ad spiritum pertinentibus sermones sociare. Neque vero in concilianda sibi optimorum pontificum beneuolentia, nostrorum tantùm tyronum industria desudauit; multa sunt eorum precibus & lacrymis data, quæ autores alios, graues licet ac religiosos, non semel respuerant.

In oppido non ignobili vir primarius, & qui publico magistratu fungebatur; eadem ipsa, qua ex officio virga vtebatur, ab alio ignominiosè percussus, id excitauerat discordiarum incendium, quod oppidum pęne totum depopulaturum videbatur; & longè, latéque sine dubio serperet, ni tempestiuè caderent tyronum nostrorum, qui illuc forte diuerterant, preces & lacrymæ; quibus, veluti effuso imbre, extinctum penitus, sedatúmque fuit.

fuit: nec iniuriam solùm percussoris remisit; sed mille etiam aureos, quos in litem expenderat, libentissime condonauit. Exprimunt ad vnguem veterem illam, nostrisque hominibus, suis in obeundis peregrinationibus, solemnem consuetudinem; alter scilicet eorum, cum oppida ingrediuntur, elatum præfert crucis vexillum; alter tintinabulo errantes cogit puerorum greges; alter litanias intonat, aliasque ad Diuos, pueris respondentibus, preces fundit; quæ res in maximam cedit tum puerorum, tum rusticorum vtilitatem; ad quos etiam, christianis præceptis per caulas & stabula informandos, sese nostrorum tyronum industria commodè, & peropportunè extendit.

COLLEGIVM EBORENSE.

VT à domesticis exordiar, luctuosam nobis reddiderunt studiorum instaurationem, in ipsis solemnibus scholarum exordijs, extincti deflentique duo; quorum alter de literis mereri optimè incipiebat, alter vero meritissimus habebatur. Is erat pater Emmanuel de Pimenta, qui tres & quadraginta in Societate annos exegerat, plurimis semper, maximisque virtutibus omnium existimatione commendatissimus. Mirum eius fuit in Superiores obsequium, mira instituti, nostrarumque legum custodia, mira in loquendo cunctatio. Annos ipsos quatuordecim, cum magna nominis celebritate studijs Conimbricæ præfuit: sexdecim vero annos, audiendis hic quotidie confessionibus, ita insudauit; vt in templo magis quàm

in cubiculo commorari videretur. In pangendis carminibus ſiue naturæ fœcundam vbertatem,ſiue eximiam artis præſtantiam conſideres, inter præſtantiſſimos huius ſęculi poetas haud dubiè numerandus: ſed tanta eius animi demiſſio fuit, tantus ſui ipſius contemptus, vt nullis neque amicorum, neque vero doctiſſimorum virorum precibus, ad aliquid edendum adduci vnquam potuerit. Non mediocris tamen animũ fouet ſpes, fore, vt quam gloriam ſanctiſſimus pater velis, vt aiunt, remiſque fugiendam ſibi, dum viueret, exiſtimauit; eandem præclara eius poemata, in lucem propediem itura, ad æternitatis memoriam conſequantur.

HVNC ſequutus eſt pater Rodericus Vaſæus, qui Roma non ita pridem aduenerat, & philoſophiam hac in Academia, non ſine ingenti laude edocebat; mors illum tamen medio currentem curſu intercepit, & nobis ſpes illas, quas ſpectata eius virtus, ſpectatúmque ingenium in omnium animis concitauerat,non ſine magno doloris ſenſu præcidit. Quatuor ante obitum menſes, cum poſt cænam, vna cum alijs duobus inambularet, ſermo incidit in Patris Ioannis Rebellij, é viuis ſublati anno proximo ſuperiore, eximiam erga Deum pietatem: qui cum prouectæ ætatis eſſet, continentibúſque morbis afflictum traheret corpus, omnia tamen ſpiritualia exercitia, eo corporis habitu obire conſueuerat, vt ſiue mane diuinarum rerum contemplationi vacaret, ſiue interdiu ſtatas ad Deum preces funderet, ſiue conſcientiam ad calculos reuocaret; flexis ſemper genibus,compoſitóque ad omnem modeſtiam corpore, eiuſmodi munia præſtaret. Altiùs quàm cogitare quiſ-

quam

quam possit, in Roderici patris animum eiusmodi exemplum descendit. Extemplo, audientibus ceteris, secum ipse statuit, eadem sibi adolescenti adhuc, & vegeto ac firmo corpore, sectanda in posterum vestigia, eandem precandi Deum rationem instituendam: & deprehensum postea ab ijs fuit, quibuscum eo tempore colloquebatur, ab illo animi decreto non antè recessisse, quàm in lecto postrema valetudine conflictatus iacuerit.

Ante hos obierat frater Bartholomeus Sanches coadiutor temporalis, qui & ipse quatuor & quadraginta in Societate annos, sine querela exegerat; placido vir ingenio, & in aliorum commoda quàm maximè officioso. Cuius vt cetera sileantur, quibus excelluit, virtutum maximarum ornamenta; prætereunda silentio non est, quæ semper in eo eluxit aduersus Dei parentem religio singularis: quam vt impensiùs coleret, consitos in collegij septo propria manu, habebat conquisitos vndique & colore, & odore præcipuos quósque flores, præsertim vero ingentem ocymorum copiam: eósque summa, per annum, cura & diligentia colebat, vt illorum multitudine pariter ac varietate, assumptę in cœlum Virginis die, templum nostrum vernaret, gratiúsque intuentium oculis arrideret. Nec dubium eum quoque laborem Virgini cordi fuisse, qui nostris hominibus atque exteris tam gratus accidit, vt tantus ille dies, omisso assumptionis nomine, ocymorum festum vulgo iam indigitaretur. Hæc domi; illa foris.

Oppida ferme tredecim, eáque inprimis frequentia, suos ad collegij Rectorem oratores miserunt, vt concionatorem ex nostris aliquem in quadragesimale ieiunium impetrarent; sed eorum

rum omnium votis satisfieri commodè non potuit. Ad præcipua quæque profecti sacerdotes septem, totidem cum socijs, ingentia operę pretia, præclaráque animarum lucra retulerunt domum. Nobilis viduæ filius, inter rixandum, repentè occubuerat gladio transfixus; quo tam atroci, atque infelici euentu, in extremam rabiem efferata mater, vel ipsum veniæ nomen execrabatur: quippe querebatur maternæ pietatis iura omnino violatum iri, ni procurato homicidæ suspendio, quoad eius fieri posset, demortuo filio parentaret. Noster tamen sacerdos, iteratis precibus, furentem fœminam leniuit adeo, vt, impunitate reo clementer data, implacabile odium ex animo penitus deposuerit. Damnosa pellicū lenocinia duos adeo perditè infatuauerant, vt legitimas coniuges exosi, quò in amatoria vesania, atque impuro pellicatu licentius baccharentur, de earundem interitu sceleratè cogitarent: id sceleris vt clam fieret atque impunè, visum est leni veneno mortem illis maturare. Verum cum tempestiuis nostrorum monitis venenariorum aures patuissent, non modò suum ipsi scelus detestantes, veneni consilium abiecerunt, sed etiam in totum perniciosas illecebras pellicatus, lenocinijque abdicarunt.

MVLIER cui se dæmones spectandos humana specie præbebant, turpi pollicitationum illecebra ab ipsis decepta, iamdiu veneficijs vacabat: cuius artis septa præsidio, cum nullius puderet flagitij, ad sempiternum exitium admirabili celeritate festinabat. Dum ex occasione noster concionator differit, quàm perniciosi exitus in singula momenta imminent ijs, qui lætalis noxæ pericu-

lo

lo obstringuntur, secum reputando grauiter cæpit æstuare. Deinde stimulante conscientia, defixis humi oculis tristis, ac sibimet irata discedit. Domi vero, etsi dæmones illam seriò de salute cogitantem, tum sordido venefici quæstu insidiose inescare, tum metu suspendij minaciter deterrere summa ope instirerunt; tamen vt multo erat acrior diuina oppugnatio, mox ad confessoris pedes prouoluta, traditis primum nefariæ artis instrumentis, confessionē inijt tanto cum fletu, vt lingua ægrè soluta vocem in verba vix efformaret. Paterfamilias capitali odio à filijs, propinquisque dissidebat, vlciscendique libidine obcæcatus, cum ad extremum vitæ periculum esset adductus, nescio qua animi peruicatia, certus omnino erat moriendi ab intestato, vt filijs certam subinde discordiarum causam inferret, cum luculento damno litigiosa hæreditas: id cum nostros non latuisset, confestim aduolant, prouoluuntur in genua, senem impensè monent, obsecrant, obtestantur, ne dum irati animi dolorem punit, semet vltrò perditum eat, quam certum sibi creet ex ea damnationis periculum, quam timendum salutis naufragium. Puduit hominem cum alios, alienæ salutis tam sollicitos videret, suam ipsum contemnere; errorem gemebundus agnouit; odium in filios, ac propinquos deposuit; videréque erat vt moribundo seni, reconciliata gratia, in filiorum & propinquorum amplexus ruenti, iuges lacrymarum riuuli præ lætitia prosilirent.

Alter copiosus cum esset, ac bene nummatus, nouissimáque valitudine conflictaretur, accersiuit è nostris vnum, è cuius consilio duo aureorum millia pauperculis in matrimonium locan-

 dis

dis legauit. Alibi procaces adolescentes dum prætereuntibus risu, sibilo, & cachinnis contumeliosè, & petulanter illudunt, honesti viri cæde, quod eorum petulantiam ægre tulisset, cruentas manus funestarunt. augebat facti atrocitatem derelictæ coniugis orbitas miserabilis, cum amplo liberorum grege, ætatis admodum teneræ, & in summa rei familiaris egestate; nostrorum tamen suasiones viduam impulerunt, vt deposito accusandi consilio, interfectores, haud iniquis conditionibus, impunitate donaret. Est & sua tyronibus laus, siue positam cum fructu, in publico ciuitatis nosocomio eorum operam expendamus; siue ea, quæ suis in peregrinationibus, bona sui nostrique ordinis existimatione, præclare gesserunt. Pręcipuus eorum labor in pacificandis hominibus stetit. Quam rem vt strenue vrgerent, opus aliquando fuit multa milliaria pedibus conficere, vt diffidentes animis, locorum etiam interuallis disiunctos, coniungerent, & ad æquitatem pacémque reuocarent.

INTER cetera, vt illud non haberetur vulgare, publica effecit nobilis cuiusdam oppidi lætitia: in quo, inter duos ciues primarios odium erat adeo implacabile; vt nullis vnquam neque amicorum, neque propinquorum, neque vero religiosorum hominum precibus potuerit tranquillari. Ipse oppidi parochus maioris hebdomadæ. solemniori die, cum sacrosanctum Christi corpus gestaret manibus, ad veniam petendam supplex accessit; nihil ea res obfirmatum perculit ad vindictam animum; obduruit magis, per summámque impietatem adijcere non est reueritus, vel ipsius Christi è cruce pendentis preces, surdis semper auribus exceptu-rum. Hanc tamen rupem adeo inaccessam, modis-

quo

que omnibus inuictam, quę tantorum virorum vires nequicquam defatigauerat; admotæ à nostris tyronibus primò quidem Diuini eloquij flammæ, post etiam preces & lacrymæ, ita facile penetrarunt, vt quamcúnque in partem aditus perfaciles habuerint. Rem celebrem, per ea loca, fecit commune multorũ desiderium, factæque sunt per literas Patri Rectori gratulationes, atque vnus ex tyronibus in quadragesimale ieiunium expetitus.

COLLEGIVM BRACARENSE.

PRIMAS hîc sibi partes vendicat Archiepiscopus Bracarensis, Hispaniarum primas, qui, vt quo loco apud se sit Societas declararet, non sat habuit toto hoc verno ieiunio concionatorem audire, sed id etiam sacrum, quod concionem antecedit, facere in templo nostro voluit; Præfectumque Ecclesiæ monuit, vt illorum in catalogo, qui sacrum maiori in sacello facturi erant, nomen quoque suum ascriberet: Et cum ad operandum tardiùs aliquando accessisset; culpæ reum se fassus, veniam supplex postulare non erubuit. Eo die, qui annum solet feliciter auspicari, magnis amoris & beneuolentiæ signis, nostro item in templo, bonam vrbis partem sacro Christi corpore impertiuit. Ceterum ædes nostra, incredibili ciuium frequentia ac splendore, celebratur; tantáque in tota hac Interamnensi regione Societatis opinio, nullum vt maioris ponderis negotium, nostris hominibus inconsultis, absoluatur. Fidem facient quindecim aureorum millia, quæ ad varios dominos

pro nostrorum arbitratu redierunt. Resarcita inter duos fratres amicitia, quam multorum annorum litigiosa contentio non sine ciuitatis offensa disciderat. Pater, qui aduersus filium, alieno inflatus odio per duos annos intumuerat, blanda emollitus sacerdotis nostri oratione, detumuit. In proximo oppido festum agebatur, quod quidem magno mortalium conuentu, & pietatis studio celebrari his in locis solitum est: Vocatus noster ad concionandum, cum in nimiam conuiuiorum elegantiam, extructasque conquisitis epulis mensas acriter inueheretur, tantum profecit dicendo, vt potissima conuiuij pars, quod eo die splendide atque pollucibiliter apparatum erat, ad pauperes egenosque peruenerit.

COLLEGIVM
BRIGANTINVM.

TANTI fiunt ad ædem nostram Sacramentorum, concionúmque causa, omnium ordinum concursus; vt eorum aspectu recreatus, simul & in non exiguam raptus admirationem huius vrbis præsul, felices eos populos ac perbeatos non semel prædicauerit, apud quos Societas sedem posuerat, quæ tam industrios in animarũ salutem alat operarios. Kalendis Ianurijs, qui dies Augustissimo IESV nomini sacer est, ea fuit omnium pietas, vt nemo alicuius notæ ciuis, tota in vrbe remanserit, qui apud nos Sacramenta eo die non obierit. Sublatę discordiæ, vna præsertim, quæ viros alios graues sine fructu exercuerat. Deformata viri primarij enormi vulnere facies, ipsum non so-

lùm,

lùm, ſed propinquos etiam ac cognatos ad maculam illam, multorum internecione delendam, acriter ſollicitabat: Magno in metu conſtituta erat ciuitas vniuerſa, & duas quaſi in partes diſtracta, nec ſine familiarium ſanguine placari poſſe videbatur. Rem ſacerdos noſter, cui plurimum deferebant omnes, multis iam menſibus nequaquā vrgebat: Longa tamen aſſiduitate & patientia, obſtinatos ad vindictam animos flexit in melius. Igitur Diuo Iacobo ſolemni die, cum ex vicinis oppidis ingens in hanc vrbem mortalium confluit multitudo, in ipſo miſericordiæ templo, mutuo in amplexus irruerunt omnes, tanta circumfuſi populi acclamatione, vt nullus fuerit, cui tale factum lacrymas præ lętitia, & ſingultus non expreſſerit.

COLLEGIVM PORTVENSE.

DIEM clauſit ſupremum Pater Fructuoſus Gondiſalui, poſt expletum quadrageſimum ſecundum in Societate annum, antiquæ vir probitatis, qui & explicandis tam publicè, quam priuatim, conſcientiæ nodis, operam ſuam multos per annos fructuosè locauerat. Obijt etiam frater Chriſtophorus Ludouicus coadiutor temporalis, qui in diuturno, quo preſſus eſt morbo, ſpecimen dedit minimè dubium virtutum ſuarum. Optimi erga nos Epiſcopi beneuolentia, & factis & verbis ſepiſſimè declarata. Maledicum concionatorem, qui in contumeliam noſtram petulantiùs, quàm par erat, linguam laxauerat, vi compulit

vt maledicta pro concione recantaret, omnémque faciendi amplius ad populum verba facultatem ademit. Idem cum ceteras Religiosorum familias officij sui commonefecisset, Societatem nostram prętermisit intactam, eiusmodi monitis haud egere non semel asseuerans, multáq; alia addens, quæ referre non est nostræ modestiæ. Falsis maleuolorum sermonibus alienata à nobis ciuitas, inchoatam anno superiore casuum conscientiæ explicationem, aut omnino impedire, aut saltem remorari, summa ope moliebatur. Nostrorum tamen patientia, atque in agendis rebus dexteritas, infestos ciuium animos ita facilè expugnauit, vt non plerósque tantùm sacerdotes, sed ipsos etiam templi maximi canonicos, alióſque viros primarios auditores habeamus. Vir vnus ab impio interficiendę vxoris conatu: alter à resti, quam cogitabat; alter à vanis dæmonum terriculamentis, nostris auctoribus auocati. Nobilium Sodalitium non ita pridem enatum, radices agit in dies altiores. Festus Virginis dies, ornatus cultúsque supra morem, pulcherrimo sane apparatu. Qua vna in re, ipse Sodalitatis Princeps, ex primaria Lusitaniæ nobilitate, suum aperuit erga Deiparam animum liberalissimum, munificentissimúmque. Porro reliquorum Sodalium aduersus Dei Matrem ea est religio, vt, quamuis quatuor, aut quinque leucas ab vrbe distent, eo semper die nostro in Collegio intersint omnes, quo missis in vrnam schedulis, aliquem ex Diuis Patronum sibi, quémque sortitò asciscere consuetudo est.

DOMVS VILLA-VICOSÆ.

NIHIL non optimum, polliceri ſibi de hac domo, Societas poteſt: & quidem, vt ſe dant initia, videre iam videmur, quanta hic demum futura ſit animarum ſeges; ſi felicibus auſpicijs cœpta res, vt ſperamus, melioribus exeat Sereniſſima Princeps Catharina, cum Duce filio, vxoréque excellentiſſima, nullum finem faciunt de nobis bene merendi; domum hanc vel ſua præſentia cohoneſtare, vel vniuerſo ſymphoniacorum choro feſtis diebus exhilarare, vel nouis, in ſingulos dies, beneficijs & muneribus, adaugere certatim contendunt. Reliqua aulę nobilitas, in ſectandis tantorum Principum veſtigijs, tota eſt; nihil illis prius, quàm vt totos ſe noſtram in amicitiam inſinuent, quotidianóq; vtantur noſtrorũ congreſſu; ad ſubleuandum domus egeſtatem, pręter alia ſubſidia, aureos contulerunt millenos quingenos. Ad templi etiam ornatum, ſacrámque ſupellectilem, excellentiſſimorum Ducum, illuſtriúmque feminarum liberalitate, facta eſt acceſſio non vulgaris. Luſtrata ſunt vicina oppida varijs excurſionibus, ac fructu non pænitendo; Elbis præſertim in ciuitate, opum diuite, obiti carceres, & noſocomia, ægri omnes, & vincti de criminibus auditi, piorúmque eleemoſynis, noſtri ſacerdotis induſtria ſubleuati, in Societatis deſiderium, quo iam diu ciuitas illa flagrat, nobilium animos magis, ac magis inflammarunt.

COLLEGIVM ANGRENSE.

IN Angrensi eminent illa: Vir facinorosus, atque in omni vitiorum illuuie, per annos triginta volutatus, alta quadam futuri sæculi obliuione vitam ducebat infelicem. Cum emergere ab illis sordibus sæpius eniteretur animus, varia obstabant dæmonum terriculamenta, qui missum faciebant nihil, vt suum illud vetus mancipium in rabiem, desperationémque adducerent. Cum anteactæ vitæ annos memoria repeteret, conscientiæque rationes secum ipse subduceret, vt confessario tandem vniuersas animi maculas aperiret, ecce tibi teterrimi serpentis specie in eius os insilire dęmon identidem cæpit, vt hominem vel ab incæpto variis terroribus deterreret, vel fauces saltem, ne quid effari posset, obstrueret; sed quò magis eum oppugnat, eò magis sentit suos conatus, ac labores ad nihilum cadere; inclamata námque IESV, & Mariæ salutaria nomina, importunissimi hostis insidias elusêre. Ille maturandũ sibi tanto in periculo ratus, sacerdotem nostrum è vestigio accersit, rem omnem expandit, déque eius sententia, qua sit ratione animæ saluti in posterum prospecturus addiscit. Alterius perditæ etiam nequitię, aduersus Deum, Diuósque impietas, diuinam, in se seruando, pietatem mirifice commendauit. Dæmoni se per multos annos in seruitutem dicauerat, donec flagitiosam pertæsus vitam, omnibus, quæ munire aliquam æternam ad salutem poterant viam, certa desperatione abruptis, mœstis clamoribus euocare dæ-

re dæmones cæpit, diráſque omnes ſuo ipſe capiti, fortuniſque ſuis imprecari: ſed quæ miſerentis Dei clementia eſt, in caſſum ceciderunt deuoti illi clamores. Adfuit noſter, qui hominem ab inſania, ad ſanitatem; a deſperatione, ad ſpem reuocauit.

COLLEGIVM
FVNCHALENSE.

MAGNVM apud hos Inſulanos Societatis nomen. Nobiliſſimus quiſque Sacramentorum, concionúmque cauſa nos frequenter inuiſit. Feminæ quinque, quæ fami melius, quàm famæ conſultum volebant, è flagitiorum latebris vbi deliteſcebant, ope noſtrorum eductæ. Diſcipulorum ea pietas, vt octauo quoque die, mentem fermè omnes cęleſti cibo reficiant Similiter in reſidentia Sancti Michaelis, communia illa Societatis onera, ſupra numerum, viréſque noſtrorum fuerunt: cum enim longe, latéque inſula pateat, plurimiſque oppidis, ac vicis abundet; nihil eſt è re Societatis, quod noſtros non ſit magno labore, ac induſtria peruincendum. Precipuè vero in corrigendis, ad æquitatémque reuocandis iniquis multorum contractibus, fructuoſus fuit. Quadrageſimali ieiunio, è tota ferme Inſula, ingens ad ædem noſtram omnium ordinum conuentus, vt ſalutari Sacramento peccata eluerent; conſcientiæque laqueos, noſtris adiutoribus, contritos euaderent.

PRO-



PROVINCIA TOLETANA.

SVNT in hac Prouincia ſexdecim domicilia, Domus Profeſſa vna, Collegia tredecim, Domus Probationis duæ, Reſidentia vna; per quæ diſtributi ſocij tres, ſupra quadringentos & nonaginta. Ex his Sacerdotes centum & octoginta, Studioſi ſeptuaginta quinque, ceteri Coadiutores. In Profeſſa Domo Toletana verſantur quadraginta & octo: In Madritano quinquaginta quatuor: In Complutenſi, & Domo Probationis annexa, centum nouemdecim; In Murciano ſexaginta octo; In Oropeſano duo & quadraginta; In Placentino triginta; In Occanienſi duodeuiginti; In Talabricenſi tredecim; In Tyrocinio Villaregienſi viginti duo; In Conchenſi decem; In Optenſi viginti quinque; In Toletano ſex; In Belmontenſi viginti; In Carrauacenſi viginti tres; In Seguritano ſexdecim; In Reſidentia Almagrenſi nouem. Admiſſi in Societatem duo; diem ſuum obierunt tres.

DOMVS PROFESSA TOLETANA.

MINISTERIA Societatis magno cum fructu exercita, præſertim in ſolemnitate Circumciſionis, quam illuſtriſſimus Eccleſię Toletanę celebrando domi noſtræ, auxit; qui & concioni interfuit,

interfuit, atq; in significationem gratissimi in nos animi, copiosam eleemosynam erogauit. Obijt hoc anno Pater Antonius Marcen, cum summâ totius ciuitatis mœstitia · quippe qui tanquam Pater omnium colebatur. Postquam enim varijs in regendis officijs defunctus esset, tandem in hac vrbe multos annos, cum magna vtilitate ciuium, qui nunc quotidie eius obitum deplorant, requieuit.

COLLEGIVM MADRITANVM.

QVOTIDIANIS Societatis nostræ ministerijs non mediocris hic facta est accessio, postquam certa, ad promouendam pietatem, instituta sunt Sodalitia. Horum vnum exiguo tempore accreuit ad quingentos. Quibus ad feruorem in primis commodarunt Sanctorum exempla, quæ semel atque iterum quot hebdomadis, in maximo ciuium concursu recitari solita.

COLLEGIVM COMPLVTENSE.

OBIIT Pater Manuel Lopez, in nostram Societatem admissus in Prouincia Lusitana, a Patre nostro Simone, missusq; postea est nouitiatus tempore, vt Madriti Patri nostro Fabro assisteret, atque in humilibus obsequijs inseruiret. Deinde primus, è nostra Societate, scholasticus in hanc Academiam venit: in qua tantę virtutis & modestię specimen

ſpecimen præbuit, vt plurimi concurrerent videndi gratia, qua tranſiturum norant. Magna ex parte Societatis opinio, quę in hac academia floret, Patri Manueli tribuenda eſt, quod cum Patre Villanueua primo huius Collegij fundatore, ſingularis, atque indiuiſus comes prima fundamenta iecerit, eiuſque loco ſuperior huius collegij conſtitutus fuerit; deinde & totam Prouinciam cum laude & fructu rexerit. Is etiam in ſenectute communem Societatis normam ita eſt amplexus, vt ne latum quidem vnguem a communi viuendi modo deficeret, nec vlli labori, Societatis augendæ gratia, parceret. Hæc ſingularis ſolicitudo prouectum ætate virum coëgit, vt nouitiatus domum (quam ſummopere in hoc oppido deſiderarat, quæque eius induſtria exædificabatur) frequenter adiret, atque ibidem laboraret: qui labor in caula fuit, vt in morbum incideret, ex quo & obijt. Vixerat in Societate annos quinquaginta octo; ſepultuſque eſt magna noſtrorum triſtitia, pariter & oppidi.

COLLEGIVM MARCIANVM.

QVIDAM vxoricidium committere cum vellet, duorum ex noſtris per domum eius tranſeuntium ſolo adſpectu ita compunctus eſt, vt non ſolùm facto deſtiterit, ſed etiam confeſſurus domum noſtram aduenerit. Obijt hoc tempore Pater Gutierre de Caſtro, vir plane ſanctus, qui vel in cubiculo, vel in choro ſemper morabatur; ita humilis, vt fateretur ſe nunquam inanis gloriæ tenta-

tentationem sensisse, quòd in se diceret nihil esse de quo posset gloriari; ita pauper, vt scabellum solùm haberet, nec sellam in cubiculo pateretur, abiectique semper vestibus indueretur; ita feruidus, vt pęnitentes, quantumuis duros, ad lacrymas prouocaret; ita ad laborem propensus, vt prius a vita, quam a labore discessurum se promitteret. Itaque obnixè petijt a Domino, ne diu in lectulo ęgritudinis causa decumberet, quo laborare semper posset; ita annuit illius dictis Deus, vt quatuor duntaxat diebus ęger, mortuus sit, cum summo totius ciuitatis dolore, quę post eius obitum ad funus tota concurrit, & rosaria, atque icunculas eius vultui, religionis ergo applicare instititiimo & scissuras vestium, calceos, aliáque indumenta ita certatim rapere, vt quātumuis eos impedire nostri laborauerint, tamen nudus fere in sepulchrum illatus sit. Huius, & alterius defuncti loco, admissi sunt duo in nostram Societatem, cum magna admiratione totius vrbis, vtpotè quod nobilissimi sint, neque eos detinere potuerit maximum parentum, & cognatorum obstaculum.

COLLEGIVM PLACENTINVM.

HABVIT triginta è nostris, tredecim sacerdotes, quatuor fratres philosophos, reliquos coadiutores. Magna fuit nostrorum cura in his, quæ ad pietatem spectant, tam intra vrbem quàm extra, ratione spiritalium excursionum quę factæ sunt ad populos affines. Facta quoque est accessio rei familiari duorum, vel trium millium aureo-

rum

rum, dono cuiuſdam feminæ rebus noſtris non mediocritis affectæ.

COLLEGIVM OCCANIENSE.

QVIDAM facinoroſus in ſomnis iudicem Chriſtum aſpectauit, à quo iam iam damnandus videbatur, niſi ſententiæ procraſtinationem Sancti, quibus homo ille erat conſecratus, obtinuiſſent: nec ille tamen deſtitit; ſed ſecundo terribilior idem iudex viſus eſt: quo deterritus venit ad noſtros, a quibus alterius vitę ineundæ rationem accepit, in qua & perſeuerat.


COLLEGIVM CARAVACENSE.

CONCIONVM beneficio relegati ſunt ludi, & ludiones. Quatuor in ceteris Principes ita commoti ſunt, vt publicè contractum celebrarint, vt ſi quis ad ludum rediret, magnam certi depoſiti iacturam pateretur; quod ita admirationi fuit, vt multo tempore in compitis & in foro, nullus, niſi de eo contractu, ſermo eſſet. Inter alia habet hoc collegium ſcholam puerorum, in qua prima litterarum rudimenta edocentur, & ſimul cum litteris omnia pietatis officia: miráque res fuit, vt cum pueruli, de miſericordia erga vinctos pauperes, ante natalitia Domini audiuiſſent à magiſtris, ita commoti ſint, vt xeniola, quæ ſibi a parentibus acceperant, detulerint ad carcerem; & inter pauperes,

peres, cum summa admiratione omnium, munuscula diuiserint. Nobilis item puer sex annos natus, cum iam fere animam ageret, parentem accersitum hortatus est, vt pauperibus prospiceret; cuius concionatoris voce commotus pater, in lacrymas prorupit, & ad miram pietatem erga egenos concitatus est: in cuius rei præmium superstes manet filius, qui pauperum causas apud suos, & alios semper agit.

COLLEGIVM SEGVRITANVM.

PRÆCIPVA hoc anno nostrorum industria circa infirmos, quorum copiosus fuit numerus, eluxit non mediocri fructu. Ex his vnus, cum in extremâ vitâ vsum vocis, & confitendi facultatem amisisset, eum in somnis vnus è nostris videre sibi visus est loquentem; & ecce eadem hora ad fores nostras accessit nuncius, Patrem accersens, indicánsque infirmo redditam vocem: adit Pater, confitetur infirmus, nec multò post lætus defungitur. Res familiaris, dono trium millium aureorum, aucta est.



PROVINCIA
CASTELLANA.

HABVIT Caſtellana Prouincia anno 1602. & 1603. (horum enim duorum annorum res geſtas hæ litteræ continent) Socios ſexaginta quinque ſupra quingentos, in ſedes vingiti vnam diſtributos. Domus Profeſſa, vna; Collegia ſeptemdecim; Domus Probationis vna; vnaque Reſidentia. In Societatem admiſſi tres; mortui, quæ magna clades fuit, viginti quatuor. Domus Profeſſa Valliſoletana numerauit Socios ſeptuaginta; Collegium quinquaginta, Sacerdotes ſeptemdecim, Fratres triginta tres, duodecim Theologos, duos Philoſophos, reliquos domeſticis negotijs diſtentos. Medinenſe duos & quadraginta, Sacerdotes ſeptemdecim, cæteros Fratres. Salmanticenſe prope quinquaginta; ex his quatuordecim Sacerdotes; Fratres Theologos quatuor & viginti; alios Coadiutores. Palentinum triginta duos, Sacerdotes nouem, Scholares ſeptem, Coadiutores ſexdecim. Abulenſe viginti, decem Sacerdotes. Segobienſe viginti; vndecim Sacerdotes, Scholaſticum vnum. Burgenſe viginti; decem Sacerdotes, duos Magiſtros latinitatis; reliquos Coadiutores. Domus Probationis Villagarſienſis quinquaginta. Collegium Legionenſe octodecim, Sacerdotes octo. Numantinum quatuordecim, Sacerdotes octo. Lucronienſe viginti, Sacerdotes nouem. Pampeiopolitanum ſeptemdecim, Sacerdotes nouem,

uem, octo Fratres. Montis Regij viginti, Sacerdotes octo. Compostellanum viginti tres, & interdum etiam sex, septem Sacerdotes, nouem auditores Philosophiæ, ceteros Coadiutores. Monfortense sex supra viginti, Sacerdotes quinque, vndecim auditores Humaniorum, reliquos Coadiutores. Ouetense quatuor & triginta, Sacerdotes octo, Tyrones viginti. Areualense viginti quatuor, Sacerdotes quinque, Scholares humaniorum duodecim. Vergarense octo, tres Sacerdotes, Fratres quinque. Santanderense quatuordecim, Sacerdotes sex, reliquos Coadiutores.

DOMVS PROFESSA VALLISOLETANA.

DEGVNT hîc septuaginta, neque numerus necessitati par est, obiere non pauci duobus hisce annis, quos meritò Prouincia desiderat. Primus Pater Ioannes Lopezius Mansanus, in Societate perantiquus, quippe qui annos octo & quadraginta nostra in religione complerit, verus Societatis filius, & sui amans instituti: alter Petrus Clauer infatigabilis operarius, & virtutis admirandæ: tertius Pater Baptista Mercadus Lucromensis incola collegij, sed morbo cogente, Vallisoletum in patriam venerat, spe ductus recuperandæ valetudinis, quam solum sæpe natale restituit: Dei tamen voluntate meliorem sortitus est patriam, & laborum, quos partim salubriter concionando, partim confessiones audiendo pertulerat, æterna, vt credere par est, mercede perfruitur: quartus Pater Petrus Leo multorum Pater in

Christo filiorum, cui vniuersa Vallisoletana ciuitas, tanti hominis desiderio permota, dolenter parentauit. Mortui sunt quóque tres fratres adiutores, antiqui duo, vnus nouitius, quorum & mors fœlix, & vita laudabilis. Admissi in Societatem quatuor.

Hvc spectat Patris Bartholemæi à Sicilia mors illa vitalis, quam litteris mandari necesse est, ad vtilitatem & doctrinam posterorum. Fuerat hic quondā ex nostris, & in hac regia curia notissimus, qui à nostro Patre Generali iustis de causis dimissus, tamen Dei beneficio vitam in Societate finiuit. Nam quæ & quanta nostræ familiæ sanctitas esset, magis carendo, quam fruendo cognouit; & in Societatis amore persistens, vel liber & solutus, religiosæ vitæ clara semper dedit indicia. Ergo stranguriæ remedium quęsiturus, Vallisoletum venit, chirurgósq; accersiuit lapidi eruendo, qui vehementer dies, ac noctes eum cruciabat; sed cunctis frustra tentatis, & animo aduersis erudito, respexit vnde excesserat, séque in Societatem rursus admitti postulauit. Illo ipso tempore Pater Visitator Vallisoleti morabatur, & rem præmeditatus attentè, bono Siciliæ, ad sanitatem remigrandi ianuam patefecit. Igitur Pater Præpositus, quibusdā nostris comitantibus, Bartholomæi grauiter ægrotantis adiuit hospitium, & vno ex Dynastis præsente, laicisque nonnullis, quos omnes Sicilia & testes adhibuit, & deprecatores esse voluit; ægrotum, cunctis applaudentibus, quasi postliminio recepit, & votorum denuo nuncupandorum potestatem fecit. Cúmque rei sese fama dilatasset, multi Hispaniæ Proceres, quibus fuerat idem Pater charus, vt Societatis in excludendo seueritatem antè approbarant; ita in reducendo charitatem maximis præco-

præconijs extulerunt. Fuit igitur triduo nouitius, incredibileíq; calcularis morbi cruciatus patientissime tolerauit; nosterque factus obdormiuit in Domino, & Societatis lucratus suffragia, ad cæleſtem patriam, vt speramus, iter expediuit.

Ædificatio noua feliciter inchoata est, in tantis angustijs pernecessaria; templi in dies creſcit ornatus, additáque Beati Ignatij nostri Patris imago perillustris, Christo se illi ostendente, & Romæ patrocinium pollicente. Quàm hæc fuerit tam externis, quam domesticis grata pictura, visentium, precésque fundentium concursus ostendit. Sacræ supellectilis hoc anno facta est accessio non modica; Réxque catholicus ex tribus calicibus, quos in Epiphaniorum die solet offerre, vnum nobis addixit. Conciones à quamplurimis frequenter auditæ, quo fructu, confessionum testata frequentia. Binas illas ferias templi nostri percelebres, Circumcisionis & Diui Antonij, quem Patauinum vulgus appellat, Rex & Regina cum aulicis suis honestarunt. Diui quidem Antonij diem festum Lusitana nobilitas nostro in templo celebrauit, ritúque Pontificio Vallisoletanus Antistes missam peregit: aderat illustrissimus Nuntius, insuper Archiepiscopi duo clarissimi, Eborensis, & Olysiponensis. Regio in sacello concionati sunt nostri, inque diuersis templis ad multiplices Regis Consiliarios, ipsis poscentibus, verba fecerunt. Ad varia monasteria sese multi contulerunt, vnúsque noster, ex illis, quorum audiebat confessiones, septemdecim numerat religiosæ vitæ mancipatos. Iudæus quidam genere Afer, copiosúsque mercator, à nostris ad fidem hic est conuersus. Is Madauræ negotiabatur, & cum multos ei

nummos Hiſpani quidam deberent, cum fide publica ad Regis curiam confugit, creditam pecuniam exacturus. Quidam enim ex chriſtianis ducibus, quos habemus in Africa, Iudæi & comes, & cuſtos, tale ei parauit hoſpitium, quale Hebræi vtraque neceſſitas depoſcebat. Ergo Iudæi hoſpes, frater Comitis Alcaudetenſis, qui Madauræ præeſt (Orani vulgò) Iudæum deducit ad noſtros, quorum prima cura ſalus hominis fuit, à noſtris ſacris alieni: hortantur, vt antiquatę Iudęorum legi renuntiet, & in Euangelica luce verſetur; paret homo intelligens, ſpretiſque diuitijs, quas amplas in Africa poſſidebat, baptizari ſe ſinit; chriſtianam deinde duxit vxorem, ſuámque neophytus veteribus probat pietatem. Decem ſerui, partim Mauri, partim Turcæ ſe Chriſto, noſtris hortantibus, dediderunt.

SEPTENNIS quidā puer Tunetenſis, quem Melitenſes liburnicæ captiuū adduxerant, herum comitatus Valliſoleti hoſpitem, dum noſtram templi ſpeciem admiratur, diuinorúmque officiorum religionē conſiderat, cuidam noſtro chriſtianum ſe fieri velle teſtatur; hero mox permittente, domi noſtræ cœpit inſtitui, tantáq; fuit myſteria diſcendi celeritas, vt intra duos menſes textum (quod aiunt) & gloſſam memoriter recitaret; interim lacrymoſis precibus ſe baptizari poſcebat. Oblata ei libertas eſt, reditúſq; permiſſus in patriam, quibus poſthabitis, de vno Baptiſmo laborabat. Denique ſalutari lauacro renatus, ad altare precatur aſſiduè: eum dominus non pro ſeruo, ſed pro filio habitum, profeſtis diebus ad ludimagiſtrum, feſtis mittit ad noſtros, vt quæ imbibit, fixa retineat. Huius exemplo, alij duo eiuſdem hominis ſerui, ad noſtram ſe

fidem

fidem conuerterunt. Serui præterea cuiusdam locupletis viri, catechesim à nostris audiebant, vt fierent Christiani. Ab hoc Rex seruitia illa poposcit, quę Christianis sacris imbuta non essent (egebat quippe remigibus ad triremes compellandas) cúmque ex catechumenis quatuor abduxisset, tamen vbi resciuit, quis horum esset status, nostris agentibus, libera voluit hæc esse mancipia, secutúsque breui baptismus est, & summi Regis famulatus, in quo vera est æternáque felicitas.

Mirandensi Comiti, qui supremo Regis Philippi hoc nomine tertij Concilio, summa cum laude præsidet, Maurus quidam seruiebat, fidelis ille quidem terreno Domino, sed admodum aucisus à cælesti: nullis enim precibus adduci potuit, vti se Christo mancipare. Comes libertatem huic dedit, mercedem serui famulatus, reuertendique ad suos fecit potestatem. At Maurus Dei instinctu, suorum immemor, manere statuit, baptismumque petiuit; apud nos aliquamdiu moratus, & in nostræ legis rebus instructus, celebrique Baptismo lotus, in vtriúsque Domini famulatu perseuerat.

Restat in hoc genere vltima eáque perdulcis historia trium Persarũ, qui Christianam fidem amplexi, vniuersam Hispaniam, non modò vrbem Pinciam exhilararunt. Rex ille potens, qui Parthis, & Persis dominatur, cùm ad Christianos Principes aliarum nationum, tùm vel maximè ad Regem Catholicum, perecelebrem quandam legationem destinauit. Persicus orator quosdam suos habuit in comitatu, & in ijs cognatum, virum, qui ætatis annos quadraginta quatuor compleuerat. Erat hic in Perside dux equitatus vniuersi, & patru-

ui legationis Principis amor ipsum coegerat, vxore ex præcipua nobilitate ad tempus relictâ, longum hoc iter suscipere, ac terræ marisque labores experiri: cúmque oborta tempestas legatum, legatique socios vehementer agitasset, hic de quo loquimur, falsum illum Prophetam Mahometum votis, & precibus inuocabat. Erat quidam Christi cultor in naui, eóque autore, Deum viuum & verum, procella adhuc sæuiente, Persa noster implorat, primò frigidè & voce semiuiua; sed fluctibus intumescentibus, Christianum se fore promittit ex animo, si quando ex illo periculo liber euasisset; incolumitatem argumento sibi fore, Christum non modo verum esse hominem, sed etiam Deum præpotentem. Ad has preces, & naufragi vota, tempestas conquieuit, ipséque memor, & gratus, Christianum illum, salubris propositi suasorem, familiariter habuit; & secretorum, colloquiorúmque illo ex die voluit esse participem. Patruus Persicæ legationis antesignanus, vt diximus, rem odoratus, ni ab incæpto desistat, dira tormenta minitatur, quo factum est, vt omnis illa Christum induendi ex animo elaberetur assensio.

VENTVM erat in Hispaniam, atque adeo in regalem Philippi curiam, cum in oppido Tudelensi Vallisoleto vicino, qui reus erat voti, grauiter ægrotauit. Venit in mentem casus ille maritimus, & quod animo statuisset recordatus, propositum renouauit; iteratáque Baptismi suscipiendi promissio, valetudinem propè desperatam magna ex parte peregrino Persæ restituit. Resciuit hæc Patruus, fratrisque filium promissis auocare, minisque deterrere non desinit. Enimuero immortalis Deus, qui mentem illam Persico dederat, vim etiam

etiam per quam, quò intenderit, perueniret, aperuit. Clam domo profugit, & ad Christianum illum, quo Rex noster in huiusmodi causis vti solet interprete, citus accurrit: cum hoc sana illa consilia communicat, illéque protinus Regem, de Persici oratoris hoc cognato iuuando, & protegendo compellat: opus illud esse Philippi, Hispaniarum Indorúmque Monarchæ, & maiestate & potestate dignissimum. Rex se iustissimæ causæ fautorem pollicetur; & viri, inter suos permagni, ad fidem & pietatem erudiendi, nostræ Societati cura demandatur. In hunc finem aliquot menses nobiscum diuersatus, per interpretem mysteria perdidicit. Viuebatur interim domi nostræ à duobus alijs è Regno Persarum, vno eiusdem legati amanuensi, & à secretis; altero eidem oratori administro gratissimo, qui cum & catechismo interessent, & nostri hospitis exemplo excitarentur, Christiani itidem esse voluerunt. Attamen qui à secretis erat Persico, apud Philippum Regem legato, Baptismum se differre dixit, dum in patriam reuersus, vxorem & bona reportet.

Legatus, rebus cum Rege Hispano perfectis, Olysiponem proficiscitur, vt ex illo portu cursum ad Persidem dirigat, tristis quòd sine consanguineo reuertatur. Ex vrbe illa, totius Lusitaniæ maxima, amanuensis ad Regis curiam graui de causa reuertitur, dumque negotium expeditur, suam conuersionem differre se amplius nolle affirmauit. De re factus certior Rex catholicus, & hunc hominis catechesim Societati committit: & cùm ad Baptismum & legati propinquus, & secretorum scriptor apti essent, iussu Regis prætiosissimæ apparatæ sunt vestes, inque regali sacello vtriús-

que Baptiſmus celebratur; lauacri miniſter fuit Regis eleemoſinarius, idémque Indorum Patriarcha: Rex & Regina Neophytos de ſacro fonte leuarunt. Regni optimates talem Baptiſmum ſua & præſentia, & frequentia decorarunt. Rediјt legati ſcriba in Luſitaniam, cui Legatus, ſimul atque intellexit eum eſſe Chriſtianum, præ iracundia efferatus interitum machinatur; quem ſcriba præcauens, Valliſoletum ad Regem Hiſpaniæ recurrit. Eius liberalitate & munificentia, tam ſcriba, quam ipſe legati nepos vitam honeſtiſſime degit, aureis ducentis in ſingulos annos attributis, datóque ad habitandum gratuito domicilio.

Tertivs Perſa Olyſipone baptizatus, horum Valliſoleti voluit eſſe conuictor, propriæ nationis amore naturali. Noſtris confitentur aſſiduè, & in diuinæ legis obſeruantia perdurant. Deſertorum hoſpitium ſuperioribus annis inſtitutum, Sereniſſimæ Reginæ liberalitas vehementer adiuuit: nam & valetudinarium commode ędificatum, apparatíque lecti, & ruinæ reparatę. Die circumciſi Domini ſacro, anni ſexcenteſimi tertij, Eccleſiaſtes Profeſſæ Domus, cum de myſterio illius feſtæ lucis, non minus copioſè quam accuratè dixiſſet, orationem ad Reges, in fine conuertit; obſecrans atque obteſtans, vt Ignatium in cælitum numerum quam primum referendum per ſuum oratorem, cum Romano Pontifice ſolicitè agant, nec rem tantam vrgere deſiſtant. Id quod Rex & Regina haud ſurdis auribus percipientes, humaniſſimè libentiſſiméque fecerunt, litteraſque ad vniuerſæ Eccleſiæ paſtorem miſerunt, amoris erga Societatem indices, obſides in Beatum Ignatium miræ pietatis.

Itvm

ITVM est ad custodias publicas; & qui ære alieno premebantur (creditoribus nimirum non stricto iure agentibus) & debito, & carcere, nostris agentibus, liberati. Sontibus in capitali supplicio præsto sunt nostri, solique è Regij senatus voluntate ad hoc munus aduocamur. Ex ijs vnus à prima pueritia fur, post ætate crescente excursor, & latro, bis ad triremes damnatus, semel in argenti viui fodinas inclusus, se nunquam corrigebat; postremò ob varia scelera comprehensus, de vita desperans, ipse sibi fame & inedia mortem consciscebat. Iudices, re cognita, sententiam ferunt capitalem; accersitus Pater ex nostris, hominem reperit ita animo affectum, vt salutis remedia prorsus respueret. Agebantur ea die quadragesimales feriæ conuersæ Magdalenæ: Pater diei vsus occasione, miserum illum consolatur; latro tacebat non aliter, ac si esset elinguis. Pergit noster sacerdos multa cõfidentię exempla narrare: in ijs boni illius latronis in Cruce cum Christo suffixi, & in eo sperantis, & Diuæ Magdalenę peccatricis, à Christo receptæ & dilectę. Hic facinorosus ille: Tace (inquit) Pater, serò mihi ista. Qui enim fieri potest, vt Deus recti amans, horis coactæ innocentiæ quadraginta contentus sit, quem annos octo & viginti, tam grauiter offendi? latro, quem testaris, vnus fuit, Magdalena similiter vna. Aderant ex vinctis complures flentes, & hominis statum miserabilem deplorantes. Pater insolito quodam feruore tactus, Christi imaginem cruce confixi, latroni extorquet è manibus, & in hæc verba prorupit: Maneto solus, & sine Deo, qui toties appellatus, rogatus, admonitus, mitescere noluisti. Quæ tandẽ, te pereunte, Christi Regni potest esse iactura? sicque è cu-
biculo

biculo, vbi fons erat, clauſo oſtio diſcedit.

Miser homo, quaſi è graui ſomno experrectus, clamat; Noli, noli (inquit) Pater abire: amentiam agnoſco meam, delicta iam fateor: ergo pænitentiam, & confeſſionem cum lacrymis & fletibus aggreditur: quo in fletu horarum ſex & triginta ſpatio perdurat; tot enim à mutatione conſilij, vſque ad ſupplicium ſuperuixit. Fuit quoque poſt confeſſionem diuino Chriſti corpore recreatus, & ad benè moriendum confirmatus; & qui vinctis ceteris terrori erat & offenſioni, nunc vitæ rectius inſtituendæ exemplo fuit, & documento. Rogatus à noſtro ſacerdote, quid boni egiſſet in vita? roſarium oſtendit pendulis Deiparæ imaginibus, quod ſemper ſe recitaſſe affirmauit, multáque Virginis beneficio pericula effugiſſe confeſſus: quin & illud adiecit, nunquam ſe paſſum fuiſſe, vt latrociniorum ſui comites, cuiúſque viatoris corpus attingerent, ſed ſola contenti pecunia, illius vitæ parcerent, cui bona rapuiſſent. Vt ventum ad patibulum eſt, & mortem fortiſſimè pertulit, & tantæ in Chriſto confidentiæ magna præbuit argumenta. Alius in omni vitiorum genere volutatus, cum die quodam eſſet in templo Diui Laurentij, hac ſe imprecatione, feruore ſubito abreptus, obſtrinxit. Domina (ante aram Deiparæ ſupplicabat, cuius effigiem Pincia cuncta frequentat) ſi in hoc ſcelus amplius recidero, publici carnificis me manus interimat; illam intelligebat prolapſionem quæ erat in ipſo creberrima: ſed peccandi conſuetudine relapſus, fidem, qua ſe diuinæ Matri obligarat, minimè liberauit. At verò Dei miſericordis abdito, & arcano conſilio, cuiuſdam ſæuiſſimè occiſi, in fluuiúmque proiecti, nex atrociſſima huic imponitur,

ponitur, & falsò accusatus, testibúsque conuictus, vel potius circumuentus, à iudice, idoneas probationes intuente, qui erat innocens damnatur.

Noster de more accersitus, re cognita, autor est reo insonti, vt aliud superius tribunal appellet, séque defendat, & mendaces testes, fallacésque coniecturas infirmet; veritatémque spondet fore victricem. Negat reus se velle diuino, potius quam humano, iudicio resistere: Illud aliorum delictorum iustum esse supplicium. Fateor, inquit, iudicis hanc pœnã, salutis pignus æternæ; hinc si effugero, quæ mea procliuitas est, flagitia pro foribus illa erunt, quæ (proh dolor) tam sæpe commisi. Igitur iudicis, acta ipsa, legésq; fori sequentis, sententiæ se omnino summittit, & animo æquissimo pœnam subijt capitalem. Publico puerorum catechismo à grauissimis quibusque Patribus nauata opera, ipséque Prępositus in hoc opere primus & multus. Illustrissimus huius vrbis Antistes suam bis diæcesim perlustrauit, duobus nostris comitantibus, quorum adiutus est opera, nullúsque non confessus ex tanta frequentia, quibus cælestem panem dedit Præsul exultans. Impudicæ fœminæ per nostros consultum vt resipceret, & ne rursum libidinis cœno volueretur, adiutum eius matrimonium, pecuniâ per nostros ad dotem hinc inde corrogata, qua in re & inclyti Regis, & misericordis Episcopi benignitas opportuna fuit.

In Cœnobio D. Pauli Dominicanorum, sancti Raimundi noua inter cælites celebrabatur adscriptio, nosterque concionator in eorum templo verba fecit non sine plausu, non illo quidem scenico, sed plane Christiano. Sacrum ibidem eo ipso concionis die, quo solent, cantu peregerunt numero octo-

octoginta ex Collegio, & domo Professa. Præcesserat sacri triumphi pompa celebris in sancti honoré, quam & Rex & Regis amici comitabantur; quæ pompa per Professæ domus templum directa est: in eo nostri ornatissimũ altare construxerant. Cuius visenda species, exquisitaque formositas, Regis & asseclarum ingentem admirationem excitauit. Scripta erant perpulchra poëmata, additæ significantes picturæ non paucæ, in Diui Raimundi laudem. Necesse fuit aliquot dies altare persistere, vt ad omnes & aduenas, & indigenas, aræ sanctæ exquisitus splendor, atque ornatus perueniret. Anno 603. Mahometani quatuor, duóque ex lege Mosayca se Christo deuouerunt. Seruum Tuneti natum, dominus sępe rogabat vt fieret Christianus; ille diu pertinax, morbo lethali correptus, in suæ gentis perfidia persistebat. Sed morte vicina, præter omnium opinionem & spem, Baptismum, Baptismũ inclamat. Pater adest illicò vocatus ex nostris, & pro tempore, quæ potest, de diuinę legis præceptis, déque nostræ fidei mysterijs inculcat; demum vt baptizaretur effecit: ergo salutari vnda tinctus, lacrymisque perfusus expirat.

ALTER ex eadem secta diu obstinatat, hero obsecutus nostros inuisebat, templum & fideles in eo precantes aspiciens, illius speciem, horum pietatem mirabatur, suę tamen conuersionis tempus differebat. Die quadam Patrem ex nostra Professa domo lætus conuenit, dictitans se iam effici velle Christicolam; didicerat nostras precationes, eásque vel Maurus vsurpabat, fuitq; catechesis ipsa facilior. Baptizatus annũ superuixit, eidem nostro semper confessus. Morbo consumptus è vita migrauit, eodem Patre lecto assistente, à quo paulò antè postremum

ſtremum anhelitum rogatus, nunquid animo angeretur, ita reſpondit; Bone Pater, nulla me culpæ admiſſæ cura ſolicitat. Nam ſuperioris vitæ peccata, per Baptiſmum, Dei clementia remiſit: à Baptiſmate, quod te non fugit, teſtem vitæ meæ, & animæ iudicem, nihil eſt Dei bonitate commiſſum, cuius me poſſit conſcientia mordere, itaque non multò poſt alacer, & confidens animam egit.

COLLEGIVM VALLISOLETANVM.

MAGISTER equitum, quem eundem ſtabuli comitem appellamus, qui in Caſtellę regno eſt à Rege ſecundus, à catholica Maieſtate in Belgium maximis de rebus miſſus, huius Collegij Rectorem, apud quem peccata ponebat, itineris, & legationis ſocium aſſumpſit, cuius & conſilio, & prudentiæ plurimum tribuebat.

AVCTA Bibliotheca eſt ingenti numero librorum, ad cuius incrementum, quidam noſter aureos mille quingentos collegio legauit.

COLLEGIVM MEDINENSE.

MORTVVS eſt vnus ſtudioſus non ſine luctu communi, quem fratris amandi iactura commouit; Alius in Indiam Occidentalem eſt miſſus. Extinctus eſt quoque bonus quidam adiutor nouitius, & Pater Didacus Vergara, veteranus in Societate miles, & operarius induſtrius,

ſiue

ſiue habenda concio eſſet, ſiue confeſſiones audiendæ. Pater quóque Antonius Quadratus noſtri Fundatoris nepos conſummatus in breui expleuit tempora multa. Menſe Ianuario à Dominicanis S. Raimundi celebrata conſecratio eſt, qua inter Diuos à ſummo eſt Pontifice Clemente VIII. numeratus, ipſiſque petentibus in eorum cœnobio altare magnificum architectati ſunt noſtri, quod omnium ſuffragio primas tulit. Concionatus item ibidem noſter eſt, Collegij Rectore ſacrificante, cui Diaconus, & Hypodiaconus ex noſtris adfuerunt. Picturis, & varijs poëmatis periſtil ij pars illa repleta, vbi noſtrum erat altare.

ILLVSTRISSIMVS Olyſſiponenſis Archiepiſcopus ad Regiam curiam iturus, menſem & eo amplius in noſtro Collegio diuerſatus, quàm eſſet Societatis amans oſtendit. Haud multò poſt clariſſimus Vallisoleti Antiſtes Ioannes Baptiſta Azebedius, cuius in ditione Medina eſt, cùm multa eſſent bono publico ſtatuenda, per quatuor menſes noſter fuit hoſpes: quod noſtræ Societatis obſequium prædicare non deſinit. Vt primùm Medina Vallisoletum rediuit, generalis ſacræ fidei inquiſitor eſt factus. Didacus Lopeſſius, qui cognominatus eſt bonus Regius auditor, è vita deceſſit, voluitque ſuum corpus noſtro in templo deponi. Concio habita eſt à noſtro de iudicis huius incorruptiſſimi laudibus, déque viri, virgineo flore decori, virtutibus admirandis; ita enim ſe Didacus in vita geſſerat, vt non modo ijs, qui Rempublicam adminiſtrant, forenſeſque lites iudicando definiunt, verum etiam religioſis, & monachis eſſe poſſit exemplo.

COLLE-

COLLEGIVM SALMANTICENSE.

TRes mirificos patres amisimus, scilicet Emanuelem Rojas Theologiæ præclarum interpretem, & animarum aucupem mirabilem, qui morum suauitate cunctis erat gratiosus. Habet Medinæ sepulchrum (vbi, dum iter medicorum consilio in patriam recuperandæ valetudinis causa tendebat, morbo oppressus, vitam cum morte commutauit,) Salmanticæ, & Vallisoleti monumentum. Vtrumque Theologiæ gymnasium suis explanationibus decorauit. Alter ex mortuis Pater Franciscus Solis, Salmanticensis iuuentutis non modo in confessionibus Pater, sed etiam in moribus pædagogus. Tertium, & lethale vulnus ex Patris Ioannis Siguensæ acceptum est morte, quem Theologiam explanantem audiuere ex Academia permulti: pro Societate, id est, pro veritate & iustitia pugnauit acerrime; blandiri nec ipse poterat, nec illos ferre, qui ad eam artem essent eruditi. Hoc eodem anno diuturna illa finita lis est quam Salmanticensis Academia nostris intenderat, obstans, ne in Collegio nostro externis auditoribus pateret aditus. Ergo Regius senatus vtrisque consuluit. Statuit enim, vt duobus nostris gymnasium in Academia daretur. Itáque post ferias Diui Lucæ, vnus noster Theologiam disputantem cœpit exponere, alter sacræ scripturæ mysteria reserare, numero discipulorum maximè copioso.

COLLEGIVM
PALENTINVM.

NOSTRORVM opera inter Prætorem vrbanum,& Episcopum Capitulúmq; grauis quædam discordia,lísque impedita, plena molestiæ.Seditio alia compressa, quæ cædem ruinámque multorum minabatur, non plebeiorum, sed patriciorum. Non minor ex missionibus fructus, ille præsertim,quem nostri in huius diæcesis castello quodam perceperunt. Deprehensa enim multorum, nobilium quidem, & cognatorum magna dissensio, quam nostri Deo iuuante, sustulerunt. Christianæ doctrinæ labor, solito maior. Nam Palentinus Antistes diuinę legis ignaros, & eorum inscios quæ sunt credenda, vetuit absolui. Quæ ad sacri altaris vsum amici donauerunt, quingentis nummis aureis æstimantur.

ÇOLLEGIVM
ABVLENSE.

DECESSIT bonus quidam adiutor. Ex tribus Sodalitatibus, quę opificum est,singulis sextis ferijs, corpus flagellis cæditin templo Collegij, quo & carnis lasciuiam coërceat, & Christi passionem memoria prosequatur.

COLLE-

COLLEGIVM SEGOVIENSE.

ADMISSVS in Societatem Ioannes Peres Doctor in ſacra Theologia, quondam Collega maximus Complutenſis. Obijt vnus è ſacerdotibus. Laicorum Sodalitas octoginta dinumerat, honorati in ea multi. Ad conciones ſibi proprias ſingulis dominicis diligenter accurrunt. Quod ſupereſt dici, in viſendis noſocomijs ægrotiſq; conſumunt. Sub noctem veniunt in noſtram ædem, vt ſe tenebris occultati diuerberent. Pater Ferdinandus Solierus Collegij vetus et Pater, et Patronus, poſt diuturnos podagræ dolores, morte feliciſſima immortalitatē impetrauit. Ludouicus à Mercado, ex Regio ſupremo conſilio, annua ſexaginta ſcutata Collegio reliquit in morte. Fundationis lis longa finem tandem inuenit. Itáque Baſilicæ noſtræ ædificatio, propter hanc cauſam intermiſſa, procedet. Eleemoſynæ aureorum ſexcentorum ſummam efficiunt.

COLLEGIVM BVRGENSE.

EXTINCTI duo: vnus Pater Ferdinandus Miranda, vir ſpectatæ ſanctitatis, totáque in vrbe notiſſimus, vbi multos annos confeſſionibus operam gnauiter dedit, functionibúſque Societatis diligenter incubuit; Alter Frater Ioannes Delgadius annos nonaginta natus. Vixerat diu mul-

túmque in Vallimarensi vicino Collegio, Vir inter antiquos numerandus, paupertatis cultor insignis, & amans laborum. Res Collegij familiaris aureis aucta ducentis quadraginta perpetuis, ex hereditate Marinę Ruisię, matronæ de hoc Collegio optimè meritæ.

DOMVS PROBATIONIS VILLAGARSIENSIS.

VNI è nostris in vocatione sua vacillanti, nocte in hospitio primæ suæ datę sunt vestes, vt postridiè manè exiret; at ille secreta voce teritus illud assiduè intonante, Quid miser agis? vbi porta pedem extuleris, mali dæmonis pręda fies: hac inquam voce territus, totam noctẽ in precibus & lacrymis vigilauit. Vbi diluxit, ad Rectoris, qui dimissum venerat, se pedes abiecit, flénsque & eiulans mansionem, expoposcit, olitoris domestici famulũ, quoad vixerit, se fore professus. Et cum Rector in eius exclusione persisteret, tam seriò emendationem pollicitus est eorum, quæ notabantur, vt facilè intelligi posset, dexteræ excelsi mutationem illam fuisse. Igitur in vocatione fixus vltrà progreditur, suísque commilitonibus palam affirmat, dæmonis faucibus se esse liberatum.

CATHEDRALIS Ecclesiæ Mindoniensis Concionator, venditis suis rebus omnibus, collum Societatis iugo subiecit. Viri doctrinam, dignitas Canonicorum suffragio delata, testatur; morum integritatem arcta illa familiaritas indicat, cum Isidoro Casa Mindioniensi Episcopo ad immortalitatem nato. Nouitium genere nobilem, anno-

rum

rum quindecim, soror ex edicto regali per aliquot dies sui iuris esse coëgit, in patriámque pertraxit; vbi à cognatis, & ab ipso vrbis præfecto vehementer oppugnatus, quàm esset constans ostendit, neque enim de maledictis, quæ in nostros obijciebantur, nec de magnificis promissis, si noster esse desineret, laborauit. Quamobrem ijdem cognati tertio à libertate die, cum iussio regalis tres dies præfinisset, desperantes se quidquam posse proficere, egregium athletam Societati reddiderunt: quippe ferrum se tundere dictitabant; admirationi porrò fuit nostri fratris, & modestia in responsis, & vitæ religio. Quidam alius similiter in Societate tyro, præclaram de suis victoriam adeptus, omne tyrocinium voluptate perfudit: decimum quintum annum is agebat, cum oris aspectus vix annos vndecim testaretur. Hic dies tantùm viginti nobiscum cōmoratus, à parentibus diplomate Regio Vallisoletum tractus, custodibus adhibitis, apud vrbis magistratum deponitur: quo tempore Gerarchæ, senatu dimisso, domos repetebant, quos tyro noster sic est allocutus. Viri pernobiles, opera in dissuadendo perdenda non est, nemo me in Societate complectenda decepit: toto biennio, vt admitterer, laboraui: tandem aliquando voti compos fui. Quæ hîc potest esse vel vis, vel fraus, vel religiosorum in captando versutia? Denique adolescentulum pater inuisit, quem non est dignatus alloquio; mater litteras misit tantæ efficacitis, vt virum in religione firmatū de gradu dimouerent. Nouitius memor legum nostrarum, epistolam intactam, & inuisam, ad illum Patrem misit, qui ex Villagarsiensi Collegio itineris comes fuerat. Christi imaginem puer habebat in manibus, cum eo

quem ipſa referebat effigies, crebra miſcebat colloquia, Id animaduertentes domus,vbi tenebatur, incolæ, Societatem quæ tales filios procrearet,vehementius amare cæperunt.

ALIÒ translatum, in gratiam parentum,quæ otioſa non erat, quò liberior ſibi aditus eſſe poſſet, conueniunt primò propinqui, inſtantque partim promiſſis,partim conuitijs : poſtremò ſeuerè affirmant, niſi cedat, matri eſſe moriendum,quæ filij deſiderio contabeſcat. Ille rationes cæleſti prudentia confutare, & quæ opponerentur, argumenta diluere, quæque illi de noſtris dictu fœda garrirent, parui pendere: quódque vltimum obiectũ eſt de matris miſero interitu, ſibi tanti eſſe negare,quando Chriſtus moriens matrem,quam impensè amabat,inter Scribas & Phariſęos reliquerit propè ſolam,atque deſertam: illa autem, à qua genitus ſum,inquiebat,neque ſola, neq; orba, neque à fortunæ bonis imparata remanſit. Quare cum illam in fratrum, & Patris honeſtiſſimo comitatu reliquerim, non vereor ne crudelis in parentem videri queam. Propinquis nihil agentibus, Pater ipſe ſuccedit, & blandimentis filium delenire fruſtrà tentat: quin & conſanguinei conantur veſtem adimere, vtque oculos attollat, quos modeſtè demittebat, flagitare non ceſſant, negantes eum iam eſſe Theatinum.Hîc autem Dei miles tantæ firmitatis indicia prębebat, vt de victoria cuncti diffiderent. Denique mater ingreſſa matronis ſtipata cognatis, omnes ad expugnandum filium machinas admouet, noctémque integram hoc in molimine tranſigit: nunc ei, quænam ipſius cauſſa egerit, quænam paſſa ſit, exprobrando commemorat: nunc ingrati animi crimen obiectat, quod

ſpreta

ſpreta matre ad alienos tranſeat: modò iram Dei, & de tantâ in parentes ſęuitiâ pœnas cęleſtes intentat. Quæ filius haud magni æſtimans, ſciſcitatur ex matre: Num puer IESVS boni filij ſit functus officio? eáque aunuente, Quot erat, inquit, annorum, cum matre relicta, remanſit in iemplo? duodecim, reſpondet. Cui rurſus ille: An Chriſtus veniam à matre petijt in templo latitandi? Atque illa negante, Si ergo Chriſtus, inquit, bonorum ſpecimen filiorum, in ſacra æde duodennis matre inſciâ remanſit, quam ſciebat lacrymarum vim ingentem præ dolore fuſuram; mirum eſſe non debet ſi ego, te inuita & collacrymante, ad ſacri IESV domicilium confugerim. Ad hæc reſponſa mater obmutuit, & à filij aſpectu gemebunda diſceſſit.

POSTERO die veſtes diuerſi coloris afferuntur, ingeruntúrque, imò & pretioſiores in poſterum promittuntur, quibus, ſi vellet, per regalem curiam ſpectabilis incederet. Ille verô ornatas veſtes offerentem, & nugas effutire perſeuerantem, verbis aſperrimis obiurgatum iubet faceſſere. Neque dum finis eſt pugnæ. Adſunt denuò parentes cum cognatis, & ea in nouum Chriſti pugilem tela contorquent, quæ haud quiſquam facilè, niſi qui cælitus eſſet armatus, depelleret. Ergo certamen, à ſolis ortu ad horam ſextam veſpertinam illius diei pertinaciter, obſtinatéque protrahitur: ſed defatigatis tandem parentibus, & amicis, ac pueri ſenilia reſponſa mirantibus, conrta multos vnus victor euadit. Itaque conſenſu parentum ad domum profeſſam ſe confert, noſtris exultantibus, & Dei promiſſum illud memorantibus: Ego dabo vobis os, & ſapientiam cui non

poterunt contradicere. Adolescentis pater illi nostro infensus, quo & consiliario & adiutore, filius Societatis ingressum obtinuit, postridie flexis genibus ab eodem veniam supplex petijt, filijque in Societaté, talibus auspicijs intromissi, vocationem Deo Opt Max. acceptam retulit. Venio nunc ad honorem & cultum Beati Patris Nostri Ignatij, quatuor illustrem ac testatum miraculis.

PRIMVM. Maria Guerna huius oppidi & ciuis & incola, Aluari à Quintanilla coniux, anno millesimo sexcentesimo primo, Kal. Septemb. puerperij arcta doloribus (erat partus ille primus, ipsáque ętas admodum tenera febrisq; accessione vicinam ad morté tendens, vnum é nostris Sacerdoté confessionis gratia accersiuit; hic munere, ad quod venerat, defunctus, quarundam per Beatum Patrem Ignatium, felices à Deo partus in puerperæ solatium memorare cœpit, eiusdémque Beati Ignatij imaginem promisit, si forte periculo augescente, humana remedia deficerent. Crescente igitur dolore affertur imago, atque ex Patris admonitu, dominica oratione quinquies recitata, ægrotę mulieris capiti imponitur, Deique præsidium Iggnatij meritis imploratur. Res mira: vt primùm imaginem parturienti maritus adhibuit, & Ignatium appellauit, fœtum pręgrandem & obesum mulier enixa est, professa nullum se dolorem in partu emittendo sensisse: lętus euentu maritus ad nos accurrit, vt & Patrem faceret de miraculo certiorem, & gratias propitiatori Ignatio ageret. Idem vxor, vbi conualuit, effecit; & sacratissimæ Trinitati sacra nonnulla fieri iussit in honorem Ignatij, quem illo ex tempore, præcipua quadam religione veneratur. Rei fidem iurati testes, publico scriba

ſcriba in tabulas referente, probauerunt, iuſſáque obſtetrix iureiurando affirmauit, partum illum naturæ viribus, ex matris aluo exire minimè potuiſſe, ſed eſſe, & haberi debere mirabilem.

SECVNDVM Didacus Sanctius Villagarſienſis, annis abhinc tribus, purulenti cruris dolore tabeſcebat, & circũ genua modo duodecim, modo octodecim, ſæpe viginti fiſſuris torquebatur; remedia multa, & ea ſumptuoſa tentauerat; facta in eum finé ſæpe erant ſacra; obita Diuûm altaria, ſed morbo nuaquã remittente, animum prope deſponderat: cruris exulcerati malum tam longè proceſſerat, vt domo exire non valeret, ſed tamen Circumciſionis die laborioſiſſimè venit in templum noſtrũ, ne in tanta feſtæ illius lucis celebritate ſuam canendi operam denegaret; cúmque dolores quaſi faces admouerentur, tamen ſeipſe continuit ne ſermonem daret. Exitus causã neſcienti fortè concionator, occaſione poſcente, quædã Noſtri Patris Ignatij miracula percenſuerat; quibus auditis, ſanitatem ſibi à Deo promiſit, Ignatio deprecante. Illo ipſo die cum adueſperaſceret, noſtrum concionatorem Didacus adit, ſperaréque ſe dicit valetudinis firmitatem, Ignatio apud Deum interprete; dat Pater noſtri Sancti Fundatoris imaginem, quam ad lectuli caput appenderet, ſuadétque certas vt precationes mane & veſpere recitet per nouem dies, vtque nono die peccata confeſſus ſacram Euchariſtiam percipiat. Ille ſequenti die rem auſpicatus, grauiſſimos ſenſit, non ſine Dei prouidentia, cruciatus. Secunda tamen die, vomicarum tertiam partem obduci ſentit; die tertia plures, quarta multò melius ſe habere aduertit, ſanitate pari paſſu cum hominis precibus properante: demum nono die crus

omnino sanatum est Didaco, domesticisque admirantibus, & præ lętitia gestientibus, confestim Sanctius iuit ad Patrem, rémque testatus, S. Ignatio tantum taléque beneficium proxime, & secundum Deum refert acceptū. Sed cum tam breui tempore tantum carnis concreuisset, prurigine allectus, vngues admouit, nouúmq; scabendo vulnus aperuit, quod tamen sacri alterius nouendialis medicina repetita curauit, votóq; se deinde obligat certas illas preces, quas à sacerdote nostro didicerat, toto vitæ tempore recitandi, diemque illū, in quo B. Ignatius è vita migrauit, religiosè celebrandi. Nouem sacra, eodē postulante, in Sanctissimæ Trinitatis laudem, vt vna eadémque opera Ignatio, Triadis obseruantissimo, gratificaretur, celebrata sunt. Argenteā insuper B. N. P. effigiem, efformari iussit, quam secum circumgestet, Cereum itidē obtulit, qui ante Ignatij imaginem arderet; quæ imago in nostro templo est, Villagarsiensis oppidi Domini munus egregium. Idem bonus cantor operam dedit, vt quod miraculum diuina potestas, Ignatio patrocinante, patrauerat, publico testimonio, & tabulis probatissimis consignatum ad posteros perueniret.

Tertium. Ioannes Fernandez Ecclesię nostrę Capellanus, vir cognitæ probitatis, & N. P. Ignatij cultor studiosus, febri iam dies quindecim confli-ctabatur, de cuius salute (quòd senex & debilis esset, atque hecticę quā vocant, suspitio non abesset) medici diffidebant: viderat is sui collegæ Didaci mirabilem, & planè diuinā sanitatem: plenus ergo spei, quendam è nostris accersit, à quo petit eiusdē B. Ignatij, cuius iste opem senserat, imaginē. Dat Pater, acceptam ægrotus veneratur, præscriptamq; à nostro sacerdote precandi formulā, nouem ipsos dies matutino

matutino vespertinoque tempore, diligenter exequitur: & die quidem septimo febri caruit, sed tam imbecillis fuit, vt se mouere non posset. At vbi dies nonus illuxit, vsque eò se fortem sensit, & validũ, vt in templum veneri gratias Deo ingentes acturus, a quo per B. Ignatiũ valetudinẽ diuinitus recepisset.

QVARTVM. Laurentius à Cueua annos natus septemdecim, nostri huius Gymnasij discipulus, adeò parotide premebatur, vt respirare non posset, medicis iam desperantibus, vitæque horas duodecim tantùm superesse dicentibus; erántque in palidulo adolescente multa præterea mortis imminentis indicia. Tum igitur eadem imago, quę Didacum Sanctiũ, & Ioannem Fernandez sanitati reddiderat, parotidi, mirandum in modum & tumidæ, & tabidæ, admouetur; & ecce illicò Laurentius obdormit, somnúmq; in auroram vsq; producit, è quo deinde expergiscens, & febrem abisse sentit, & colli tumorem subsedisse. Itaque illâ tetrâ colluuie, quæ ceruicem inflarat, prorsus exhausta, sic reualuit, vt duo de medicis eum de more inuisentibus, subita sanitate stupefacti, nouam illam insperatamq; valetudinem, à natura esse profectam iurati negauerint.

SVPERIORIBVS annis, fluuius Durias, cuius aquis Zamorensis vrbis muri alluuntur, in tantam excreuit altitudinem, vt in Sanctimonalium cœnobium, vrbi propinquum influeret. Sacræ Virgines metu, & trepidatione solicitæ, ad chorum confugerunt, sed alluuione furente fluuius irrupit, & aquarum impetu cingulo tenus madefecit: eas etsi cymbis ereptas à Zamorensibus, tamen tam male affectas innundatio reliquit vt omnes, duabus exceptis, mors dira rapuerit. Viuis permissum est paterna in domo valetudini studere. Vni crura tumuc-

muerunt,vomicæque oborię complures: medicamenta quæsiuit, sed tardante remedio, quidam è nostris Ignatij dedit imaginem, & vt quinquies precationem dominicam, & salutationem angelicam pronunciaret, hortatus est, salutémque à Domino per Ignatij merita postularet;id illa quotidie factitauit,capitq; dolor releuari; at verò die quadam vlcerum tabum,vt solebat,curatura,dum fascias adimit, quibus crura obligauerat, se sanam inuenit,atque ita ingredi cœpit,vt nunquã ęgra fuisse videretur. Hoc noster, qui imaginẽ dederat,ex litteris didicit,quas Virgo illa Deo sacra misit decimo sexto Aprilis, anno millesimo sexcentesimo tertio.

Floret latinitatis gymnasium & numero auditorum, & conditione: viginti quatuor intra sex menses varijs se cœnobijs dedicarunt,idem triginta moliuntur. Catechismo percelebri vtimur, non modo pueris, sed etiam viris canentibus: neque se subtrahunt generosi, quorũ hic magnus est numerus. Qui in Sodalitium Virginis cooptantur, præ ceteris in pietate se exercent, misericordiámque complexi, ægros inuisunt, egentibus, pro sua quisq; facultate,subueniunt: non desunt qui mendicos in cubicula sua deferant, & in lecto, quem sibi strauerant,charitatis quodam ardore decumbere, & iacere cogant. Quidam ex congregatis quendam pauperem paulo iracundius alloquutus, nocturno examine leuissimi delicti pungente conscientia, dormire illa nocte non potuit. Itaque eum,licet egentissimum,veniam supplex poposcit, & pedes osculatus,admirationem plausúmq; concitauit; erat enim qui se ita demisit, ætate adultus, & genere clarus,sed clarior pietate. Ad opulentam vicinam vrbem, quæ à fluuio suo nomen accepit,

forum

forũ Egurorum dixit antiquitas, ſolitæ miſſiones ſuum ampliſſimum fructum ſunt conſequutæ.

COLLEGIVM LEGIONENSE.

GYMNASIVM latitnitatis quadringentos habet: ſchola item de conſcientiæ quæſtionibus, haud infrequens eſt. Vtrumque, illuſtriſſimi Legionenſis Epiſcopi, ex Prædicatorum familia, fauore concreſcit; eſt enim rerum noſtrarum mirus adiutor. Donata ſacris vſibus, argentea Crux pretij centum aureorum.

COLLEGIVM NVMANTINVM.

EXTINCTI Patres duo, nempe Ioannes Saluatierra, & Ioannes Guerra, ambo ſpiritales animarum adiutores, & ex antiquiſſimis noſtræ Prouincię; mors vitæ conſentanea fuit; anno poſt Dominicus Murus vitam finiuit, qui annos tres & viginti Societati cum laude ſeruierat. Noua Sodalitas erecta eſt Nobiliũ, quorum elucet pietas & in Sacramentis percipiendis, & in concionibus, quæ nomine congregationis habentur, decimo quinto quoq; die, diligenter audiendis. Collegij lucra maiora ſunt facta, poſitis in fœnore mille ducatis. Elena Falconia de Velaſco diem clauſit extremum, ceterum quid noſtra cauſa vellet, multis argumentis oſtendit, ſacrarium centum aureis annuis locupletauit, Collegio ducenta ſcutata legauit.

COLLE-

COLLEGIVM LVCRONIENSE.

VNvs extinctus est Didacus Acosta. Missiones aliquot institutæ: vna ad vrbem Sancti Dominici Altrata, vbi vnus è nostris Calaguritano Episcopo flagitante, per aduentum, & quadragesimam conciones habuit: qui eidem quoque Antisti suę ditionis quædam opida perlustranti, comes fuit atque adiutor, præsertim habendis ad populum, quoquo iret, concionibus. Aliæ item missiones in alia oppida,& municipia,cum fructu confessionum non exiguo fuerunt. Cuiusdam meretricis conuersio annalibus digna. Hęc ob formam,& deformandi iuuenes artem, petra scandali erat, ita impudens, vt eos irrideret, qui salubria præciperent; sed vnius nostri vel concione vna permota, illo ipso die quo eum audiuerat, domum per nostros quæsiuit idoneam, vbi à lenonibus tuta, se ad confessionem generalem compararet, quam & fecit: nuntióque libidinosæ & exitiosæ vitæ remisso, rosarium nunquam deponit è manibus. Virginem enim à prima ætate dilexerat, floréſque in agro legere solita erat, quibus textam coronam Deiparæ imaginis capiti reuerenter aptabat. Igitur confessione expiata, sacro se pane refecit, nostrorúmque opera, ad patrem adhuc superstitem, longo interuallo, patriámque reuersa,& à parente cum tripudio recepta, prodigi filij parabolam repræsentauit.

AD templi noui substructionem, pręter eleemosynam è vicinis pagis vicísque collectam, Lucronienses ciues aureos nummos quingentos erogarunt.

runt. Michael Martinez nostri Patris Ægidij de Mata,(quem Iaponis procuratorem Romam euntem mors nobis iniuriosa subtraxit) frater germanus, moriens quadringenta collegio scutata reliquit, vxore legati consorte: quibus iam vita functis gratiam Societas & habet, & reddit. Congregatio in honorem beatissimæ Virginis, nunc primum erigi cœpta, eique proprium altare dedicatum: quo exemplo, ciuitas sibi Sodalitatem alteram postulauit.

COLLEGIVM POMPEIOPOLITANVM.

EVOCATVS est ad vitam, vt speramus, meliorem, Pater Franciscus Vega sexagenarius, vir mansuetus, & in audiendis confessionibus, concionibúsque habendis egregié exercitatus; sed præsertim in excursionibus ad varia loca, promptè suscipiendis & fructuose exequendis. Iacturam aliqua ex parte resarsit duorum admissio, qui in nostro Latinitatis gymnasio versabantur; quorum vnus, ex Redinorum est perillustri familia, cuius & hæres familię est factus, paulo post Societatis ingressum. Quidam in hoc regno presbiter, nomine Lobardus, religioso more viuebat, Nauarramque omnem obire solitus concionibus, confessionibus, & puerili catechismi institutioni, vt vnus è nostris operam dabat. Is hoc anno ad tantæ charitatis præmia vocatus, suam nobis bibliothecam, totamque suam rem familiarem, id est argenteos mille legauit. Sacræ nostræ ædis noua fabrica, ad coronidem ducta, sua specie mouet oculos; in eam

Sacro-

Sacrosanctum Christi nostri Saluatoris corpus religiosa pompa translatum; venit Prorex, regiusque senatus, ciuitatis, atque adeo Regni nobilitas. Primarij templi Canonici, & qui dignitate grandiori præfulgent, hanc eandem translationem, sua & symphonia, & præsentia honorare voluerunt: Pontificio ritu sacrificauit Antistes: populo applaudente concionatus est noster. Vespertino tempore, fundatoris, ex generosa familia Ioanis Pineiri, in nouum templum ac recens structum, ossa transtulimus, quæ erant in longinqua D. Laurentij paræcia sepulta. Defuncti ossa celebrius humanda prosequuti regni prætoris curia, vniuersæ parę ciæ, & ex quatuor religiosis ordinibus permulti cænobitæ. Omnes albæ ceræ candelas preferebant. Intulimus in templum nostrum ciuitate perfusa lætitia, & gratum nostrorum animum prędicante. Postridie primaria Ecclesia apud nos sacrum funebre modulata est, habitáque ab eo è nostris concio, qui Pineirũ optimè norat, & mira quædam de eius virtute narrauit. Lychnum pensilem argenteum, nouo templo illuminando, Proregis clarissima vxor attribuit, & casulam ex aurea tela elaboratam, serico intermedio miris laqueis anfractibusque distincto.

COLLEGIVM
MONTIS REGII.

NIHIL in hoc Collegio speciale, dignum litteris.

COLLE-

COLLEGIVM
COMPOSTELLANVM.

AD peregrinorum confeſſiones opportunus miſſus eſt Pater, qui linguas callet octonas, Belgicam, Anglicam, Germanam, Gallicam, Italam, Latinam, Græcam, Hebræam. Duo noſtri presbyteri ad regionem ſitu aſperam, victu ſterilem, contenderunt, & parœcias deſertiſſimas ſexdecim peragrarunt. Auditi in confeſſionibus mille, ignari eruditi, deprauati mores correcti, inimici ad concordiam reducti: fuit ruſticorum feruor tam inſolitus, vt ſe publicè verberarent, & ieiunijs corpus vltrò macerarent, & tanta quidem auſteritate, vt modus à noſtris fuerit indicendus. Cuiuſdam è noſtris fratribus martyrij laureâ inſignis, non eſt hic prætereunda mentio, imò & altius repetenda. Anno igitur nonageſimo octauo ſupra ſeſquimilleſimum, Dominicus Colinus Hibernus in noſtrorum numerum coaptatus, claris ortus parentibus, ſpeciéque & ſtatura viſenda, vitę annos duos & triginta compleverat, Philippi apud Britones dux equitatus. Quo autem tempore factus eſt noſter, ducis ſtipendia merebat in portu Brigantino, vulgo Corunna, militari honeſta & occupatione, & conditione detentus. Fuerat is etiam in mundi turbis valde pius: quippe qui & ſacræ lectioni, & ſalubri meditationi certum tempus dare conſueſſet. Noſtris autem adiunctus multo factus eſt melior, & dignus inuentus, qui in Hiberniā mitteretur ſaluti popularium, pro ſua virili parte, procurandę. Ergo Claſſiarios illos ſequutus eſt, qui anno ſexcenteſimo

ſecundo

ſecundo, Catholicis illius terrę auxilio futuri naues conſcenderunt. Noſtris in extremo complexu ſperare ſe dixerat, fore vt pro Chriſti nomine multa pateretur; neque eum fefellit opinio. Captus enim ab hæreticis, cum ſe Catholicum, & Romanæ Eccleſiæ alumnum clara voce profiteretur, vehementiſſime tortus, & cruciatibus diris affectus eſt: multa ei de Anglicanæ Reginę liberalitate promiſſa, atque in militia, quam eſſet à prima ætate profeſſus, honeſtiſſima quæque Hiberni Hiberno fruſtra polliciti. In ſententia permanenti mortem horribilem ſunt minitati. Noſter duobus dominis negat ſe poſſe ſeruire: certum ſibi eſſe Chriſto adhærere; De Elizabetha, Chriſto & eius Eccleſię teterrima aduerſaria, non laborare: necem quamuis atrocem habere ſe pro nihilo: propinqui interim circumcurſare: pecunijs de libertate agere: creditumque eſt ad aurem inſuſurraſſe, vt licet intus catholicus, exterius tamen obſequijs, ſeſe Reginæ probaret. Sed cum inanis eorum conatus eſſet & labor, ductus eſt ad ſupplicium in ciuitate Corcagienſi, & patibulo vicinus, flexis genibus preces imo fudit expectore, quibus mirabiliter animatus, ex ſuperiore loco catholicos, qui aderant, vt perſeuerarent, Reginę blandimenta deſpicerent, & ab hæreticis cauerent, qui venena melle lita propinant, hortatus eſt. Denique, ſuſpicite, ſuſpicite, inquiebat in cœlum, & fidem illam tueamini, quam veſtri aui & proaui conſtantiſſime tenuerunt, pro qua & ego ipſe nunc paro mortem oppetere. Quæ cum dixiſſet, mox interimitur, & vitam patriæ, Chriſtóque largitus, præmio afficitur ſempiterno. Ita feliciter finiuit, bonus hic miles Dominicus Colinus, & vita clarus, & morte; illiſque annumerandus,

numerandus, qui noſtram Societatem, fuſo pro fide Chriſti ſanguine, & vita integerrime acta, candidam & rubicundam reddiderunt,

Deiparae Sodalitium diu multúmq; deſideratum, tandé anno ſexcenteſimo tertio coaluit: conſcripti Canonici viginti quatuor, laici nobiles duodecim, ex Academicis itē non pauci. Conueniunt ſtatis diebus, vel vt aliqua ſalutariter conſtituant, vel vt noſtros præcipientes & hortantes audiant, vel vt confiteantur, atq; communicent. Facit porro perſonarum dignitas, vt huiuſmodi ſpectaculis ciuitas vehementer applaudat. Templi auctus ornatus eſt imaginū inauratis tabulis, & pluribus ſanctarum reliquiarum. Stetit opus aureis ſexcentis.

COLLEGIVM
OVETENSE.

Negotia cauſæque graues controuerſæ noſtrorum arbitrio permiſſæ, quo nomine, vt alia deeſſent, de vniuerſis Aſturibus noſtra Societas bene mereri dicenda eſt, quæ tam multa decidit, itque obuiam animi corporiſque detrimentis. Vni, vt alias omittam, occurſum eſt liti, quæ annos continuata duodecim, viros ex prima nobilitate ſumma cum pernicie diſtraxerat. Februarij vigeſima ſecunda die anni ſexcenteſimi ſecundi, Doctor Petrus Cauanas, Ouetenſis Eccleſiæ Canonicus pænitentiariæ, in Societatem aſcriptus, cuius & virtutis & ſapientiæ famā Aſturicum omnē principatum fuerat peruagata. Quo die vltimā ſalutem Ouetenſi dixit Eccleſiæ, lacrymanti præ gaudio, pias lacrymas collegæ Canonici reddide-

derunt. Nostris se addicentem religiosi, clerici, laici, qui multi conuenerant, hilari quodam fletu prosequebantur.

ANNO sexcentesimo tertio Patrum tertiæ probationis aduentu, & quinque sacerdotum additamento, Collegij renouatus est feruor, auctique pacificatores, qui huic plagæ valde sunt necessarij, vt extra intráque vrbem, per nostros rixæ consideant. Nostri B. Patris Ignatij commentationes multos externos ad vitam meliorem traduxere. His exculti inter alios quinque parochi, & octo Canonici. Huius medicinæ vim testificatus est vnus, qui ante mortem, quòd aleatoribus domum patefacere olim solitus esset, nostri, cui erat confessus admonitu, prius quam sacrum viaticum, è vita migraturus acciperet, ab Episcopo & Canonicis, qui Sanctissimam Eucharistiam, religioso & officioso comitatu detulerant, veniam publicæ offensionis, & vitæ licentioris supplex, & gemens postulauit. Patres tertij anni probationis missiones quasdam, sibi alijsque perutiles, obierunt. In templum ante lucem ingressi, ad horam vsque secundam pomeridianam, in audiendis confessionibus insistebant, sumptóque ex eleemosyna cibo aridissimo, ad templum confessionis causa recurrebant. Qui Valdensis agri tribules adierunt, confessiones prope bis mille numerarunt: quarum nongentæ generales. Quodam in loco rusticani nostros concionantes instar prodigij putauerunt, negabant enim simile quidquam illis in locis accidisse: multi quemadmodum crucis se signo munirent, Deusque esset orandus, nesciebant; cui exitiosæ ignorationi, & alijs quam plurimis, nostri, desertissimæ gentis Apostoli, remedium attulerunt.

runt. Nam ſexagenarij eruditi non aliter atque pueruli, & parochi ſui officij admoniti; quos noſtri ex varijs parœcijs congregatos, ad crediti gregis vigilem curam excitarunt: præter confeſſionum fructum, pax etiam inter multos, & ea ſtabilis conſtituta.

Vir quidam & nobilis, & ætate prouectus, temeraria ſuſpicione deluſus, filium & filiam, pectoribus admoto pugione, aduerſus innocentem matrem iurare coëgerat, & cum vxorem ficti adulterij ream necare ſtatuiſſet, noſtrorum ſuaſu venit in templum, & populo aſtante mendacem criminationem confeſſus, veniam ab vxore poſtulauit. Patris exemplo, liberi matri ſupplices, obiecti falſi criminis, peſtilentiſque periurij veniam, & indulgentiam petierunt; quam & marito, & filijs ipſa conceſſit, & hæc quidem geſta ſunt in valle Sibenſi. In municipio autem Valdenſi, matrona ob filij necem ita obdurucrat, vt multos annos, quòd interfectori nollet ignoſcere, à Sacerdote repulſa, neque pœnitentiæ, neque communionis ſacramentis frueretur: ſed vt à noſtro audiuit hiſtoriam terroris plenam, occiſi filij remiſit iniuriam. Remotis illis Aſturibus noſtrorum & itinera, & tolerantia laborum, tantæ admirationi fuerunt, vt Magdalenam Vlloam laudare non deſinerent, quæ talium operariorum collegium erexiſſet; ſed tamen fructus, ex illa peregrinatione duriſſima lecti, nullum clarius teſtimoniũ eſt, quam reſtitutio rerum furtiuarum, hic enim ſeriò pænitentium, quaſi lapis eſt lydius. Deniq; miſſionum hæc tanta ſalubritas, nouum Ouetenſem Epiſcopum ad Societatis amorem pellexit, quæ illi ante hoc tempus erat ignota; quamobrem noſtris, loca luſtrantibus, ſuam vicem

delegare, propitiúmque diploma tribuere consueuit; quæ res parochos nostris morigeros efficit, & ad animos facilius curandos iter explanat.

Nostra cum Benedictinis coniunctio antiqua, fit maior in dies. Nam præter concionandi vicissitudinem, illorum in nostro templo celebrioribus ferijs, vicissimque nostrorum apud illos; hoc anno ducentorũ Martyrũ Caradignæ pro Christo occisorum, noua recensque celebritas nostros impulit, vt xisti partem vnam peristromatis admodum pretiosis ornarent, appensis ex interuallo tabellis pictis, mirandæ pulchritudinis & venustatis. Structũ etiam altare, cui præ aliis palma concessa: carmina item scripta quamplurima Hispanè, Græcè, Latinè, ambitu politissimo circumclusa. Denique auxilio & ornamento monachis fuimus in illa pompa, & gratulatione Diuorũ, quos pro martyribus habendos Romani Præsulis auctoritas iudicauit. Abbas memor obsequij nostrorum, Patri Rectori os vnum pergrande donauit Beatorum Martyrum, quod monachi Caradigna detulerant, vt in suo monasterio sanctè, religioséque reponerent.

COLLEGIVM AREVALENSE.

Anno sexcentesimo secundo perillustrium Ferdinandi Telli, & ipsius coniugis Mariæ Telli ossa, ex Diui Dominici Paræcia ad nouum templum nostrum translata sunt, & à nobilissimis Areuacorum patritijs humeris deportata, clero & monachorum ordinibus comitantibus, & exequias


quias alba cera collustrantibus. Tumuli fabrica vere magnifica, & illo digna fundatore, qui præter alia decora etiam Philippi Regis in Africa, Gallia, & Germania dux fortissimus, & exercitatissimus fuit: qui & Madauræ quondam cum laude præfuit, atque adeo vbicumque pedem miles posuit, ibidem militaris præstantiæ, & christianæ probitatis impressa vestigia reliquit. Vicinorum collegiorum Rectores, & Vicarius prouincialis translationem celebrarunt. Decorabat Ferdinandum rubea crux, in gladij figuram conformata. Triduo habitæ à nostris, de eodem Ferdinando conciones, noua semper laudum eius suppetente materia.

COLLEGIVM VERGARENSE.

VERGARÆ mos ille pestifer inueterauerat, vt solo matrimonij fœdere contenti ciues, non spectato Sacramento, qui vir erat futurus, cum futura vxore commisceretur. Quin & designata coniux, quæ sine parocho, & sine verbis præsentem mutuum consensum exprimentibus, expetita magis, quam tradita fuisset, publico amicorum & propinquorum comitatu, in ædes sponsi ducebatur. Cum ergo priuatæ monitiones nequaquam audirentur, nostri pro concione turpem abusum grauiter reprobaruut: Quo factum, vt Ecclesiasticis, laicisque sententiam nostram approbantibus, seuerè à Magistratu in eos animaduerti cœptum sit, qui innuptas nuptias præpropera libidine polluissent.

RESIDENTIA
TVDELENSIS.

TVDELÆ Nauarrę, quam Tucrim dixit antiquitas, quidam è nostris ipsius vrbis inuitamento consederunt. Instituta est hoc anno sexcentesimo tertio supra millesimum Beatę Virginis Deiparæ Sodalitas; in quam ascripti è prima nobilitate permulti, suæ pietatis, & misericordiæ specimen dedere præclarum. Extruitur temporarium templum satis capax.



PROVINCIA
ARAGONIÆ.

CENSENTVR in Aragoniæ prouincia Socij trecenti, quadraginta quinque; Domus Professa vna; Collegia decem; Domus Probationis vna; Residentia vna. In Valentina Professa Domo, tres & quadraginta. In Collegio quadraginta octo. In Gandiensi Collegio duodeuiginti. In Cæsaraugustano vnus & quadraginta. In Bilbilitano vndeuiginti. In Tarasonensi totidem. In Barcinonensi viginti septem. In domo Probationis Tarraconensi vndesexaginta. In Gerundensi Collegio triginta. In Balearico viginti sex. In Vrgellensi vndecim. In Ilerdensi sex. In Residentia Perpiniana octo. Ascripti in Societatem octo; Defuncti nouem.

DOMVS

DOMVS PROFESSA VALENTINA.

FESTVS Circumcisionis Dominicæ dies celebratus maximo concursu tum plebis, tum primorum vrbis. Concionē habuit Illustrissimus Patriarcha, idem & Prorex, qui nostris etiam, pro sua humanitate, medius adsedit prandentibus. Porro tres dies proximi Cineralibus, & octo etiā Christi Domini Corpori sacri, agitati in templo nostro mira musici concentus, luminum, florum, frondium, odorumque varietate. Congregatio Prouincialis acta hîc Aprili mense, tanto Patrum Professorum consensu, vt sex dierum spatio confecta res sit. Enituit vero tunc ciuium in nos amor ac benignitas; vt centum ferè socijs, qui hîc aderant, abundè suppeterent omnia. Vno eodémque die concionati nostri in duodecim vrbis locis, quod & voluptati omnibus fuit, & admirationi. Excursiones hinc factæ sunt duæ in aliquot huius regni oppida, magno fructu: in quarum altera, illud multorum commouit animos. Cum initio affirmarent oppidani absuturos plerosque à concionibus, quòd agrorum instaret cultus, nostrique nihil propterea retardati concionari cœpissent; ceteris ad concionem accurrentibus, agricola vnus è primis in agrum ire perrexit: sed bos alter, quo ad eam diem mansuetissimo semper vsus fuerat, iugum omnino repulit, domino, alijsque qui aderant, vel maxime contra nitentibus; quin etiam parum affuit, quin vnum ex ijs, qui iugum imponebant, cornu transfigeret.

Quare ratus agricola id omissæ concionis causa fieri, domum è vestigio redijt vnà cum socijs, & sub concionem iterum reuersus ad aratrum, cum iugum sustulisset, bos ipse sponte, vt antea sole bat, accurrens colla submisit. Quod miraculi instar ab omnibus habitum fuit. Multæ confessiones à viginti, triginta, quinquaginta annis iteratæ: Atque, vt cetera omittam, qui à recipiendo nostrorũ aduentu, sese paullo ante subduxerant, ij postea eosdem abeuntes non sine incredibili desiderio, lacrymisque prosecuti sunt.

COLLEGIVM
VALENTINVM.

VITÆ cursum, vna cum studijs confecit Philippus Trondoni spectatæ probitatis, ingenij, atque doctrinæ. Hunc mox sequutus est Pater Franciscus Soarez Lusitanus: qui grauis ac diuturni morbi molestias, magno virtutis exemplo sustinuit. Quanta vero sit apud Valentinos ciues, nostrorum opinio doctrinę atq; prudentiæ, vel illud argumento fuerit, quod ad stabiliendam nouis legibus & institutis publicam Academiam, delegerunt vnum è Collegis. Piorum exemplorum narratione, verberatione, exhortationibus ab vno è nostris in publico Gymnasio habitis, & frequenti Sacramentorum vsu, vix dici potest quantum profecerint Auditores in omni genere probitatis, pręsertim Parthenici: ex quibus in nostrum ordinem adscitus est vnus è multis, in alios, plures. Monachus quidam per errorem dimissus è Religione, (quod contra Pij V. Pont. Max. Bullam de illegitimis,

gitimis, credebatur professionem emisisse) vxorem duxerat bona fide, ex eàque per annos octo, duos susceperat liberos. Sed cum graui ac diuturno mœrore tabesceret in dies, statuit nostros adire solatij causa, sibi omnino persuadens, id factum ob vitæ prioris mutationem, nulla licet sua culpa. Sacerdos autem noster, re diligentius explorata, animaduertit tandem eum vere fuisse, & esse religiosum, atque adeo irritum esse matrimonium: idémque mox sensere viri alij non indocti, quos pœnitens ipse consuluit. Itaque relicta vxore, filijs, domo, bonísque omnibus, lætus & alacer redijt ad cœnobium, ei gratias agens ex animo, qui se sibi Deóque reddidisset.

COLLEGIVM
GANDIENSE.

QVIDAM nostrorum operâ eò deductus est' vt inustam alteri infamiæ notam declararet in medio foro, conuocata ad eam rem hominum multitudine. Missi Patres duo ad oppida quatuor, non sine ingenti animorum lucro, domum remigrarunt. Sodalium opera soluti sunt vinculis 150. Illustrissima. D D. Ioanna à Velasco Ducissa Gandiensis, optimè de Societate merita, plurimas easq; insignes nobis misit Reliquias Sanctorum, & thecas etiam, atque imagines fictas, auro gemmisque fulgentes, quibus eæ includerentur; Regium planè munus. Ad eas vero ritè collocandas in templo nostro, instituta fuit pompa percelebris, quā Dux ipse, vt est pius, & ordinis nostri studiosus, honestauit facem manu gestans accensam, cum cetero

ro Magiſtratu, viriſque primarijs, quos Noſtri ardentibus cereis pro templi foribus exſpectabant. Igitur locatę Reliquiæ ad vtrúmque aræ maximæ latus, prægrandibus ligneis thecis duabus. Poſtridie vero res diuina ſolemni ritu peracta, adſtantibus Ducibus, vnoque è noſtris Sanctorum laudes prædicante.

COLLEGIVM CÆSARAVGVSTANVM.

OBIIT pridie Kal. Octob. Pater Andreas Perez, Iumillæ in Murciæ regno natus, annorũ ſeptuaginta ſex, Societatis vero quadraginta octo, Coadiutor ſpiritualis formatus, operariorũ Societatis exemplar; vir plane indefeſſus, & in audiẽdis, egentiũ præſertim, confeſſionibus aſſiduus. Quam ad rem vt eſſet expeditior, quotidie mane ſub orationem rem diuinam faciebat. Cuius rei facultatẽ per aliquod tempus, ob aciem oculorum obtuſam, amiſerat. Sed iterum eam precibus potius, quam alijs medicamentis, obtinuit. Erat natura ſimplex, integer, candidus, prudens tamen & cautus, humilis, mitis, læta ſemper ac ſerena fronte, renidentiq; vultu. De antoactę vitę genere, & abiectis officiis iucundè ſæpius loquebatur: ægros tum domi, tum foris frequens inuiſebat: curabat diligenter, ne condonationum Pontificiarum lucra ſibi, alijsve & viuis & mortuis, vllo modo perirent. Patientiæ vero ſpecimen dedit, cum in omni vita, tum vero potiſſimum morti vicinus. Quo etiam tempore, mente erat in Deum ſemper intenta, vt ſocio ad eam rem adhortanti reſponderet: In quo igitur

mentem defixam esse oportet, nisi in vno Deo?

Missiones quattuor hinc factæ, multorum animi salutem attulerunt. In oppido quodam instituta est Sodalitas Sanctissimi nominis Iesv, ad tollendam prauam iurisiurandi consuetudinem. in alio extinctæ faces discordiarum inter Magistratus & Clerum, quæ ingens minabantur incendium. Cuidam hæretico, iam iam publicis flammis vrendo, lux veritatis affulsit vnius è nostris opera; ita vt quo antea fuerat obfirmatior in errore, tanto deinde arctius catholicam fidem amplectaretur, eandémque chirographo testaretur. Femina quædam flagitiosa iracundiæ vi, quasi furijs agitata, sese pręcipitare voluit in Iberum; dúmque rupe conscensa, hæret anceps ac dubia, equitem conspicatur in medijs vndis, magnis vocibus acclamantem: Age, ne dubita in profluentem te dare pręcipitem: ipse enim te cadentem excipiam, ac tuebor illæsam. Quo illa viso, ac voce perterrita, Christi Iesv nomen ac numen implorat, equitéque illicò ab oculis discedente, redit ad se, factique pœnitens venit ad nos, salutaribus pœnitentiæ aquis expianda.

COLLEGIVM
BILBILITANVM.

Erat summa inter Priorem quendam & Canonicos Regulares, à multis annis de iurisdictione contentio; multiq; viri graues nullum non mouerant lapidem, vt eos ad concordiam reuocarent, irrito tamen conatu. Denique iussu Catholici Regis, ad Archiepiscopum Cæsaraugustanum

delata

delata res erat, vt eam pro arbitrio, sua sapientia & auctoritate componeret. Is post longam consultationem lata quidem iam, sed nondum tamen promulgata sententia, excessit è viuis. Quare res eodem, quò prius recidit. Postremo igitur ab vtrisque litigantibus, Magistri cuiusdam Dominicanæ familiæ, & Collegij nostri Rectoris fidei arbitrioque commissa, & multis vltrò citróque agitata, honestis vtrinque propositis conditionibus, optato tandem aliquando fine, Deo benè iuuante, conclusa est, & quo firmior esset in posterum, publicis tabulis consignata. Quæ cum postero die in exhedra, præsentibus concordiæ testibus, recitatæ fuissent, & vtriúsque partis auctoritate rursus confirmatæ, mutuis omnes amplexibus sibi gratulantes, vix lacrymas tenere potuerunt. Fuit ea concordia ciuitati vniuersæ non minori exemplo, quam antea fuerat offensioni.

Scholæ florent & numero auditorum & fructu. Scholasticorum egestati subuentũ in tempore, nec sine exemplo. Nam cum altissimæ niues ita vias omnes obsedissent, quę ducunt ad pagos vicinos, quo illi de more stipis caussa itabant, triginta è nostris qui in vrbe restiterant, istis ne fame perirent, per aliquot dies ad victum necessaria domi suppeditarunt. neque his tantum benigne factum, sed etiam alijs, qui fores gregatim, fame stimulante, pulsabant. Egentissimus quidam Scholarum nostrarum alumnus, puellas duas apud ipsarum Patrem, virum honestum, docebat quotidie legere. Earum altera pudoris oblita virginei, verborum lenocinijs iuuenem aggreditur: at ille grauioribus eam verbis obiurgans, castissimi quondam Iosephi exemplo, domo cessit, relicta stipen-

dij

dij parte nondum ſibi perſoluta, rametſi ea vehementer ad victum indigeret.

COLLEGIVM TARASONENSE.

VTRAQVE Congregatio ſuos hoc anno progreſſus habuit, ea præſertim, quæ conſtat ex clero & ciuibus. Frequentant enim carcerem publicum & noſocomium: comitantur Euchariſtiam cereis collucentibus, quotieſcunque ad Sodales defertur ægrotantes. Altera, quæ Scholaſticorum eſt, quattuor è ſuo numero peperit Carmelitis, totidem Nobis. Multorum odia noſtris ſuadentibus conſopita. Itum in oppida noſtris nunquam exculta muneribus, multique è dęmonis faucibus erepti.

COLLEGIVM BARCINONENSE.

EXEVNTE Auguſto exijt è vita Pater Thoribius Manſan Hiſpalenſis annorũ ſexaginta duorũ, Societatis vero quadraginta duorũ, varijs morborũ generibus, ac pręſertim aſthmate diu afflictus, ſingulari patientiæ ac ceterorum virtutum exemplo. Munera Societatis fructioſius hoc anno, quam ſuperioribus obita. Concionati ſunt duo, domi alter, alter vero in Parœcia Vrbis primaria, tanto ciuium concurſu fructúque, quantum multi numquam ab annis quadraginta ſe vidiſſe meminerunt. Pœnitentibus Confeſſarij pares eſſe non poterant.

Lacry-

Lacrymæ, singultus, suspiria, latentem in animo dolorem non obscure testabantur. Fuit in ijs, qui cum vi doloris oppressus iaceret humi, iuclusa voce, sensuque propè extincto, sacro inunctus sit oleo. Vbi vero se collegit, rectâ contendit ad Patrem, quem audierat concionantem, ad eiusque pedes supplex abiectus, magnis vocibus diuinam misericordiam implorauit. Multis reluctantibus seruatur Senatus Regij decretum, quo nostris duntaxat data Prouincia, deducendi capite damnatos ad supplicium. Collybi genus iniquum, quod multorum damno vsurpari iam cœperat, à Nostris & verbo & scripto confutatum, simulque ostensum, qua ratione ad iustitiæ normam reuocari possit. Prorex familiæ nostræ percupidus, diebus Dominicis ad nos ventitat Sacramontorum caussa, eiusque vestigijs insistunt plurimi. Congregatio nobiliorum duos singulis hebdomadis submittit ad vinctos, & ægros, vt ad eorum libertatem & salutem incumbant.

COLLEGIVM GERVNDENSE.

CATECHESIS tribus tradita locis, incredibili turba, profectuque puerorum. Templum ornatum lipsanothecis duabus, magni splendoris ac pretij. Hoc anno, ipso videlicet conceptę Virginis Mariæ festo die, data primum candela Fundatori Collegij a P. Visitatore, qui forte tunc aderat.

DOMVS PROBATIONIS TARRACONENSIS.

DISCESSIT è vita primùm Martinus Alanda rerum domeſticarum adminiſter anno ætatis ſexageſimo ſexto Societatis vero trigeſimo ſexto externis ac domeſticis æque carus propter mores ſuauiſſimos, & rarius vitæ exemplum. Deinde Dionyſius Nebot dum in tertia probatione verſatur anno ætatis trigeſimo ſexto Societatis decimo tertio diu in ea profeſſus humaniores litteras magna cum laude; quibus etiam reliquum vitæ curſum dicarat, annuente P. N. Generali Poſtremo Coadiutor vnus antiquior, & nouitij duo ſcholares. Non ſolum tyrones, quorum fuit hoc anno ingens multitudo, ad omne pietatis genus ex præſcripto legum noſtrarum exercentur; ſed ad externos etiam quoad fieri poteſt, redundat vtilitas, quâ concionum, & exhortationum ad Virgines ſacras, quâ catecheſis & exemplorum, quæ in Aduentu præſertim & quadrageſima, ante verberationem narrantur in templo, quâ Sodalitatis quotidie magis, magiſque effloreſcentis. Sodales duo, eius memores religionis, quam Sodalitas ipſa profitetur, cum grauibus affecti fuiſſent iniurijs, vltionis conſilium libenter abiecerunt.

MINORESSAM profecti duo Quadrageſimali ieiunio, mirabiles animorũ motus excitarunt. Auſetanus Epiſcopus, in cuius eſt illa diœceſis, ducentos nobis aureos attribuit, ad ſacellum extruendum ſupra ſpeculam illam, vbi olim B. Pater Ignatius, prima ſuæ ſanctitatis veſtigia non leuiter im-

pressa reliquit. Primus lapis in in fundamento locatus ipso Christi Domini ab inferis redeuntis die, adstante Canonicorum Collegio, ciuitatéque vniuersa, multisque alijs ex oppidis pagisque finitimis. Sacris rite peractis, Concionator noster, Pontificis nomine, quadraginta dierum condonationem concessit omnibus, qui sacris interfuerant.

COLLEGIVM
BALEARICVM,

BEATÆ Virginis cœtus seminarium quoddam est clericorum, ac religiosorũ virtute pręstantium. Cuccensis Regis Legatus, Regi ipsi propinquus, à nostris vna cum filio imbutus catechesi, sacro mox fonte lustratus est. Is acceptam à Mauris in odium susceptæ religionis iniuriam, vlcisci se velle omnino negauit, quod esset christiana lege prohibitus. Eum mox sequuti sunt Legatus alter eiusdem Regis, & famulus quidam Legati prioris, qui diu æger dubio vitæ periculo, vbi salutari tinctus est aqua, è morbo conualuit. Multi subscriptioni parentis nostri Ignatij, saccóque sanitatem corporis acceptam referunt. Præfecta cœnobij cuiusdam, in magno vitæ periculo Beatum Ignatium, sępe vocatum, se vidisse testata est, eóque discedente, melius habuisse: allatam vero ad se postridie eiusdem imaginem, quam summis votis expetierat, cum vidisset, Hæc, inquit, est facies Sancti Ignatij, quam vidi. Alia quædam nobilis femina assiduis, ijsdémq; grauissimis affecta doloribus, vt nullam quietis partem capere posset, vt primùm eiusdẽ sacci partem ei corporis parti applicuit,

applicuit, vbi acrius dolor vrgebat, eo repentè sedato, somno correpta est, breuique omnino sanata. Alia item femina grauiter æstu febrique iactata, cum eandem sacci partem admouisset auriculę, vbi dolor erat vehementior, subito dolor omnis in alteram translatus auriculam, eiusdem adiumento sacci tandem omnino depulsus.

COLLEGIVM VRGELLENSE.

IMPOSITVM hoc anno fastigium templo, liberalitate Fundatoris. Multorum odia inueterata nostrorum ope restincta. Fructus præcipuus extitit ex missionibus in pagos circumiacentes: in quorum vno vir, ceteroquin honestus ac diues, qui neglectis matrimonij legibus duodecim annos impurè vixerat, vxore mortua; generali confessione expiatus à nostris, pellicem ipsam, multis difficultatibus superatis, duxit vxorem. Multorum præterea paci, famæque prouisum. Pyxides alicubi ligneæ asseruando Christi corpori, cum argenteis, piorum eleemosyna, commutatæ.

COLLEGIVM ILERDENSE.

ILERDAM Nostri, flagitante Magistratu, Quadragesimalium concionum causa non semel profecti, sic ad pietatis studium, & Societatis amorem animos ciuium accenderant, vt de ea apud se retinenda sedulò cogitarent. Quare cum Vicarius Episcopi, vt erat diuinæ gloriæ & salutis animorũ

ſtudioſus, octo millia nummûm aureorum teſtamento legaſſet ædificando nobis Collegio, ijsque mercator quidam prædiues, ac pius, adieciſſet duo millia, & eques alius inprimis honeſtus tria millia, D D. Virgilius, qui nunc inibi feliciter ſedet, eodem incenſus ſtudio, ſumma contentione agere cœpit cum Patre Prouinciali de Reſidentia, quàm primum in ea vrbe conſtituenda. Miſſi igitur eo conſilio Patres aliquot, aliquamdiu apud Pontificem ipſum commorati, & in vrbe, & in reliqua diœceſi fructuosè operã collocarunt. Sed, vt commodius munera Societatis obirent, in ædes immigrarunt hoc anno Pontificis benignitate conductas, ipſo videlicet conuerſionis Beati Pauli die feſto. Hic liberius ad omnium vtilitatem noſtrorum excurrit induſtria. Concionatus in ęde maxima Reſidentiæ præfectus, multorum commodo: nam & reſtitutiones aeris alieni factæ nonnullæ, & Baro quidam cum ciuibus reductus in gratiam, & multi ter ſingulis hebdomadis, audito príus exemplo de vita moribúſque Sanctorum, in ſe verberibus pie ſæuierunt. Nec ita multo poſt Senatus communi conſenſu, oppreſſa licet aere alieno ciuitate, aream nobis attribuit ſatis amplam futuro Collegio, coemptis aliquot ędibus in vrbe media, vicóque præcipuo.

RESIDENTIA PERPINIANENSIS.


EDIDIT & Perpinianenſis ager hoc anno fruges tempeſtiuas ac lætas. Aluit è Noſtris ſeptem; à quibus eſt diligenter excultus. Ædes, quæ anguſtæ

angustæ erant & obscurę, laxatæ sunt, ita vt duodecim capere possint, & libris, ceteraque instructę supellectili, tum domestica, tum sacra. Crebro itum ad vicinos pagos. Illustrissimus Ellensis diœcesim lustraturus, vnum è Nostris secum duxit, qui conciones haberet ad populum, & exhortationes ad clerum; &, vt omittam confitentium atque communicantium multitudinē, Episopus ipse, eodem comite sacerdote, diuertere voluit in cœnobium quoddam in vasta solitudine situm, vt sibi Deoque vacaret. Hic quatuor & èo plures horas in meditatione rerum cælestium, ex præscripto Beati Patris Ignatij consumens, pedem è cubiculi porta, nisi sacrificandi causa, non extulit; nihilque omnino prætermisit, quod vel ad notas exercitiorum, vel pænas corporis, vel Patris monita pertineret. Cúmque ingenio, doctrina, & rerum spiritualium vsu inprimis excellat, gratias agebat Deo, qui tot tantorumque bonorum participem fecisset Ignatium. Eius in nos benignitas largior, quàm pro viribus; vt freno sæpe coercenda sit. Eius exemplo ceteri omnes Societatem mirifice colunt, & obserseruant, nobisque necessaria abunde suppeditant. Ac ne rebus ad voluntatem fluentibus efferremur, non defuerunt qui nos acrius oppugnauerint, quos tamen silentio, spéque vicimus.

Hominis cuiusdā grauiter ægrotantis, confessionem audire cœperat sacerdos noster: ea re cognita, frater illius veritus ne Patris nostri suasu, duodecim millium aureorum ad nos veniret hereditas, quā ipse certa iam spe & animo præcepisset, aduersis de nobis rumoribus dissipatis, aditus omnes ad ęgrum præcludere Patri conatus est: qui tamen ne desereret hominem de nobis bene meritum, per speciem

 salutationis

ſalutationis extremę clam ad eum ingreſſus, cœptam confeſſionem integre excepit. Vbi vero, fratre mortuo, ne obolum quidem ex tanta hereditate, teſtamento etiam ab annis quinque condito, ſibi relictum eſſe comperit, ſeipſum grauiter incuſans venit ad Patrem, ab eoque fixis humi genibus, & manentibus lacrymis, veniam petijt. Inſtitui cæpta Sodalitas Dei Matris, quæ ſic ciuium animos ad eam accendit, vt iam alumnos numeret octoginta. Primus in eam nomen dedit Epiſcopus: eius exemplũ mox ſecuti Canonici ſex e primoribus, Tribunus item militum, & honeſtiſſimi quique ordinis equeſtris, Iuris conſulti, medici, ciuéſque non ignobiles. Milites præſidiarij, ægri etiam, & vincti oratione, conſilio, operáque iuuantur noſtrorum. Dux vero horum non immemor officiorum, impetrauit nobis à Rege tributi cuiúſdam remiſſionem, quæ aureis amplius mille æſtimatur: quam Rex ipſe, pro ſua in Societatem beneuoolentia, perhonorificis verbis conceſſit; ſignificauitque præterea gratiſſimum ſibi eſſe, quod ſedem Noſtri figerent in eo Galliæ, Hiſpaniæque confinio.



PROVINCIA
BÆTICA.

BÆTICA Prouincia duodeuiginti domicilijs complectitur ſocios quadringentos octoginta quatuor: Sacerdotes centum octoginta tres; Studioſos ſeptuaginta duos; Coadiutores temporales centum

centum ſexaginta quatuor; Nouitios ſexaginta quinque. Domus Profeſſa vna. Collegia ſexdecim. Reſidentia vna. Hiſpali in domo profeſſa ſocij ſeptuaginta. In Collegio Hiſpalenſi ſexaginta ſeptem. In Anglicano nouem. Cordubæ octo ſupra ſexaginta. Granatæ quinquaginta tres. Montellæ ſexaginta. Marcenæ ſeptemdecim. Aſtigi viginti tres. Malacæ duodeuiginti. Baëzæ quatuordecim. In Collegio Triguerenſi viginti. In Xerenſi decem. In Gaditano tredecim. In Cazolano quatuordecim. In Vbedano ſex. In Frexenalenſi vndecim. In Guadixenſi quatuor. In Antiquerana Reſidentia ſeptem. Auxerunt numerum vnus & triginta, minuerunt tredecim.

DOMVS PROFESSA HISPALENSIS.

VT ab vrbanis exordiamur, magna Hiſpalenſium in nos beneuolentia, magnus amor; quem & ſua ſatis liberalitate teſtati ſunt. Eleemoſynæ quotidianæ ſeptuaginta amplius ſex ſocijs (quos domus hæc commodè aluit) ſuſtentandis fuere ſatis. Ad has acceſſerunt aurei mille, quos vir pijſſimus, noſtríque ordinis amantiſſimus Celidonius Azoca, Hiſpalenſis Eccleſiæ Canonicus, ſuo nobis teſtamento legauit. Inſtrumentum ſacrũ & nummis in eius vſum collatis, & donarijs pretioſis amplificatum. Matrona quædã altari, in honorem Beati Parentis Noſtri Ignatij iam nunc erigendo, donauit aræ faſciam pulcherrimé laboratã, ipſam triginta & centum aureis æſtimabilem. Alius effigiem Beatæ Virginis ſuum brachijs geſtantis

filium (trecentis amplius illa ſtat aureis) obtulit.

Tres mortalem vitam cum immortali commutarunt: Pater Ioannes Ambia, moleſta imprimis ægritudine multum diúque tentatus: quam ipſe, pariter ac mortem inde contractam, non ęquo ſolum, ſed alacri pertulit animo. Alter Pater Didacus Cauallar, notæ ſenex probitatis, in celebri illo Simancenſi domicilio ac tyrocinio educatus; atque adeo in proximorum ſalutem totus ſemper intentus, vt duo deſexaginta iam annis in Societate tranſactis, mors ipſa nequaquam hoc in genere remiſſius, quàm eo, quo cæpit die, laborantem inuenerit. Tertius Pater Franciſcus Vazquez, virtutum omnium exemplar egregium. Cuius (ſecundum Deum) inſtitutioni (quippe qui annos complures in tyronum educatione prçclaram poſuit operam) acceptos ferre debemus eorum permultos, qui exemplo ſuo Prouinciam hanc & ornant, & ſuis veluti humeris ſuſtinent. Innumeras ipſe quoque Deo lucratus eſt animas, cúm confeſſionibus excipiendis; tùm potiſſimum concionibus: quibus auditores ſuos vbique frequentiſſimos, ab inueterata vitiorum conſuetudine deterrebat; nec minus efficaciter ad virtutem impellebat. Ceterum extrema iam ſenectute acerbiſſimis, eiſdémque continuis calculi doloribus diſcruciatus, inuicta ſe ſemper patientia præſtitit.

Conciones in noſtro, alijſque ciuitatis celebrioribus templis habitę frequentiſſimè, pleno auditorum conuentu, pari fructu & approbatione. Quidam è noſtris, dum pro ſuggeſto de Diuæ Magdalenę laudibus verba faceret ad populum, caſtitatem laudãs, & in omnem generatim impudicitiam inuehens; quæ ad verba hæc prçmeditatò dicenda

parauerat.

parauerat; O impudice impudicitiam desere, &c. nolens & insciens, imò & inuitus; sed Deo (quod videtur) inspirante, vi maxima, acerrimáque vocis contétione in hæc verba prorupit. Quo te agis miser, ac miserande? Relinque iam tandem, adulter, adulterium tuũ. Caue seriò ne vltimus hic tibi missus à Deo nuncius, ne postrema resipiscendi occasio fiet. Nescis insane, nescis quantum capiti tuo periculum impendeat. Nescis, inquam, quàm citò tuam sit Deus causam discussurus. Nostin' an crastina tibi postrema dies illucescet? An eâdem ipsa imparatus è viuis (ac quod timere debuisses) in ęternos crutiatus abripieris? Absoluta vero concione, ad cubiculum rediens, se ipsum cœpit increpare, quod adulterum speciatim & adulterium nominasset; non verò in impudicitiam potius generatim fuisset inuectus. Sed ipsum nequaquam aberrasse rei comprobauit euentus. Aderat prope suggestum femina genere nobilis, moribus nõ item: quam cum sequenti die, ipsâ concionis hora, vir suus cum alio cubantem, & thorum suum fidémque violantem obseruaret, ira concitus, vtrumque gladio transfodit, eóque ipso temporis momento animas miserrimè expirauêre. Factum percrebuit illicò, parémque ciuibus admirationem, ac timorem incussit,

IDEM sacerdos dum ipso die Diuæ magdalenæ sacro concionatur, in impudicósque itidem inuehens, factum enarrat; puellam, quæ fortè aderat honesto loco, pręclaris naturæ dotibus insignitam, ita permouit; vt à fæda libidinis turpitudine, cui se pessimo aliarum exemplo emanciparat, ad veram anteactę vitæ detestationem, & animi sordium expiationem impulerit, non sine vberrimis lacrymarum riuulis inter confitendum profusis. Quin

imò è domo noſtra recta in cœnobium perrexit, monialis vitæ rationem ſuſceptura; nullis adducta precibus, vt domum repeteret ſuam, eiúſque ſupellectilem, ac mundum muliebrem aſſeruanda curaret; Ea inquiens, quæ dæmoni hactenus ſeruiere, abeant cum ipſo in rem malam. Rei fama volitabat, & factum laudabatur vbique adeo, vt cum eleemoſynam, qua tyrocinij anno aleretur, ſacerdos noſter emendicaret; alij pecunias, alij annonam certatim conferrent. Nomine verò dotis, quam, à cœnobium ſuum ingredientibus, exigere ſolent moniales, ducentos aureos pia femina, ſororis Beati Patris Noſtri Ignatij proneptis, elargita eſt. Ipſa verò laudabili exemplo in inſtituta vitæ ratione perſeuerat, eò vſque alacris, vt cū adoleſcens nobilis, quicum turpem ipſa conſuetudinem habuerat, cœnobium adiens, illam non iam pellicem, ſed vxorem continuo ducendam poſtularet obnixe, renuerit illa conſtantiſſimè, ſeriò conteſtans ſe religioſam vitam (cuius iam dulcedinem deguſtare cœperat) nec cum regno mortali vllo, quantumcumque maximo, nedum cum propoſito connubio commutaturam.

SODALITAS clericorum non mediocre cepit hoc anno præſenti incrementum. Sodales noſocomia, ſæpe quidem omnes, at non nulli diebus ſingulis circumeunt, morbo affectos verbis & muneribus leuant. Mulieres nonnullas à pellicatu abduxerunt: alias cum coniugibus reconciliarunt: aliquot in matrimonium collocarunt: alias in cœnobio concluſerunt: multas denique puellas, quæ ſe quæſtui meretricio tradere iam tunc incipiebant, in honeſta tutáque ſede collocarunt. Cuſtodias publicas adeunt, & in Eccleſiaſtico prętertim

carcere

carcere vinctos, quos summa indigentia laborare intellexerint, summa ipsi solicitudine curant. Etenim ex Sodalibus triginta inter se pacti sunt, vt diebus singulis vnusquisque, vice sua, prandium vinctis paret; quatuor quotidie prandentibus assistunt, dúmque cibo reficitur corpus, animus pia lectione pariter recreatur. Iidem sacellum carceris, & sacra ornamenta vetustate, neglectúque squallentia, pristino nitori restituerunt: medicum prætereá, & pharmacopolam exquisierunt, qui eisdem ægrotantibus, quæcumque ad curationem corporis necessaria sunt medicamenta, gratis ministrent. Animi verò salutem curant nostri, vinctos de peccatis audientes, &, celebrioribus aliquot diebus, eosdem cælesti conuiuio excipientes,

NEC vinctis dumtaxat consulunt; cœnobijs quoque præsto sunt. Virgines quędam sacræ, cum ob egestatem suam Corporis Domini festum, vt moris hic est, celebrare nō possent, Sodales, hac in se cura suscepta, festum celebrarunt insigni apparatu adhibito, omnigeno vocum & instrumentorum concentu, præclaro ciuitatis exemplo, magno monialium ipsarum gaudio. Cætus nobilium augetur in dies numero, nec minus pietate. Nō solum enim ipsi diligenter animorum suorum saluti inuigilant; sed erga proximos (ęgros pręserrim in nosocomijs iacentes, quibus aperto capite, flexisque genibus ministrant) omnia pietatis & Christiani hominis officia pręstant.

COLLE-

COLLEGIVM HISPALENSE.

RES ſcholaſtica feliciter procedit. Auditores circiter mille numerantur: qui omnes ad litterarum cognitionem, & ſtudium religionis pari curſu contendunt: adeò nec exigua ſui in vtróque genere profectus documenta præbuerunt. Ex his quidam, ſumma rei familiaris indigentia laborans, nunquam adduci potuit, vt cum pudicitię detrimento inopiæ ſuæ remedium, hac ei conditione à femina (nupta illa quidem) oblatum admitteret. Quin & occaſionis fugiendæ cauſa domum eius, quam anteà neceſſitate coactus frequentarat, vel adire deinceps recuſauit, nec conſtantia hæc prę-mio caruit. Deus enim eius egeſtati, honeſtiori ratione conſuluit. Alius iam maturæ vir ætatis, cum verbis alijs opprobrij plenis, tum potiſſimum obiecto mendacij dedecore, ad vindictam laceſſitus, ab ea tantum abfuit, vt hęc dumtaxat verba reddiderit: Bene tibi eſt; ſolitam me feritatem depoſuiſſe; & ouem iam eſſe, qui aries eſſe ſolebam. In alio egregia viſa patientia; qui grauiſſimam verborum, pugnorúmque contumeliam, quam rependere facile potuiſſet, non modo non propulſarit, ſed ad ipſius aduerſarij ſe pedes abijciens, iniuriæ ſibi illatæ, haud aliter quàm ſi eam ipſe intuliſſet, ab eo veniam petijt.

AT inter reliquos auditores elucent maximè, qui Dei genitricem patronam habent. Ii ſacellum ſuum pretioſis donis, & ornamentis auxerunt. In xenodochijs & carceribus ſtatis diebus conueniunt:

unt: Alij vinctos, ægrotósque solantur: instruunt alij: alij cohortationibus pijs ad virtutem & frequentem Sacramentorum vsum informant. Adquendam Sodalitatis alumnum, dum per vicos eques incederet, proba quidem specie & primaria, re tamen verà impura femina accessit, illum allocutura: constitit ipse, melius quiddam velle ratus. Veruntamen vbi nil aliud habere negotij, quam vt ad turpitudinem inuitaret, intellexit; indignitate commotus, lora, quæ manu gestabat, in faciem illi inflixit, ea vi, vt vibicibus distinctam, aufugiens ipse continuò, reliquerit. Quid multa? tantum in omnibus castissimæ Virginis alumnis castitatis studium, vt mulierum, tanquam serpentum, aspectum fugiant: quin & plerique nec ancillas domesticas cubicula sua, se præsentibus, patiantur ingredi. Nec defuit, qui cum morti (vitæ quidem laudabiliter actę consentaneę) proximus esset, coram Sodalitatis præfecto serio testatus sit, sibi (cum tamen Hispali annos ipsos nouem fuisset commoratus) feminam nullam ex facie notam, præter binas, sanguinis sibi communione coniunctas; quas, ob vitæ suæ rationem, sæpius alloqui necesse erat. Multi denique tum ex hac Sodalitate, tum è reliquis auditoribus (triceni nimirum bini numerantur à nobis) varijs se religiosorum familijs addixerunt.

Ex his quatuor, optimæ spei adolescentes, Societatis facti participes. Quorum vnus, vt ceteros prætermittiam, diuitis ille quidem, ac primariæ viduæ filius, matrem, post multas ab ea admotas machinas, quò filium ab incepto reuocaret, magno animi robore, parique constantia peruicit. Illa quidem filii in Societatem ingressu muliebriter

briter indignabunda, ab Apostolico Nuncio impetrauit, ne Hispalim è Montellano tyrocinio, quò se iam filius contulerat, remitteretur, de re melius deliberaturus. Aiebat nimirum ipsum non Dei impulsu, sed nostrorum suasu & blanditiis, ad Societatem expetendam & ineundam, adductum. Ergo reuocatur Hispalim; in domo cuiusdam canonici templi maximi deponitur, à nostro, à materno alloquio semotus, ipse rem maturius examinaturus. Interim exarat mulier epistolam propria manu, proponit ob oculos filio blanditias, opes, honores, dignitates, & quæcumque maternus excogitare poterat affectus, vt tyronem ab instituto dimoueat, sed nihil proficit: quin imò cùm epistola filio daretur in manus, vt legeret, accipere se nolle constanter asseruit, ni prius ad superiores suos deferretur, ipsique legendi potestatem facerent. Rectè (inquit canonicus) ipse modo superior tuus sum: iubeo, vt perlegas. Tum ille; Nullum alium superiorem noui, præter eum, qui Societatis superior est. Delata tandem ad Patrem Prouincialem, qui tunc Hispali degebat, epistola, remissaqúe adolescenti, vt legeret: legit, rescripsitqúe aliam, eo rationum pondere & efficacitate refertam; vt matri admirationem, æquè ac silentium iniecerit.

Ac vt humanius, liberaliusqúe societas se hac in re gerere videretur: concessa est matri (quam tamen Nuntij prohibuerant literæ) filium coram alloquendi facultas: sed frustra: nec verbis ampliús profecit præsens, quàm literis absens profecerat. Transacto deliberationi tempore constituto, à notariis duobus publicis iudici, sententiam laturo, sistendus ducitur: Quorum alter rationum

pondere

pondere cum illo agere, ſerioqúe hortari, vt ſalubri matris conſilio acquieſcens, hereditate ſua fruatur, & eiuſdem orbitatem ſua præſentia leniat; non id minus gratum Deo fore, quàm ſi ſe in cœnobio concluderet. Sed tantum abfuit, vt hęc omnia adoleſcentis pectus diuino amore ſuccenſum quaterent, nedum euincerent; vt qui vincere putarat, victus omnino diſceſſerit; iure iurando affirmans, ſeſe adoleſcenti comitem futurũ, ni vxoris & liberorũ cura prępediretur. Collocatæ ſunt in templo noſtro, D. Ermenegildo ſacro, inſignes eius reliquiæ. Is dies, necnon & ſubſequens, vt legentium & tranſcribentium deſiderio ſatis fieret, celeber fuit inſigni carminum apparatu, emblematum magna elegantia & copia; quibus periſtylia decorabantur. Suſcepta quædam extra vrbem excurſio initium dedit congregationi virorum, qui menſibus quibuſque ad penitentiæ Sacramentum, & ad Euchariſtiam ſacram accedant: quorum iam exemplum ſequi ceteri cœperunt oppidani.

SEMINARIVM ANGLICANVM HISPALENSE.

SOLITI cernuntur in literis progreſſus. Creuit Alumnorum hoc anno numerus, miſſis huc ab Audomarenſi ſeminario duo de viginti, optimæ ſpei adoleſcentibus. Vnus Societatis factus eſt particeps. Alij dum eodem tenentur deſiderio, ſuum tempus expectare iuſſi. Quinque hoc anno ſtudiorum ſuorum confecto curriculo, in Angliam ad conciues ſuos conuertendos rediere, quos iam in inſulam tutò penetraſſe, operamque in animorum

rum ſalutem vtiliter impendere nouimus. Ceterùm, eorum, qui ex hoc Collegio in Angliam ſuperioribus annis profecti ſunt, Guilielmus Richardſonus mortem ob fidei noſtræ, Romanæque ſedis defenſionem, conſtantiſſimè ſubiit, quam hic ſigillatim percenſere, longum eſſet; ideoque omittimus, aliàs longiori narratione explicandam.

COLLEGIVM
CORDVBENSE.

SACRA ſupellex magnum piorum liberalitate cepit augmentum. Donata caſula violacei coloris aureo, Phrygióque opere elaborata pulcherrimè; cuius mille aureorum æſtimatio eſt. A Scholaribus noſtris optimum, non literarum modò, ſed etiam virtutis ſpecimen exhibitum; dum & ſcholas humili ſæpè veſte frequentarunt; & laceri, pannoſique prodeuntes in publicum, aliorum cœnobia Religioſorum adierunt, & pauperum turbæ immixti prandium emendicarunt. Conflata ab eiſdem non contemnenda pecuniæ ſumma, eaque vinctis exhibitum prandium; quod noſtri epitogio exuti, capiteque nudi, ollis calathiſque ſublatis in humeros, ad carcerem vſque comportantes, non gratum minus, quàm vtile ciuibus præbuere ſpectaculum. Adita Xenodochia; quò, magno diſcipulorum numero cincti, magiſtri frequentes concurrunt, & officia Chriſtianæ pietatis & Charitatis, in ægrorum cùm corporùm tum animos exercent.

FORIS hoc accidit, Mulier ęgritudine corporis, animique

animique miserè conflictata, dum sacerdotem nostrum adire confessionis gratia decernit, repentè sanata est, quæ dum conceptum animo propositum exequi contendit, repentino casu parietis & trabis operta, & pænè oppressa est: sed incolumis nihilominus Deo iuuante emersit, adeoque in proposito perstitit, vt nec temporis asperitas, nec locorum distantia prohibere potuerint; quominus Cordubam vsque, magno locorum interuallo distantem, ad conscientiam, à primis annis, apud nostros expiandã perueniret. Sodalitas ciuium, nomine Sancti Spiritus insignita, mirũ in in dies capit augmentum, eamque ambiunt plurimi. Sodalium exercitationes hæ ferme sunt. Absoluta exhortatione, cui diebus festis omnibus domi nostrę intersunt, tempus aliquod in rerum diuinarũ meditatione, pijque libri lectione insumunt: vnde in quatuor Xenodochia dimittuntur alij, alij in templo nostro vacant orationi. Ineunte mense destinatur vnus vinctorum litibus procurandis: quem etiam in finem quibusque diebus Sabbati, quo die carcer à magistratibus inuisitur, mittuntur illuc è Sodalibus duo, iuris consultus hic, curatus alter, qui totius Sodalitatis nomine pauperum causas agant. Hoc verò quò efficacius, commodiusque fiat, seni aurei singulis hebdomadis, à Sodalitate, impensarum ratione constituuntur. Quorum industria & auctoritate (ea nempe apud magistratus Sodalitas hęc valet plurimum) aliquoties effectum est, vt in duplici custodiæ publicę visitatione, triceni bini vinculis exuerentur. Alium præterea eleemosynarum suarum distributorem Sodalitas habet, qui egentes per vrbem exquirat, inuentisque pecunia, rebúsque necessariis sub-

ſubveniat. Sed & alteri conſuetudini laudandæ ſatis, præſens annus initium dedit; vt nimirum vincti ſtatis quibuſdam diebus, expiatis animis, ad ſacram ſynaxim accedant, vno è noſtris ſacrum ſolenniter celebrante; cui ad augendam celebritatem, interſunt magiſtratus ipſi, & è Sodalibus nonnulli; à quibus, communione peracta, ſacro excipiuntur epulo.

Nomine porrò ſanctiſſimæ Trinitatis, inſtituta eſt alia nobiliſſimorum virorum Sodalitas: quorum militarium ordinum crucif ri nonnulli. Hæc autem, quò rectiùs progrediatur & faciliùs, ſuis ipſa regulis eſt ſtabilita: & primo quidem in Sodalitium ingreſſu, peccata quiſque à pueritia retexit. Nec ſuorum dumtaxat animorum ſaluti ſtudent, ſed & proximorum accuratiſſimè. Erecta eſt etiam noſtrorum opera & conſilio domus, in quam ſe tanquam in tutiſſimum portum recipiant, quæ à meretricio ſpumantis ſali naufragio eiectæ, ad ſanioris tandem mentis littus appellunt. Hæ quidem piorum hominum, qui apud nos ſacramenta frequentant, liberalitate ſuſtentantur. Hæc in vrbe. In vicino autem oppido quidam è Noſtris dies aliquot commoratús, clericorum congregationem inſtituit regulis, muneribuſqúe non abſimilibus iis, quibus Cordubenſes Sodalitates vtuntur. Præterea Sodales hi, noſtrorum exemplo, pueros per vias publicas, Chriſtianæ legis elementa canentes, ſæpè ducunt, quibuſdam ipſorum præcinentibus, reſpondentibus pueris. Semel ſingulis hebdomadis ad cohortationem, quam ex ipſorum numero doctior aliquis ad reliquos habet, & ad explicationem quæſtionum conſcientiæ conueniunt. Bis item ad diuerberationem. Adeò verò profecit hęc

Sadalitas

Sodalitas virtutum exemplo, vt clerici iam alterius oppidi, pia quadam horum æmulatione ducti, ſimile Sodalitium inſtituere cœperint.

COLLEGIVM GRANATENSE.

TRES hîc diem vltimum anteactæ vitæ conſentaneum pijſſimè obierunt. Congregatio nobilium magnos facit progreſſus, conſtat Sodalibus ſexaginta, lectiſſimis viris. Mirum quantum ad pietatem omnes accenſi ſint, diplomate ex vrbe tranſmiſſo. Ferias ſanctiſſimæ Trinitatis, ſub cuius hęc Sodalitas nomine, patrocinioqúe militat, mira altarium ſtructura, templiqúe totius ornatu inſtaurarunt. Celebritatem auxerunt præſentia ſua auditores Regii, totaque ferme ciuitas, ipſo Regii ſenatus præſide ſacrum faciente. Vt autem cetera Sodalium in proximos officia, aliis annalibus commemorata ſileam, hoc vnum, quod inſtar multorum eſt, omittendum non cenſui: vinctos nimirum amplius quinquaginta, partim compoſitis litibus, partim ære alieno ab ipſis diſſoluto, carcere, vincliſque liberatos. Et ſi quantus ſit huiuſce Sodalitatis fructus, vno libeat verbo complecti, Illuſtriſſimus Granatenſis Archiepiſcopus, ciuitatis faciem præclaro Sodalium iſtorum exemplo, mirum in modum mutatam, prauaſque conſuetudines in præclara iam pietatis abiiſſe opera, non ſine magna Societatis commendatione affirmat, & vbique prædicat.

EST & alia Clericorum congregatio, quæ

quę licet paucos ipſa Sodales adhuc recenſeat; paucitatem tamen pietate compenſat. Eſt denique in hoc Collegio tertia Sodalitas opificum, & tenuioris cenſus hominum: trecentos amplius illa Sodales numerat. Omnes Xenodochia adeunt, ægrotorum lectos ſternunt, multos ad pietatem, & Sacramenta frequenter ſuſcipienda pijs colloquijs, ſed moribus præſertim, optimóque vitæ exemplo inducunt. Pecuniarum vim non paruam, tum ad puellas parentibus orbatas, in matrimonio vel honeſta aliqua ſede collocandas; tum ad aliorum ſubleuandam inopiam eleemoſynæ nomine conquirunt. Cum Sodalium aliquis in morbum incidit, ſi modò tenuis ille fortunæ fuerit, duo deputantur, qui ægrotum ſępius inuiſant, qui medicamina, cæteráque omnia ad ſalutem neceſſaria, omnium Sodalium nomine abunde ſuppeditent. Nec interim hoc fit ſine magna commendatione noſtrorum, qui, quos inſtituunt, ſic ad omne virtutis genus informant.

FEMINÆ tres primariæ, precibus & inuocatione Beati Patris Ignatij, grauiſſimo partus periculo liberatæ. Quidã è noſtris vocatus ad viri præcipui, à medicis deplorati, & in extremis planè conſtituti confeſſionem excipiendam, hominem elinguem, ſed ſpirantem adhuc inuenit. Ipſe ergo domum rediens Beato Ignatio rem commendat, ope eius ſuppliciter inuocata: Inſequenti luce, quæ à feliciſſimo tranſitus eius die ſecunda erat, ſacrum pro ægroti ſalute peragit. Reuiſit ægrotum; quem melius iam affectum offendit; adeò vt magno vtriúſque gaudio conſcientiam peccatis exonerarit, necnon ſanitati mentis ac corporis, (quam Beati Ignatij precibus ſe conſecutum prædicat) breui

fuerit

fuerit restitutus; ac proinde eundem in perpetuum sibi patronum adoptauit. Alius, ad quem vocatus fuerat idem sacerdos, emotumque sensibus, planéque furentem inuenerat, Euangelio & Beati Patris Ignatij oratione recitatis, ad se continuò redijt, animumque expiauit.

SACRARIVM multis, ijsque pretiosis donis, emptis partim, partim piorum liberalitate collatis est auctum; arca imprimis lignea pulcherrimè elaborata, suis ipsa loculis distincta, & instrumentis sacris asseruandis aptissima, cuius æstimatio mille amplius aureorum est: lychnis deinde pensilibus binis, crucibus totidem, ampullis & nolis, omnibus ex solido argento; aræ quoque fasciæ, seu frontalia donata sunt sexcentis aureis æstimata. Matronæ duæ mater & filia, nostri ordinis amantissimæ, bona sua omnia, quæ duodecies aureorum mille summam efficiunt, ipsæ quidem adhuc superstites, ad ædificationem Collegij alicuius, quo in loco Societas ipsa statuerit, promouendam liberalissimè contulerunt. Itúm in aliquot oppida, quæ nostros ante homines non aspexerant, magno labore, non impari fructu. Archiepiscopus sanè de huius missionis vtilitate, per ciuiũ literas certior factus, nostris sæpe grates egit; & missiones has, quæ Societatis hominibus in vsu sunt, mirum in modum laudauit.

COLLEGIVM MONTELLANVM.

HOc in Collegio instituuntur nouitij. Odia inter Ecclesiasticos, laicosque restincta, è quibus magna timebantur incommoda. Inductus

mos, vt pij quidam viri ſacerdotem noſtrum cuſtodias publicas inuiſentem comitentur: qui & vinctos feſtiuis pleriſque, ſed omnibus fere quadrageſimæ diebus collectitia cæna excipiunt: ijdem poſito pallio, aperto capite, flexis humi genibus miniſtrant. Abſoluta verò cæna, ſacerdos in rem ſubiectam verba facit ad adſtantes; qui frequentiſſimi ad hoc ſpectatulum confluunt. Extremo anno diem ſuum, poſt viginti ferme annos in Societate, atque adeò in hoc Collegio omninò religioſiſſimè, ſanctiſſimèque peractos, obiit Ioannes Nauarrus, natione Gallus, temporalis coadiutor, notæ vir ſanctimoniæ, & cùm ceterarum virtutum, tum paupertatis, & veræ demiſſionis laude clariſſimus. Sed virtutibus eius enarrandis ſuperſedeo, cùm breui vita ipſius ad noſtrorum exemplum literis mandanda ſit. Ad rem Collegij familiarem acceſſit horrologium cum ære campano duplici, nimirum ad quadrantes, horaſque pulſu indicandas, nobis quidem illud percommodum, oppidanis omnibus gratiſſimum; magnam pretij partem oppidani liberaliter contribuerunt.

COLLEGIVM MARCENENSE.

IN conuertendis ad Deum animabus, ſtrenuè laboratum, fructuoſèque. Quidam cùm grauiter vulneratus fuiſſet, hoſtemque vlciſcendi animo in carcere arctiſſimè conſtrictũ detineret, noſtri ſacerdotis opera iniuriam totam Chriſto dimiſit. Alterius proſpectum famæ, qui honeſta quidem conditione natus, multiſque ipſius oppidi vi-

ris non ignobilibus communione ſanguinis innexus cum infami more per plateas, viaſque publicas (ſupplicium eſt infimorum) educendus ex ſententia magiſtratus eſſet, noſtrorum interuentu ſupplicium hoc, adeóque infamiam euaſit: quod non ſolum cognatos eius omnes, ſententiam ægerrimè ferentes, nobis egregiè deuinxit, ſed magnam quoque ab oppidanis vniuerſis laudem promeruit; quin & grates nobis publicè per vias ac plateas ab omnibus actæ. Priſtinam in nos beneuolentiam retinet Dux illuſtriſſimus de Arcos; ipſe templum noſtrum ſacrorum myſteriorum cauſa frequentat, eiuſque exemplo aulici omnes.

Nec verò vinci ſe patitur à viro ſuo Sereniſſima Ducissa, bis quot hebdomadis, dum valet, in templo noſtro; in domo ſua, cùm ægrotat, noſtris hunc in finem accerſitis, communicans. Sed nequaquã minor eſt pietas illuſtriſſimi Comitis de luna, qui cùm ſæpe ipſe ad ſacram menſam accedat, tum menſibus ſingulis, ſuis ſtipatus aulicis templũ noſtrum adit, vt omnes, expiatis prius animis, cæleſti ſimul pane reficiantur. Scholæ elementariæ, quæ clauſæ ſuperiori anno fuerant, rogatu Ducis illuſtriſſimi apertæ denuo, ea oppidanorum lætitia, gratulationeque; vt præceptores ad munus intermiſſum redeuntes, magiſtratus vniuerſi, viríque primarij omnes, omnigeno inſtrumentorum concentu, vocumque harmonia in gymnaſijs ſuis exceperint, & collocauerint. Quàm verò gratum id Duci extiterit, vel illud ſatis indicat, quod ducentorum aureorum vectigal annuum, à Senatu ludimagiſtris ſuſtentandis aſſignatum, ſua ipſe auctoritate confirmârit in perpetuum. Quidam ob animi magis liberalitatem, quàm ob doni magni-

tudinem commendandus, bonorum suorum omnium, (ducentorum illa quidem, & viginti quatuor summam aureorum efficiunt) heredes nos post obitum suum, superstes adhuc instituit. Alij instrumentum sacrarij pretiosis casulis auxerunt. Et alius aræ fascia, cuius aureorum trecentorum æstimatio est.

COLLEGIVM ASTIGITANVM.

CONSVETAM in nos beneuolentiam Astigitani retinent: Aliqui meditationibus nostris exculti: alij ab impositi sibi falsi criminis infamia; duo ab inferenda sibi morte; alij ab vlciscenda iniuria deterriti; viri aliquot primarij in cędes & vulnera irruentes ad concordiam reuocati. Alij à pellicatu diuulsi, æs alienum non leuis ponderis restitutum à multis. Hæc domi. In quatuor etiam oppida circumiacentia excursum. Ibi is erat ad Catechesim ætatis omnis, ordinisque conuentus, vt oppidorum moderatores ipsi, ceterique nobiles catechismi libellos in manibus gestantes, & fidei elementa concinentes, quasi ductores agminis præirent, plebe tota subsequente.

COLLEGIVM MALACITANVM.

VIGET hîc Sodalitas mercatorum. Constat ea viris centenis: sed numerum pietas quàm longissimè superat. Ter in hebdomada per hie-

ma-

male vernúmque ieiunium, bis autem per reliquam annum flagris se in templo nostro cædunt. Animorum expiatio in omnibus menstrua, in plurimis semimenstrua, in multis hebdomadaria. Conueniunt diebus dominicis horis pomeridianis, vt cohortationem audiant. Inde ad nosocomium rectâ pergunt, cibaria secum ferunt, lectos ægrotantium sternunt; & officia demissionis quæque præstant. Adducunt alios ad patefacienda peccata; alios ad deponendas iniurias. Femina quædam honesto loco nata ex affinis sui domo, ipsa quidem annuente, sed affine nesciente, à deterioris conditionis adolescente, rapta fuit, vel potius educta. Quod factum adeò hominem ad iram concitauit; vt vlcisci iniuriam, grauesque de vtroque pœnas sumere, cogitaret. Ceterùm nostrorum persuasu effectum, vt mulier raptori daretur in matrimoniũ; adductusque affinis, vt pacato iam, tranquilloque animo, vtrumque in domum suam, conuictumque reciperet. Quidam cùm alteri per epistolam suadere decreuisset, vt vxori suæ (cui erat infensus) necem inferret, nostrorum industria ab incœpto destitit.

COLLEGIVM
BAEZANVM.

EX Academiæ Baëzanæ auditoribus, quindecim meditationibus sacris perfuncti. Duo non mediocris spei adolescentes in nostrum numerum admissi. Sunt hîc binæ Sodalitates; hæc Scholasticorum, illa virorum sæcularium. Vtriusque studium multò magis hoc anno est incitatum di-

plomatis Pontificij promulgatione; cui interfuerunt viri primarij ciuitatis omnes, vna cnm Episcopo Giennensi; qui Sodalium pietatem laudibus maximè extulit, accenditque. Magna est Baëzanorum in B. P. Ignatium pietas ac religio, omnisque ætatis ac ordinis hominum, ad eius implorandam opem, ad effigiem venerandam concursus incredibilis. Qui ijdem, sponte sua, obitus eius diem festiuo ritu, concione habita, sacroque in honorem sanctissimæ Triadis, ad illius in sanctorum catalogum relationem à Deo impetrandam, solemniter decantato, transegerũt. Nec tanta pietas in cassum. Etenim salutem ægri, tentati victoriam, afflicti solatium, illius inuocatione sæpe impetrant. Puella diu laborauerat pedum doloribus peracerbis, sic vt nec scipionis adminiculo gradum vllum facere posset: à domesticis obnixè petijt, vt nouendialem precationem, pro salute sua, B. Ignatio instituerent. Mirabile dictu! nondum primus excesserat dies, cùm subito cœpit exclamare, se meliùs habere, & pedibus stare iam posse. Quo tempore accurrens alia femina porrexit ei baculum, & in B. P. N. Ignatij nomine iussit incedere. Quod ipsa, omni ferme molestia sublata, continuò fecit, simulque ad templum perrexit votum expletura: vbi criminibus expiatis, pedumque sanitate planè restituta, in gratiarum actionem sacram suscepit Eucharistiam. Alia femina rerum cælestium meditatione, lectioneque sacra se diu exercuerat, sed iam pertæsa pietatis hæc exercitia remiserat, pæneque omiserat; huic B. Ignatius se in somnis conspiciendum exhibuit, tantæque tepiditatis suauissimis verbis admonuit: quibus ipsa à somno est excitata, & ad pristinas exerci-

exercitationes recolendas, nunc quàm anteà ſtudioſiús, incitata. Alia grauiſſimo capitis dolore laborans, B. Ignatium aſtantem ſibi, ac manibus caput comprimentem videre viſa eſt; ſtatimque dolore euaneſcente conualuit.

COLLEGIVM TRIGVERENSE.

QVo habitatio noſtra laxior, vſibuſque Societatis eſſet opportunior, atrium nouum eleemoſynis ab huius, oppidorumque circumiacentium incolis, liberaliſſimè collatis, & cœptum, & ad faſtigium perductum fuit. Pia quædam femina ducentos aureos huic operi promouendo, centumque in annuos ſacrarij redditus teſtamento reliquit. Quidam præ pudore, ne animi ſordes elueret, diu detinebatur; hic cùm præ domus ſuæ foribus ſtaret, videretque ſacerdotem noſtrum, qui paullo anteà concionatus fuerat, in platea nunc medium inter pueros, rudimenta fidei per vicos & compita elata voce decantantem, alioſque maturæ viros ætatis pariter reſpondentes: ita permotus eſt animo, vt abiecto pudore, ſequenti luce peccata ſua omnia vni de noſtris, ſummo cùm vtriuſque gaudio detexerit. Hoc anno cœpta eſt ad Scholaſticorum noſtrorum inſtitutionem prælectio moralis Theologiæ. Aliqui è noſtris nouem oppida vicina percurrerunt, magno labore ſuo, maiori animorum compendio.

COLLEGIVM XERENSE.

RES familiaris aucta est mille aureorum vectigali annuo; quod huic Collegio Aluarus Rodriguez, vir nostri ordinis amantissimus, vnà cum mancipio ad annos decem, testamento legauit. Congregatio nobilium augescit in dies pietate, & numero; cælestibus epulis in templo nostro, mense quoque reficiuntur, cerniturque mirabilis in multis morum mutatio. Carcerem sæpissimè adeunt, & nosocomia; collatis eleemosynis vinctos, ægrosque subleuant: eos, qui ob æs alienum in vinculis detinentur, ære dissoluto liberant: binique per menses recurrente vice deliguntur, qui vinctorum causas procurent: quod adeò ipsi solicitè præstant, vt eorum opera, diebus præsertim anni celebrioribus, omnes omnino vincti custodijs exempti fuerint.

COLLEGIVM GADITANVM.

NOSTRÆ professionis munera nihil intermissa, populis ad pietatem informandis, instruendis militibus classium Indicarum, quæ quotannis Gaditano portu soluunt, nodis contractuum, illicitè hic à mercatoribus initorum, dissoluendis, componendis rixis, exponenda catechesi, concionibus compitalitiis habendis, audiendis confessionibus tum Hispanorum, tum aduenarum

rum,rei mercatoriæ cauſa huc confluentium, Anglorum præcipuè & Gallorum; quorum ſaluti vt conſulat, miſſus eſt in hoc Collegium vnus è noſtris, ille quidem Anglus, ſed vtriuſque linguæ peritus. Vnde non ſolùm ſperatur, ſed iam viſitur copioſa ſeges animorum. Non mediocris pecuniæ ſumma eleemoſynæ nomine nobis a Gaditanis fuit donata, vnde ædificatio domus cœpta priore anno, præſenti ad culmen fuit perducta.

COLLEGIVM CAZORLANVM.

AVGETVR & floret literis, pietateque conuictorum contubernium; quod, noua nunc primùm abſoluta ædificatione, illorum vſibus & habitationi percommoda, laxatum. Quidam ex eorum numero ab impura muliercula, miſſis tum donis, tum literis, ad flagitium ſemel atque iterum laceſſitus, adduci nunquam potuit; vt vel dona admitteret, vel literas legeret. Quinimò cilicina ſe veſte tanquam fortiſſimo clypeo communiens, aſpectum eius & alloquium diligentiſſimè, conſtantiſſimèque locis omnibus, modiſque fugiebat: adeò, vt mulier, quæ diu oppugnârat adoleſcentem, vt vinceret ipſius malo; tandem ab eo victa magno ſuo bono fuerit, & ad conſilium faciendæ confeſſionis, vitæque honeſtioris ineundæ pertracta. Ex eodem contubernio adultæ iam ętatis adoleſcens, nec ignobilis, ab alio grauiſſima contumelia affectus cùm fuiſſet, & coram numeroſa multitudine pugnis ignominiosè, fuſtibuſque contuſus, quamuis ſecum de vltione cogitaret;

ret; ſuaſu tamen vnius e noſtris iniuriam totam, quam facilè vlciſci poterat, lubens inimico condonauit: nec hoc contentus, cauſæ, quam aduerſario ad eam inferendam præbuiſſe ſe putabat, veniam ab eodem, flexis humi genibus, fuſiſque lacrymis expetijt, eaque ipſa die ad prandium inuitauit.

Dvo è conuictoribus nomen Societati dedêre. Sacerdos quidam è noſtris migrauit ad cælum, cuius vt virtutes reliquas notas ſatis, & ſpectatas ſileam, id certè tacere non poſſum; eum, vt pote mortificationis amantiſſimum, pro eo, qui quamcunque illi patiendi occaſionem obtuliſſet, ſummo ſtudio Deum deprecari ſolitum. Quinimò pro quodam, qui præclaram virtutis exercendæ opportunitatem ei detulit, ſanctiſſimum Euchariſtię ſacrificium, in gratiarum actionem, quinquagies obtulit. Sed & hîc quoque B. P. N. Ignatij preces, quantum habeant efficacitatis, non ſine miraculo ſæpe conſtitit. Quidam è noſtris ad ægrotum, in extremis conſtitutum, intempeſta nocte vocatus, furentem planè, formidandis dæmonum ſpectris miſerè diſcruciatum, & (ne ſe ipſum grauiſſima membrorum conflictatione conficeret) manibus ligatum, pedibuſque reperit. Sacerdos miſeratione commotus, ægrotum Parenti Ignatio commendauit; & eius effigiem ære inſculptam, quam ſecum è virgineo circulo appenſam afferebat, ægroto impoſuit: nec mora, ipſo illo temporis momento conquieuit, ad ſe ipſum redijt, ſicque conualuit, vt inſequenti luce diluculo in templum noſtrum venerit, & ab eodem ſacerdote, peccatis prius ritè expiatis, ſynaxim ſuſceperit, incredibili vtriuſque gaudio.

Est

Est in hoc oppido piissima quædam femina, quæ duodecimum cùm ageret annum, perpetuam Deo virginitatem vouit: quo ex tempore, nostrorum consilio, vitæ reliquum in edomandis animi, corporisque motibus, & omnium exercitatione virtutum, sed assiduo præsertim rerum cælestium meditatione, instituit. Sed præ reliquis virtutibus mirabilis est huius feminæ in B. Ignatium, & eius imaginem religio. Diem illum, in quem eo anno pervigilium eius feriarum incidit, hebdomadis omnibus inedia transigit. Quotidie coram eius effigie, quam in cubiculo seruat, quinquies in ipsius honorem orationem dominicam, totiesque salutationem angelicam recitat, sed festis diebus omnibus sphærulam virgineam integram percurrit. Nec tanta pietas vtilitate sua, aut præmio fuit cassa. Acerbissimo stomachi dolore, hæc ipsa femina discruciari sæpenumero solebat, cui medicamenta nulla remedium afferre poterant; quin imò dolorem augebant non parum. Cùm igitur effigiem Patris. N. stomacho apposuisset, opem eius enixè implorans, ipso eodem temporis momento cruciatu illo, ac dolore liberata est. Aduersus alios quinque similes, eosque grauissimos morbos, simili medicamento fuit vsa. Hæc eadem, cùm clauem arculæ, in qua domesticæ pecuniæ seruabantur, amisisset, nec quantumuis diligentissimè conquisitam inueniret, B. P. Ignatio rem commendauit, nec irrita prece. Noctu enim se ipsam sensit â somno excitatam, suo nomine compellari. Erectæ igitur ad vocem compellantis, sedentique in lectulo, B. Ignatius se ipsum cęlesti luce fulgentissimum, ore hilarem, facieque tota lætissimum, intuendum exhibuit; & amissam clauem quo in lo-

co

co reperiret admonuit: euanuitque continuò. Ipsa incredibili ob cælestem hanc visionem perfusa gaudio, clauem eodem ipso loco, quo prædixerat B. Ignatius, mane inuenit. Euisdem quoque monitu schedulam magni momenti, quam amiserat, reperit.

SED magis adhuc mirabile quod sequitur Surditate hæc ipsa femina multos iam menses ita laborauit, vt ne quidem auribus suis perquàm elata voce inclamantes audire posset. Quoties ergo templum nostrum expiandę conscientiæ, vel concionis audiendæ gratia accedebat; flexis prius coram effigie B. Ignatij genibus, cum sic precabatur; Pater mi, sancte Ignati, (ad quem ego tanquam ad vnicum, certumque malorum meorum remedium soleo confugere) ad templum eo, vt animi sordes eluam salubri confessione, vt concioni intersim; sed nosti me surditate præpeditam, ne ex animi desiderio horum compos fiam: Tu mihi (per tua merita obtestor) auditum a Deo impetra; apud quem sic gratia vales. In te spes mea sita est; nec enim præter te alium habeo, ad quem confugiam: & ecce semel absoluta sic oratione, & B. P. Ignatij osculata effigie, auribusque admota, domo exit, eâdem etiamnum, qua prius, surditate laborans: sed simul ac templum ingreditur, (res mira!) concionatorem, sacerdotes sacrum celebrantes, & inter confitendum confessarium suum, submissa quantumuis voce loquentem, exaudit. Cuius rei testes sunt sacerdotes è nostris ij, qui confessiones eius toto hoc anno exceperunt. Atque ecce aliud mirum. Nam templo egressa, vt domum repetat, continuo surditate pristina corripitur, tamque diu ea detinetur, donec ad templum

plum denuo redeat. Hocque miraculum durasse annum iam integrum ipsa testatur, & nos ipsi satis experimur. Quidam denique acerbissimis conscientiæ stimulis, animique angoribus exagitatus, cùm feminæ huius suasu & consilio, nouendialem inediam in honorem B. Ignatij peregisset, eiusque sæpe implorasset auxilium, eodem superauit inanem illum, sed vehementissimum pudorem, qui ei criminis cuiusdam, quatuor iam annos integros in confessione supprimendi, causa fuerat. Transacta enim inedia, ita se animo reperit immutatum, vt nullibi consistere posset, donec vni è nostris peccata sua fassus esset; qui tamen nullam antea cum Societatis hominibus consuetudinem habuerat.

COLLEGIVM VBEDANVM.

INSTITVTA hîc Sacerdotum & Scholasticorum Sodalitas, quibus id curæ demandatum est, vt vinctos in custodiis, in nosocomiis ægros, omnes per vrbem egentes inuisant, solentur & subleuent. Ex ea insignis speratur vtilitas. Cetera communia.

COLLEGIVM FREXENALENSE.

DISSIDIVM inter primarias duas familias, nostrorum opera, tempestiuè sublatum. Etenim paucos post dies, alterius ex illis familiæ caput è vita


è vita discessit. Quo proinde exemplo cauti pacem cœperunt alij dissidentes, concordiamque tueri. Sacellum Sancti Antonij (antiquissimum huius oppidi templum) & imago vetustate, neglectuque squallentia, pristino nitori à nostris restituta, populiq; erga diuum ipsum renouatum studium: die enim S. Antonio sacro, imago eius prælata supplicationi solenni per oppidũ, prosequẽte omni clero, additoque ad celebritatem concentu musico. A templo igitur nostro, in sacellum vsque suum deportata est, vbi res diuina apparatu magno celebrata, concioque habita. Datum Sodalitati Virginis initium. Ceterùm Bexarensium Ducis rogatu oppida aliquot peragrata: è quibus duo intestinas, quas multos iam annos inter se, suosque oppidanos alebant, inimicitias deposuerunt.

Dvo Lerenam profecti sontes totidem feminas, contumaces Mahumetanæ perfidiæ sectatrices, sibi traditas, eò resipiscentiæ ac præteritorum detestationis deduxerunt, vt Mahumete relicto, ad Christum, veramque religionem salubri consilio redierint, earumque altera coniugem, eidem generi supplicij iam adiudicatum, suam in sententiam pertraxerit; Deo nimirum nostrorum verbis potius, quàm aliorum ex sacris familiis religiosorum (quibus tredecim eiusdem criminis rei, eadem pœna plectendi, sed dissimili euentu commissi fuerant) vim addente, vt ex Lerenensium animis falsa illa, sed inueterata diu opinio stirpitus euelleretur; nostros nimirũ ex illuminatorũ numero esse; sic eos vulgus appellabat, qui aliquot ante annos simulatę religionis, ac fucatæ sanctitatis prętextu, nefanda ibi perpetrarant scelera, tandemque proditi, ignominioso fuerant capitis supplicio affecti.

RESI-

RESIDENTIA ANTIQVARIENSIS.

VNIVERSA ciuitatis huius nobilitas odiis intestinis, turpi exemplo, nec sine maximæ stragis periculo distracta, nostrorum arbitratu in pacem concordiamque rediјt. Etenim viri factionis vtriusque præcipui in templum nostrum conuenientes, dextras reliquorum nomine coniunxerunt. Eorum, quos precariò victitare pudet, extrema quæque patientium, inopiæ subuentum; corrogata in eam rem à ditioribus pecuniâ.



PROVINCIA SARDINIÆ.

SVNT in hac Prouincia socij circiter centum & triginta, è quibus Sacerdotes quadraginta tres; Scholastici totidem; Qui domesticis negotiis attendunt quinquaginta: distributi in Collegia quatuor, Domum Probationis vnam. In Collegio Sassaritano quinque supra quadraginta. In Salaritano fere quadraginta. In Vallecclesiensi & Alguarensi vtrobique decem. Adsciti in Societatem octo: duo ex hac vita discesserunt.

COLLEGIVM SASSARITANVM.

OPvs noui templi pro inopia Collegij ſurgit in dies. Magna in quatuor ſodalitatibus B. Virginis pietas eluxit, quinque ex iis Scholaſtici noſtræ Societati nomina dederunt, ſeptem ſe ad alias religioſorum familias contulerunt. Quidam, cui fuerat abſciſſa manus, inimico iniuriam condonauit. Quæ ſequuntur, foris dum obeuntur pagi, accidere. Quidam graue vulnus acceperat, & filium ſuum necari viderat, cum hoc vnus è noſtris agit, quàm gratæ Deo eſſent illæ preces, quæ Chriſti Domini exemplo pro inimicis funderentur expoſuit, vnde ille non ſolùm iniuriam & filij necem remiſit, verum etiam inimicos amplexus eſt. Egit deinde noſter eadem de re cum eius vxore, ea vero cum animum pertinaciter obfirmaſſet, diuino numine tandem afflata, non ſolùm viri animum & conſilium ſequuta fuit, verum etiam eidem viro dixit, niſi inimicis ignoſceret, ſe cum eo potius, quàm cum Ieſu Chriſto, facturam eſſe diuortium. Cum autem vir, quam fecerat condonationem, vxori nondum aperuiſſet, ipſa ſuſpicata nondum eum reuocaſſe accuſationem, domo ſe abire velle dixit; neque cum eo marito verſari, qui Ieſu Chriſti præceptis non pareret. Mulier ex optimatibus, cui colaphum quidam infregerat, in omnium conſpectu percuſſorem rogauit, vt ſibi tempus illud condonaret, quo eum odio fuerat proſequuta. Quidam, cui nece frater ereptus erat, cum ſtatuiſſet homicidam vlciſci,

sci, pôstquàm concionator noster perorauit, in eodem templo, atque adeo in magna ex variis pagis coacta multitudine prouolutus in genua, ab homicida veniam petiit. Alius primarius, cùm falsum crimen in primariam feminam confinxisset, in templo, frequenti populo, genibus flexis crimen retractauit.

COLLEGIVM CALARITANVM.

QVIDAM, cùm aliquam pæcuniæ vim amisisset, eò adductus fuit, vt octo dierum spacio, neque loquutus fuerit, neque comederit, neque dormierit, neque inde surrexerit, vbi iacebat, qui & è muris ciuitatis præcipitem se dedisset, nisi obuiam fuisset itum. Cum verò omnia adhibita remedia irrita fuissent, accersitus vnus è nostris, sacra reliquiarum theca admota perfecit ea, que humana remedia assequi non potuerant. Nam desperatus iste post eum contactum comedit, peccata confessus est, ac postero die ad agenda negotia se contulit. Alius cum diuinis multis admonitionibus non acquiesceret, nocte quadam sibi videre visus est quatuor nigros homines, valde deformes atque horribili aspectu, qui se arreptum in obscurissimum campum, inferis (ad quos ab illis ferri dicebatur) similem deportarent: quibus ipse, Ob vnúmne peccatum in inferos me trudetis? vbi vero & alios aduertit accedentes, & angues multos corpori admouentes, à quibus tam acriter mordebatur, & vndique premebatur, vt animam eripere viderentur, clamauit confessionem, con-

fessionem, atque eas vociferationes edidit vt domesticos excitarit. Nitebatur angues é collo discutere, cúm ecce duos veluti sanctos ac venerabiles viros adesse videt, atque ignarus quinam essent, se illis tamen commendans confessionem inclamat, simulque se tortoribus subtrahens, sibi videtur domum quandam ingredi, in cuius fontem, vt vt potest angues conijcit: verùm à femina quadam quæ ibi adstabat, accusatur, quod hoc fecisset: fœdissimum esse scilicet serpentũ illarum veneno fontem inficere: hic respondet mortua esse, ac se velle confiteri: tum illa; ito & quàm primum hoc facito. Pauore igitur plenus ab eo somno & horrore excitatur, & tantum sudoris flumen emisisse se comperit, vt non solùm sindones madefecerit, verùm etiam totam culcitram alte penetrarit; cumque se vidisset à domesticis circumfusum, qui clamoribus excitati accurrerant, ex illo pauore aliquanto recreatus, rem totam eis enarrauit. Surgens igitur, ad nostros confessionis causa se contulit, & cautiorem quàm antea vitam egit.

DOMVS PROBATIONIS CALARITANA.

VNivs è tyronibus scholasticis vocationem memorabilem, & historia dignam existimaui: partim quia patre reclamante eius constantia tentata fuit; partim etiam quia natus erat nobilissimo parente, hoc est quodam Marchione, qui inter maximos, atque nobilissimos huius regni viros numeratur. Afflatus erat hic adolescens diuinitus

uinitus aliquoties, cum puer esset, per occasionem tumoris, quo alterum ei crus intumuerat. Quo tempore Beati Nostri Patris Ignatij vita ei innotuit. Vnde factum est, vt in animum induxerit eius ordinem amplecti. Rem vni de nostris aperuit in regia Hispaniæ ciuitate, quò se cum Patre contulerat. Cum nihil ibi iustis de causis actum esset, in Sardiniam remigrauit, ac per aliquot annos in petitione, sociorum causa refrixit. Tandem ad se rediens, audito sermone ab vno è nostris habito, cum prius animo versasset, & omnia circunspexisset, sua pristina consilia exequi decreuit; quæ voluntas vt firmior esset, voto se ineundæ societatis obstrinxit. Patefecit animam confessario, & Collegij Rectori, Prouincialem item rogauit, vt coopraretur, à quo facta spes est voti. Interim ad salutaria sacramenta sæpius quam antea accedebat, atque alia pia & Christiana officia clam & palam adiungebat, adeo vt noua vitæ ratio admirationem non paruam iis cieret, qui eum cognoscerent. Hinc genitor coniecturâ rem assecutus, atque in Collegium vna cum filio profectus, Patri Rectori, aliisque duobus Patribús suspicionem aperuit, monens vt viderent, ne temere quid facerent, suum filium aptum non esse ad Societatem: tum etiam ira tumidus, eidem filio aliquot vitia coram exprobrauit, quæ generosus filius modestissime audiens, nihil de pio mentis ardore remisit. Rector, vt potuit, parenti satisfaciens, rem aliquantulum mitigauit. Promisso tandem à Præposito Prouinciali ingressu, filius in sententia constans, suum firmum consilium parenti aperte detexit, enixe precatus, ne impediret; quod si secus accideret, se in Italiam

aut in Hispaniam transmissurum, vt voti compos alicubi fieret, vnde nulla sui fama vnquam ad suos perueniret. Hæc ergo Marchio cum audiuisset, Præpositum Prouincialem ac alios grauiores Patres alloquutus est, si à deo filius vocaretur, se nullo pacto prohibere velle, quominus religioni se deuoueret, solùm se vereri dolum aliquem à dæmone, ob aliquas causas, quas subiunxit. Ad hæc Patres, eius filij vocationem esse optimè examinatam, & communem esse omnium Patrum sensum, adolescenti diuinitùs esse mentem iniectam, ac proinde virorum, valdè versatorum in probandis spiritibus, sententiæ acquiescere posse. Nihil ad hæc Marchio, & licet subtristis redierit domum, quando tamen ad eum se filius contulit facultatis petendæ gratia, eam Pater cum lacrymis ter concessit, precatus vt se, atque suam familiam Deo commendaret; fecit idem mater. Itaque generosus adolescens curru, multis cognatorum equitibus comitantibus, rectâ ad Collegium tetendit, vbi singulari cum animi delectatione in Societatem adscitus est. In qua iam constanti, vt cœpit, animo perseuerat, virtutum exercitationibus serio enixéque intentus.

COLLEGIVM ALCVARENSE.

Excessit è vitâ P. Petrus Castilla. Ex legato nobilis cuiusdam viri, tribus librarum millibus (vitandæ cum eius filia litis gratia) contenti fuimus, quamuis ille ampliorem summam legasset.

PRO-



PROVINCIA
PERVANA.

NVMERAT hæc Prouincia ſocios vnum ſupra trecentos, per quindecim veluti ſtationes diſpoſitos; Sacerdotes centum viginti quinque, Studioſos triginta ſeptem, & ex vtriſque Magiſtros duodeuiginti, Coadiutores centum quindecim: Nouitios viginti quatuor. Collegia ſunt octo; vna Probationis domus; duo Seminaria; quatuor Reſidentiæ. In Collegio Limenſi numerati octoginta. In domo Probationis Reſidentiæ S. Iacobi annexa, triginta ſex. In Seminario D. martini octo. In Collegio Cuzquenſi triginta quinque. In Potoſino decem & octo. In Cuquizaquenſi quindecim. In Paçenſi ſexdecim. In Arequipenſi quatuordecim. In Collegio S. Iacobi Chilenſis regni vndeuiginti. In Quitenſi vnus ſupra viginti. In Seminario S. Ludouici in eadem vrbe tres. In Reſidentia Panamana nouem. In Iulienſi decem. Totidem in Tucumana. In Sede S. Crucis ſeptem. Acceſſerunt ad Societatem decem; è vita diſceſſerunt quatuor.

COLLEGIVM
LIMENSE.

IN hoc Collegio, vti huius Prouintiæ maximo, egregie nauata eſt opera ſaluti proximorum:

præcipuus noſtrorum labor in ſex omnium ætatum, atque ordinum Sodalitatibus promouendis, pari cum fructu verſatur. In his principem locum tenet Sodalitas Sacerdotum; hæc & Sodalium numero, & (quod caput eſt) virtute in dies magnis auctibus creſcit. Iam enim centum ſupra triginta cenſentur, in quibus magna Canonicorum pars cum Proarchiepiſcopo, Doctores etiam, ac magiſtri plures, Parochi omnes; in quos omnes hebdomadæ diſtributi dies, vt publico valetudinario miniſtrent, quò minimum decem Eccleſiaſtica dignitate præſtantes, ſingulis diebus conueniunt. Vbi poſito pallio, & aperto capite adeo cupide ægris ſubueniunt, vt eos, & verbis vt Sacerdotes decet, & factis ſolentur. Proxima poſt dominicum die de rebus ad ſalutem, officiumque pertinentibus, aut in ſacello, quod domi noſtræ habent, conferunt interſeſe; aut noſtrum, qui Sodalitati præeſt, dicentem audiunt. Ex Sodalibus vnus tanto animi ardore in Franciſcanam familiam exarſit, vt nuncium ſæculo remittens, facultatibúſque, quas nec exiguas habebat, nec honoribus vacuas, quo facilius poſſet voti compos euadere, externis exutus veſtibus, recto capite, nudiſque pedibus ad Diui Franciſci (Diſcalciatorum vocant) cæleſti perfuſus gaudio conuolaret. Ibi ſeſe ad Superioris pedes proſternens, lacrymis toto ore manantibus, admitti ſe in eorum familiam enixe precatur. In quam præmiſſis ſummiſſi animi experimentis, omnium religioſorum conſenſu admiſſus, emiſſiſque de more votis, prælucet omnibus exemplo ad virtutem.

Sodalitas itidem Deiparæ partum expectantis, ex honeſtis huius ciuitatis hominibus con-

conflata, & viris, & virtutibus mirum in modum aucta. Obeunt Xenodochia festis, professtisque diebus, vbi verbis, & opiparis nonumquam mensis solantur ægros, mundant sordes, sternunt lectos, leuant eleemosynis pauperes, vinctosque. Quidam ad profanam comœdiam aditum sibi pecunia comparauerat, is postquam sedisset spectaculi cupidus, vbi repente meminit imminere iam horam, qua in sacello Societatis haberi solet ad Sodales concio, tanto cœpit mœrore affici, vt ferre minime posset: E vestigio ergo spectaculo valere iusso, domum nostram se confert, malens corporis, quam animi oblectationis iacturam facere: nec sua illum voluntas fefellit; tanto enim inter audiendum cæli perfusus est gaudio, vt omnibus mundi oblectamentis, piam illam Sodalium exercitationem anteponendam censeret, aperteque fateretur. Sacellum lychno pensili, vrceolis cum patina argenteis, sericis tapetibus ad parietes circumquaque vestiendos locupletatum.

Indorvm itidem Æthiopumque Sodalitia progrediuntur. Dominicis diebus pomeridiano tempore concionem audiunt domi nostræ, deinde nosocomia petunt, straturi lectulos, cibos porrecturi, aliaque christianæ charitatis officia ægrotantibus præstituri. Flagitiosus quidã nostri concionatoris voce ad meliorem vitam incitatus, illũ absoluta concione domum redeuntem sequebatur, ad eius pedes sarcinam peccatorum positurus; sed cum ad nostræ domus limina peruenisset, tantus eum scelerum suorum horror inuasit, vt pedem referens, salutari tum incœpto destiterit: verum aliquanto post tempore, ipsius in animas defunctorum pietas, ad vrgendum salutare propo-

situm

ſitum auxilio fuit. Nam quo die ſolemnes oblationes à Chriſtianis fieri ſolent pro his, qui Purgatorio igni expiantur, ipſe tria ſacra pro eiſdem facienda curauit: Quare cùm fortè præter noſtrum templum tranſiret, lugubremque campanarum ſonum audiret, magna ſe quadam vi ſenſit intrò compelli, vbi genua vix flexerat, cum eius animum ſubit turpiter olim abiectum propoſitum confitendi, nec diutius diuino numini reluctandum ratus, extemplo confeſſarium adit, cui tota re expoſita, totius vitæ peccata confeſſione aboleuit. Alium, qui ex longinguis locis in hanc vrbem deſcenderat, vt grauem ſibi irrogatam iniuriam inimici ſanguine vlciſceretur, noſtri concionatoris oratio ſic à deſtinatæ cædis conſilio deterruit, vt coram duobus Canonicis, aliiſque Eccleſiaſticis viris, non ſine lacrymis vbertim manantibus, in gratiam cum inimico rediturum polliceretur. Ad ſoluendum æs alienum vinctorum, corrogata magna pecuniæ vis, qua, qui ſoluendo non erant, cuſtodijs emiſſi.

QVIDAM ob facinus perpetratum afficiendus erat extremo ſupplicio; eleemoſyna tamen quingentorum aureorum, quos noſtri à nobilitate collegerunt, liberatus eſt. E vinctis vnus alteri grauem notam inuſſerat, quam vt læſus deleret, bis pugionem ſtrinxerat inimicum perempturus; re tamen ad ad nos delata, noſtri Sacerdotis hortatu à cæde manus abſtinuit. Alius cui, vt laqueo vitam finiret, Diabolus perſuaſerat, quique vt animam intercluderet, ter collum reſti inſeruerat, ſalutaribus noſtrorum monitis ab amentia reuocatus cœpto nefario deſtitit. Ad vinctos frugiferæ conciones habitæ, quibus noſtrorum in hoc genere

nere labor ita gratus accidit, vt ab alijs, quàm Societate iuuari minimè patiantur; eisdem opiparæ non semel epulæ ministratæ, magna cum approbatione ciuitatis. Ad supplicium patienter ferendum sontes instructi; in quibus facinorosus quidam morti destinatus, nulla ratione adduci poterat, vt mortem, suis dignam sceleribus, Christiano animo sustineret; vrgebat noster rationum momentis, respuebat ille obfirmato animo: & vbi nihil profici verbis, qui monebat, intelligit, ad preces confugit, rei diuinæ dat operam, nec in cassum; hac enim peracta redit ad reum, mirum dictu! adeò permutatum reperit, vt mortis cruciatum magna animi æquitatate subierit, paremque suæ salutis spem fecerit vniuersis. Nec Hispanorum diligentius, quàm indigenarum salus curata est: ex concionibus ingentes fructus percepti; testes plures ducentis, totius vitæ noxas rite confessi.

QVIDAM duodecimum iam annum diabolica fraude deceptus, à Christiana fide defecerat; sæpe enim audierat à Parentibus maiorum suorum traditione receptum, non vnicum esse Deum, qui hanc rerum vniuersitatem moderaretur, sed duos Pampabilcam scilicet, quam Indi; Christumque, quem Christiani homines venerantur, ęquę tamen potestatis vtrumque: diuinis verò legibus cautum, vt nemo colat alienum Deum, adeò vt capitali supplicio plectendos Pampabilca sanxerit, non tantum, qui nomina dedissent Christo, sed etiam scribere, aut legere didicissent Christianorum more, ne illis vlla in re similes viderentur. Quod ne veritatis specie prorsus careret, impiæ superstitionis magistri testem excitabant ab inferis,

ris, in quem hotribilibus pœnis apud inferos animaduerſum eſſe docebant, quòd leges contra, ac Pampabilcæ decreta, ſcribere didiciſſet. Hunc igitur errorem Indo diabolus perſuaſerat, & iniectis eius animo denſiſſimis tenebris, veritatis lucem procul eiecerat, ſed diuino miſerante numine, dum noſtrum in foro maximo concionantem audit, diſcuſſis errorum tenebris, lux cælitus reſtituta illum deſertæ Religionis gremio reſtituit. Alius quoque decem pagorum in ſuperſtitione Magiſter, ſuorum errorum vanitatem noſtro diſſerente agnouit, catholicæque fidei veritatem amplexus eſt: qui & in patriam reuerſus, quos diabolica fraude deceperat, ſalutaribus inſtructos monitis, additoque inſuper viatico, in hanc Limenſem vrbem remiſit, vbi à noſtris auitos dedocerentur errores, & Chriſtianam ſimul Religionem edocerentur.

RESTAT inſigne ad memoriam exemplum. Quidam mortifero morbo correptus, crimen nihilominus ſacrilegè in confeſſione celabat, (vti ipſe prodidit) morti vero proximus, toto tremente corpore, oculos cœpit horribiliter aperire, non ſecus ac ſi pauenda ſpectra obiicerentur. Et erant quidem (ſi fides eſt animam agentibus adhibenda) quatuor videlicet monſtra teterrima, quæ illum flammiferis oculis intuentia, ſuccenſere primum acerrimè, quod ſacrilego ſilentio texiſſet in confeſſione delictum, ob quod eſſet in tartara iuſtiſſimè detrudendus: tum vero omnia ægrotantis membra perrigidis circumligata funiculis vehementer contorſere, donec æger nullum ſe crimen confeſſario celaturum affirmauit. Viſum fuiſſe, non ſomnium, probauit euentus: è veſtigio enim

Sacer-

Sacerdote ex noſtris vocato, integram ſcelerum confeſſionem inſtituit, monſtris ad id ex interuallo impellentibus, & ſuggerentibus crimina, quæ exciderant confitenti; nec inde diſceſſere prius, quã cunctaSacerdoti detexiſſet, tumque mira ſerenitate perfuſus, bonæ ſpei plenus exceſſit è viuis.

MILES quidam leucarum itinere plurium ſexcentis venerat in hanc vrbẽ, vt percuſſoris cęde alapam, quam in multorum conſpectu acceperat, vlciſceretur: ſed noſtri Sacerdotis precibus victus, quamuis maxima cum difficultate, tandem iniuriã inimico condonauit. Cum cuidam ex vrbis proceribus valde nobis addicto, Sacerdos noſter ſuã operam in ſæculari negotio pernegaſſet, id adeò grauiter homo tulit, vt apud ſe firmiter ſtatuerit Societatis homines, nunquam ſibi in poſterum à confeſſionibus futuros; ſed cum die quadam pararet ſeſe, vt alterius familiæ Religioſo confiteretur, vocem ſubitò audit clare, diſtinctèque dicentis; Ne illos deſeras, ne illos deſeras, nec enim illos volo, quibus tu quærebas, ac volebas rebus occupari. Hæſit ille primum perterrefactus audita voce, ſed vt ad ſe rediјt, capeſſit monentis conſilium; pedem extemplo reuocat, & noſtram velox aduolat domum, vbi ad Sacerdotis, qui primus occurrit, prouolutus pedes, facti pœnitens magno doloris ſenſu rem omnem exponit: & apud alios, quam apud noſtros, Sacramenta ſe nunquam aditurum pollicetur.

DOMVS PROBATIONIS ET S. IACOBI SEDES.

PERICVLOSI morbi, quibus quatuor continenter annis in nouo ſolo laborauit tyronum domus, ſancti Iacobi ſedi rurſus adnecti compulerunt. Franciſcus Coëllo (qui ſuperiori anno renunciato ſenatorio munere nobiſcum Societatem iniit) inter puerorum agmina, per celebriores vrbis Limenſis vias catechiſmum canentium, pannoſus prodijt in publicum; quod oppidanorum animos adeò permouit, vt cateruatim accurrerent, rem inſtar miraculi conſpectari. Diem extremum clauſit Hieronymus Abarca adoleſcens magnæ ſpei, genere inſignis, ſed virtute inſignior, agebat ætatis annum vndeuigeſimum, biennium tyrocinij nondum peregerat. Hunc Pater Stephanus Paëz huius Prouinciæ Viſitator, in ſancti Ludouici Seminario conuictorem reperit, cum luſtraret Quintenſe Societatis Collegium. Vix decimum ſextum ætatis annum expleuerat, & iam magna cum laude philoſophiæ ſpatium percurrerat, parique cum fructu annum in Theologia poſuerat. Ipſe porro aſſiduis precibus, vberrimis lacrymis, opportunè, importunè contendit aditum ſibi ad Societatem aperiri, quem immatura præcludebat ætas: qui licet ſæpius excluſus, nunquam tamen à conatu deſtitit, donec ei ſpes ita facta eſt, ſi prius poteſtatem eius ingrediendæ à parentibus impetraſſet: quo ille nuncio lætus, confeſtim conſcendit equum, & rectà ad parentes, qui ab vrbe aberant, iter corripit,

pit, certus ab ijs, nisi exoratis, non discedere. Sed eius vota secundauit Deus: probato enim Parentibus consilio, facta est ab vtroque abeundi potestas. Iam vero cum iter eques ageret, decidit in rapidissimum flumen, aquisque obrutum etiam equus, fallente vestigio delapsus, mole sua pæne obtriuit. Periculum omnino videbatur extremum, sed quæ non cedunt pericula pietati? Deiparæ opem pius adolescens implorat, nec illam diu differt pietatis mater. Hac enim bene iuuante, breui periculo exemptus, incolumis e gurgite emersit. Retulit ergo ad Patrem Visitatorem vtriusque Parentis consensum, nec tamen voti compos est factus.

PARAT reditum Pater in Limensem vrbem, illum sequitur adolescens propositi tenax: vbi denuo rem vrget precibus, lacrymis, quibus cum parum profici videt, tacitus descendit ad opera. Virginis Dorotheæ memor, cuius ipse personam in comœdia gesserat, illius vetus, ac præclarum exemplum statuit, quoad fieri posset, renouare suo. Nec mora: intendentibus se tenebris, iter ad Tyrocinium arripit, sedet pro foribus noctes ibi traducturus, ac dies, & si res exigat sine somno, ciboque. Nec hic stat diuinus feruor adolescentis: Pallium confestim exuit, ac pileum, & prætereunti donat Ethiopi, quibus vestitus alter discessit lætus, alter lætior nudus permansit. Ea res admirationi fuit, nec ipsi adolescenti inutilis. Intra paucos enim dies, quod tantopere appetierat, impetrauit: Voti igitur compos, dici vix potest, quanto studio virtutes omnes coluerit, quamque illustria earum documenta, siue viuens ediderit, siue reliquerit moriens. Nonnulla colligam, ex quibus

fiet

fiet coniectura de ceteris.

Cvm pænè puer vitam ageret intra paterna tecta, illum adorta est petulans puella impudico animo; sed eius temeritatem senili grauitate sic compressit Hieronymus, vt pudorem iniecerit impudenti, non sine magna parentis voluptate, quæ rem tacitus auscultabat. Ab infantia enim semina ostendit insignis cuiusdam castimoniæ, quæ cum ipso creuit; quod non semel tyrones, quibuscum egit, adnotarunt. Cùm illis assidere contingeret, ita vel ipsam externam vestem ob honestatem componebat, vt alienam non posset attingere, id vero in morbo,, quo mortuus est, maxime enituit. Exurebat illum hectica medullis ipsis inclusa, nec tamen dum iacuit in lectulo, brachia discooperuit vnquam, nec culcitia manus egessit, nisi cum potum vel cibũ sumeret. Extremum iam exhalaturus spiritum, cum præsentiret defectionem sensuum, manum sub sindone circumquaque deferens, totum corpus ad modestiam composuit, vt moris erat. Mortui corporis artus adeò tractabiles extiterunt, vt cum efferretur cadauer, nullo negotio flecti membra, perinde atque adhuc spirantis possent: quod medici, non nisi corporis, atque animi integritati tribuerunt. De obedientia vero Religionis fundamento, nondum Religiosus ita sentiebat, vt si cubiculum, in quo esset, forte contingeret subita conflagratione exardere, eo se nunquam proriperet, si Superior egressum interdiceret.

Tertio ante obitum die, cum importuno somno consopiretur (superiorem enim noctem sine quietis parte traduxerat) vt commonitus est obedientiæ, tantam sibi intulit vim, vt sopor oculis euictus

euictus abſceſſerit. Cum quidam ad eius lectum horam præſcriptam excubaſſet, rogaretque Hieronymum, an vellet excubias protrahi, quod ſibi pergratum accideret: Imò vero, inquit ille, gratiſſimum mihi facies chariſſime, ſi obedientiæ metam, nec latum prætereas vnguem, eritque ſi ſecus fiat, quam moleſtum mihi. Nec minus deſpiciens ſui, quam obediens fuit, quod vel ex eo colligi licet, quod cum proceſſus maximos feciſſet in literis, & ob præclara naturæ dona eſſet inſignis, ſæpenumero cum magiſtro nouitiorum ſerio egit, vt ad domeſticas functiones, non ad literas admitteretur. Dieque qui proximus extremo fuit, cum ſibi facta eſſet à ſuperioribus poteſtas emittendi vota Societatis, enixe flagitauit, vt liceret ſibi ea coadiutorum more recitare. Deiparæ à teneris annis deditiſſimus, tanta reuerentia illi pietatis officia perſoluebat, vt & videretur quidē, & Angelus à videntibus diceretur. Huius ope (cùm alia multa incaſſum adhibuiſſet remedia) conſcientiæ ſcrupulos, quibus acutè pungebatur, expulit. Nullus ei ſermo iucundior, quam de Deo, de morte, de altera vita, cuius flagrabat deſiderio.

A pueritia perpetuum illi fuit, eo temporis interuallo, quo potum ſumebat, ſanctiſſima IESV, ac Mariæ nomina identidem implorare. At Societatem ingreſſus, in hunc modum eam conſuetudinem ſeruauit, vt plus aquæ vno hauſtu non biberet, quam quantum ſpacio vnius repetitionis eorundem nominum bibi poſſet. Paupertatem diligebat, vt matrem. Hinc cum inaudiſſet cauiſſe medicū, ne cui darentur reliquiæ ciborum, quibus veſcebatur, enixe ab infirmario contendit ne am-

plus condiret cibi, quàm sibi sufficeret, ne scilicet sui causa profunderetur aliquid, quo detractū videretur paupertati. Grauis, diuturnique morbi molestias incredibili semper animi æquitate superauit, adeo vt in graui, molestaq; palpitatione cordis vix vllum dederit signum doloris. Itaque consummatus in breui expleuit tempora multa. Iam ad alia. Prorex (quæ illius est de nostra Societate opinio, deque Indorum salute cura) indigenas omnes, qui in vrbe, aut in suburbanis vagam vitam sectabantur, in hoc vnum oppidum compelli iussit, vt nostrorum disciplina à peccandi licentia cohiberentur, & Christianis moribus, atque institutis imbuerentur; inuentum omnino indigenis perutile, & licet excogitatum, tentatúmque non semel, nunquàm tamen optabili exitu. Nunc verò feliciter confecta res est, totque intra paucos dies Indi traducti, vt oppidum satis capax illos vix capiat. Crescente igitur incolarum numero crescit in dies nostrorum labor, sed laborem non paruum, fructus superat magnitudo. Cum Sacerdos Archiepiscopi iussu, inter lustranda Diæcesis oppida, in hoc incidisset, pascendi gregis rationem adeo probauit in nostris, vt summam sibi dari petierit, cum aliis animarum pastoribus communicandam, qua de re literas ad Archiepiscopum dedit, quibus Societatem præclarissimis laudibus ornauit.

COLLE-

COLLEGIVM CVZQVENSE,

CVzcvm vrbs est incolarum multitudine inter Perüanas abundans, ea nostris seges laborum, qui cum linguarum scientia, & magno indigenas iuuandi studio hoc anno vigerent, fructus insignes collegerunt. Quędam acerbos mariti mores decennium iam perfert, tanta æquitate animi, vt cum eius bona maritus profuderit, eamque non semel verbis, verberibusque acceperit male, eundem semper vultum præseferat indicem æquitatis animi; cum semel tamen succresceret diutina vexatio, dolori cedēs, tres continenter dies domi clausa sine cibo traduxit: post quos ne vitæ prodiga videretur suæ, domo egreditur, ignem, quo cibos apparet, illatura. At cum regressa, pedem inferret domum, ecce pulcherrimus, ac tenellus puer vestem tenet, & mœrotis, quem optime norat, sciscitatus causam, ad labores vitæ fortiter ferendos iacentem animum solatur, ac firmat; simulque candidissimum ostendens panem, medium porrigit, vt expleat, qua premebatur, famem: partem vero alteram panis, fero (inquit bellissimus puer) daturus alteri, pari doloris sensu laboranti, quo dicto disparuit. Hęsit Inda primum stupefacta miraculo, quęrit deinde solicita dulcissimum puerum: quem reperire cùm non posset, attonita intrat penetralia domus, panem cælitus delatum gustat, præ dulcedine pæne deficit, nec vllus deinceps est in laboribus perferendis labor. Qui facta à confessario fa-

cultate accedunt ad sacram synaxim, multos ante dies voluntariis se cædunt flagris, subleuant eleemosynis pauperes, precibus vacant, cibisque abstinent, quod vltimum etiam aduentus, & quadragesimæ diebus præstant; quo vero die sacram Eucharistiam suscipiunt, inuisunt omnes Xenodochia, & ægrorum egestatem pro cuiusque facultate subleuant, parique caritatis officio carcere detentis subueniunt.

QVATER singulis annis Indorum Sodalitas sub IESV nomine, diuino conuiuio excipitur, conuiuarumque capita sępe supra mille censentur: tū maxime cum diem assumptæ Virgini sacrum solemniter agunt: eo enim die præter aliam Sodalium liberalitatem, egenæ virgines quatuor matrimonio locantur, & opiparum ducentis pauperibus, vinctisque omnibus ministratur prandiū. Sodaliū templo, quod nostro proximum est, fâstigium impositum magna indigenarum voluptate, quod ædem, vbi suę ipsorū saluti, sine Hispanorum incōmodo, consulatur à nostris, habeant. Laudanda est Indorum in Deiparam, (cuius & perbella effigies in ara maxima est) pietas. Crescentibus enim indies Deiparæ beneficiis in Indos, horū vicissim studia pietatis in Deiparam augentur in dies. Ciuium Sodalitas crescit in dies, & numero, & pietate; in eam adscripti Principes vrbis. Ad sacram synaxim quindecies singulis annis, omnes accedunt cum famulis vniuersis: singulis etiam mensibus mira pietate sortiuntur patrocinia sanctorum: eo vero die, qui defunctorum anniuersariis proprius est, centum pro illis sacra facienda curarunt. Aucta domus accommoda habitatione, quam septem aureorum millibus Illustrissimus huius vrbis Episco-

pus

pus iuuit; ſexque millibus aliis certam domum ædibus noſtris adiecit, quibus laxatæ anguſtiæ domeſticæ; octo præterea aureorum millibus æſtimantur ea, quibus locupletatum eſt templum.

COLLEGIVM POTOSINVM.

SINGVLIS hebdomadis quadragenarij ieiunij, ſecundũ tempus ſalutationis Angelicæ, trina exempla in æde noſtra narrata, ad recte inſtituendos auditorum mores accommoda: deinde ventum ad voluntaria verbera, cum interea ſuſpiriis, gemitibus, comploratione templum omne compleretur. Præcipua noſtris laborum ſeges indigenæ Indi ſunt, quorum tanta in hac vrbe frequentia, vt in tredecim parœcias fuerint diuidendi: eorum ſaluti omni ope conſultum à noſtris. Dominicis præſertim diebus incredibilis ad concionem concurſus; ea matutino tempore habetur in templo, in ſummo foro ſub veſperam: qui vero concioni ſemper interſunt, ad quinque millia cenſentur. Acriter in Venerem, Bacchumque inuectum; Deos ſcilicet Indicæ gentis. Pudicam Indam inuaſit impudens quidam blandis primum verbis, ac precibus, & ſtricto deinde gladio intentans necem niſi ad flagitium pareret: At cum Inda ad minas interrita, vitam mallet, quam pudorem amittere, tali conſtantia iuuenis victus à flagitio deſtitit. Alia à cupido amatore in magnas anguſtias ſemel adducta, vt ſe proriperet à ſceleſtis manibus, ſaltu per feneſtram ſe deijcit, & quamuis nulla ex parte læſa, pernoctauit tamen ſub dio perfrigida

tempestate. Alia itidem vt animum tueretur à labe, è montis cacumine formidolosæ altitudinis se precipitem dedit. Alia cum à sex militibus circumuallatam se cerneret, Deo plena procumbit in genua, tantúmque orando profecit, vt armatos milites inermis superaret. Nonnulli adulta iam ætate, & in his octogenarius, sacro fonte lustrati. Cum Pater Petrus Vincentius, cui potissimum cura est de Indorũ salute in hoc oppido commissa, omnes suasionũ, ac diuini verbi machinas admouisset, vt obduratum iuuenis animum emolliret, nec tamen longo tempore proficeret, imparato semel ad concionem suggessit illi Deus (quod tunc narrare nec in mentem venerat) vt exemplum narraret: quod tanta contentione fecit, vt peruicacem iuuenis animum delinierit; qui postridie mane vitæ turpitudinem confessione deleuit. Mille aureis Collegio donatis, res familiaris aliquanto respirauit.

COLLEGIVM PACENSE.

DECESSIT hoc anno Pater Antonius Viuar trium votorum nostræ Societatis Professus, viginti annos in eadem versatus. Aliquo tempore sequutus est Tucumanam missionem; & alia obijt Societatis munera, magna vbique cum laude. Ex hoc vero Collegio, quo nuper missus ab obedientia fuerat, ad recipienda laborum præmia (vt confidimus) vocatus in cælum est. Decubuit dolore lateris, qui cum illum respirare vix sineret, vix vllum dedit signum doloris, quin potius optare se ea doloris vi, diuturno pro Christo tempore diuexari,

uexari, sæpenumero dictitabat. Morti iam proximus tanta vultus hilaritate inuisentes socios alloquebatur, ac si in vicinum Societatis domicilium, breui rediturus, migraret. Tanta lætitiæ voluptate gestiebat moriens, vt astantes teneret admiratione defixos, quippe qui simile in morientibus gaudium nunquam viderant. Nihil ei iucundius, cum ægrotaret, quàm acerbos Christi cruciatus legentem audire. Integra demum mente, sensibusque, munitus ecclesiasticis omnibus sacramentis, mortalem hanc vitam cum æterna mutauit; felicem se prædicans, quod id sibi in societate contigisset.

MAGNA quædam inter Principes viros erat orta discordia, quam graues contumeliæ, ac vulnera exacerbauerant. Vrbanus namque Prætor, & qui eius, cum aberat, vices gerebat, inexpiabiles inter se inimicitias fouebant, diuiso in factiones oppido, sic vt bellum ciuile geri quodammodo videretur. Authore tamen Principe pacis Deo, tantum apud eos nostri Sacerdotis valuit auctoritas, vt ad pacem pristinamque gratiam, maxima omnium lætitia, & gratulatione reuerterint. Sacrilegi superstitionum doctores patefacti sunt quatuor, qui inter alia nefanda sacrilegia, legitimi Sacerdotis vsurpantes officiũ, sanctissimæ pœnitentiæ sacramento abutebantur. Hi detestati prius immanitatem sceleris, pœnas mox tanto dignas piaculo, inspectantê Populo pependerunt. Ad pręsentis anni exitum excursio facta est in vicinos populos, quam Sacerdos cum socio suscepere, à quibus in Incolarũ catechesi strenue iuxta, ac vtiliter laboratum: cum parum adhuc excursio processisset, plures octingentis de peccatis auditi. Ro-

gati multi, Abluissent-ne eo anno confessione animi labes? Nec in vniuersa quidem vita respondebant. Gens scilicet spiritualis opis maxime indiga.

Nostri porro ad christianam doctrinam indigenas sic conuocabant: Non longe ab oppido desilientes equis, sub crucis signo rudimenta fidei alta voce canebant, vt à proxime habitantibus audiri facile possent; qui occurrentes confestim obuiam, cùm per celebriores oppidi procederēt vias, excitabant alios cantu solemni, donec gemino ordine numerosum instrueretur agmē, deduceretur-que ad ædem, vbi panis à nostro Sacerdote paruulis petentibus frangebatur; quem adeo cupide arripiebant, vt quasi ruminantes, quæ audierant in concionē, media ipsa nocte non semel audirentur. Opportune verò à nostris consultum, vt pueri, cæcique egregiè instructi manerent auxilio gentis. Illud porro acerbum afferebat dolorem, quod cum plures, multis sępe cũ lacrymis, audiri de peccatis peterent, piis illorum optatis satisfieri neutiquam posset, ne dum illis consulitur, grauius laborantium periclitaretur salus. Multi, in quibus vnus supra viginti adulta iam ætate, renati aquis salutaribus: iuncta aliquot paria legitimo matrimonio.

Dvæ Indæ nostri concionatoris voce permotæ, rationes veteris vitæ expungere statuerunt, & vt liberarentur occasione peccandi, patria valere iussa, voluntarium exilium elegere. At vbi res ad turpes amatores delata, impatientes fugæ, fugientes insequuntur: inuentas reducere nituntur: vi extrahunt, quos brachiis gestabant liberos, vt si non amatorum libidini, liberorum saltem amori cederent. Sed nec his expugnari feminarum constantia potuit, quas diuini virtus amoris roborabat. Vt enim

nim diabolicę seruitutis iugum ceruicibus excuterent, liberos sinu excuti libenti animo pertulerunt. Corruptores populi reperti aliquot, in quibus anus præstigiis nobilis, quæ quod alios superabat arte nefaria, tanto apud omnes erat in honore, vt vna omnium voce Taicaſſa ipſorũ lingua, hoc eſt, noſtra mater appellaretur. Inter alia execranda artis inſtrumenta, olla reperta plena corrupti ſanguinis, quem Indicis exuxerat venis, altas cum eo morborum fibras euelli fabulata.

IAM illud vnum ſubnectam, quod per id tempus diuina vis edidit ad teſtificandam B. Patris noſtri Ignatij ſanctimoniam, cæleſtemque felicitatem. Sacerdos quidam decem ab vrbe leucis indigenarum Parochum agens, quintum decimum iam annum graui dolore iecoris premebatur, & licet omnia tentaſſet, quæ ad illum mitigandum vſui fore putabantur; fruſtra tamen. Contigit ergo, vt cum quadam die vehementius vexaretur, Pater illũ inuiſeret (eò enim tunc venerat, vt loco ægrotantis Parochi ſolita exerceret munera Societatis) is dum pio decumbentẽ ſolatur alloquio, aliũ ex alio ſermonem texens præclara refert miracula, quæ Deus optimus maximus, Beati Patris noſtri Ignatij meritis nuper patrauerat. Monet ſubinde, vt qua decet pietate eius imploret opem, nec dubiũ quin protinus deprecatione Ignatij, diuinoque munere conualeſcat. Paret monitis æger bonæ ſpei plenus, & pari pietate ac fiducia, contra vim morbi Ignatium implorat, in cuius honorem ſacrum ſe facturum promittit. Nec vana ſpes, aut imploratio fuit. Continuo enim Parochus dolorem ſibi, quaſi diuina manu depulſum ſenſit, vbi noſter admouit iecori Ignatij chyrographum. Quadrageſimus iam dies

dies eſt, (eiuſdem ſunt verba) ex quo Beati Ignatij meritis ſanitatem recepi, & dolore nullo penitus premor, cuius rei teſtes extant apud nos eius litteræ. Expertum eſt Collegium noſtrum hoc anno plurium munificam manum, nam præter mille aureos, quos Martinus Cardenas donauit in ſingulos annos; quod aliorum pia liberalitas contulit, quatuor aureorum millium ſummam efficit. Libris etiam bibliotheca aucta, qui quadringentis æſtimantur aureis.

COLLEGIVM
CHVQVISAQVENSE.

PRÆLVCENT omnibus ad pietatem, officiaq; charitatis Mariani ſodales; eorum piam liberalitatem teſtantur, centum ſupra triginta omni ope deſtituti, benignis ſodalium dextris emiſſi carceribus: à noſtris vero ſedatæ tumentes inimicitiæ, in multorum damna alioquin erupturæ. Quidam, vt grauem ab alio ſibi illatam iniuriam vlciſceretur, nefarium ſcelus meditabatur, nec prius tamen illud aggredi apud ſe ſtatuit, quam facultates omnes, quibus ob cogitati ſceleris immanitatem priuandus erat, inter eos diuideret, quorum gratiæ ſibi laboranti, plurimum afferre poſſent præſidij: eo igitur conſilio noſtri Collegij moderatorem adit, cui multis prius vltrò, citróque ſermonibus habitis, bonam aureorum ſummam liberaliter offert, quam, vt accipiat, impenſe rogat, alioquin in alios diuidendam. Commendat noſter benefactoris liberalitatem, gratesque ingentes pro collato beneficio
refert

refert. Deinde alijs de rebus ſermonem texunt, ſed nec veſte ignis, nec humanum quodlibet facinus, diuturno poteſt ſilentio ſimulari. Ex hominis enim vultu, verbiſque Rector aliquid ſuſpicatus, in eius animum ſenſim illabitur, ab eoque elicit cauſam liberalitatis, atque opportunam porrigens opem, à cogitato flagitio deterret.

Vocatvs Sacerdos ex noſtris adiuit indigenarum domum, in qua duo mortifero morbo laborabant, vt ab eis peccatorum confeſſiones exciperet; & quidem, ſi ſocij ſecum euntis pareret conſilio, ille fuiſſet audiendus prior, quem morti propiorem fibræ trepidatio, & oris pallor indicabant. Aliò tamen animum appulit diuina impellente vi, vt breui inſpiratus probauit euentus. Vix enim hunc peccatis abſoluerat, cum eius animus ſolutus eſt corpore; alio, qui periculoſius ægrotare videbatur, ſuperſtite. Ciuium liberalitas ſuam in nos beneuolentiam non tenui eleemoſyna clariorem fecit. Ad quatuor enim millia aureorum ſumma pertingit.

COLLEGIVM AREQVIPENSE.

Rervm omnium abundantia, qua præ ceteris huius Regni florebat hęc ciuitas, in inopiam verſa; magna ex parte vacua ciuibus, iacet omnium miſerrima. Noſtri vero, in tanta temporum commutatione, ſemper ſui ſimiles extiterunt, ſiue benigne indigentibus facientes, ſiue ſuſtinentes aduerſa. Eorum numerus nunquam decreuit, aliorum ordinum ad vnum decreſcente. Deus e-

nim, dum nostri calamitosæ ciuitati subueniunt, eorum ipse curam suscepit. In his proinde angustijs temporum, fundo mille aureis coempto res familiaris est aucta: ex quibus nobilis quidam, valde nobis addictus, trecentos condonauit. Indus periculose decumbebat, & licet plurima tentata re media, nullum tamen morbo valentius. Hinc diabolus occasione arrepta, vt ab eo curari se sinat, Indum hortatur, annuentique sanitatem ad tempus restituit: ab eodem etiam, cum auita superstitione de cinerum colluuione dæmonem consuleret, audita vox est, (incertum an dæmonis) dicentis se illius fuisse calamitatis authorem, auxiliarem tamen indigenis affuturum in posterum. His diaboli laqueis miser irretitus, inquietum diutius habebat animum, donec re ad nostros delata, solutus est vinculis peccatorum, & dæmonis laqueis expeditus.

Civium Sodalitas Purificatæ Virgini sacra, efflorescit in dies magis ac magis. Deliguntur in singulas hebdomadas sodales certi, qui stipem ostiatim corrogent ad subleuandam vinctorum egestatem, quod magna admurmuratione ciuitatis celebratur. Nostri Sacerdotis hortatu, à cogitato flagitio quidam absterritus, vnde metuebantur cædes multorum. Alius, cum turpes cogitationes, quibus diu, noctuque ab immundo spiritu vexabatur, confessario celaret, quiescere nullo pacto poterat; at vbi procellas animi moderatori detexit, tranquillitatis portum inuenit. Obijt Pater Augustinus Sancius. Hic cum ante initam nobiscum Societatem, Indici gregis spiritualis pastor multis annis fuisset, in hanc vrbem ex superioribus descendit, in Hispaniam profecturus: secus tamen

superis

ſuperis viſum. Rebus enim omnibus ad nauigationem paratis in periculoſum incidit morbum, qui illi melioris vitæ initium fuit, à quo non prius conualuit, quam vale remiſit ſæculo, & nomen Societati dare apud ſe ſtatuit, in quam breui receptus eſt, diuitijs antè pia manu diuiſis. Vir ſane eximia integritate, animarum zelo, paupertate, corporis maceratione, & animi cultu conſpicuus, ſacroſanctæ vero euchariſtiæ in primis deditus.

CVM octogenario maior deceſſerit, ad eum vſque annum, qui proximus morti fuit, quotidiana ſe verberatione afficiebat, nec ad ſupremum vitæ diem remiſiſſet flagellum, niſi vocem obedientiæ audiſſet iubentis remitti. Semilaceras veſtes ipſe ſibi conſuebat, ac calceos. Denique, vt præclara illius facta vno verbo complectar, amplificauit Societatis nomen ſiue in Collegijs eſſet, ſiue in excurſionibus verſaretur. Dierum ergo ac virtutum plenus, ſacramentis omnibus rite munitus, miſeram hanc cum meliori vita mutauit. Cuius obitus vt lugubri campanarum pulſu euulgatus eſt, omnis pæne ciuitas (& atrati permulti) ad cohoneſtandum funus domum confluxit. Erat enim externis æque, ac noſtris propter amabiles mores, egregiamque in omnes caritatem, vnicè carus.

COLLEGIVM QVITENSE.

PRÆTER binas ad Hiſpanos conciones ſingulis hebdomadis, tres habitæ ad Indos. Sex prętere a omnium ordinum, atque ætatuui Sodalitia, quæ reguntur à noſtris, totidem ſibi conciones vēdicant

dicant festis diebus. Præfulget Sodalitas Sacerdotum, quæ duobus, tribusue ab hinc annis enata vberes iam fructus producit, neque caret illustribus ad imitationem,& memoriam exemplis. Quidam ex sodalibus, cui res familiaris vix necessitati sufficiebat, aureos plures ducentis liberali dextra diuisit in pauperes: eidem cum nobilis quidam vir dono vestem dedisset, eam ille diuendidit, & inopiam viduæ mercede subleuauit. Alius cum à petulanti femina ad flagitium illiceretur, non modo se in officio ipse continuit, sed illam meritis affectam verberibus ad officium reuocauit. Alium egena, sed elegans muliercula turpiter aggressa est, at vbi Sacerdos turpe facinus ex egestate ortum intelligit, nummis egenam subleuat, & suæ consulit, & alienæ castitati. Ciuium honestorum cœtus decus antiquum retinet, maioraque in dies accipit incrementa. Sodales sunt senatores regij, qui vna cum reliquis eiusdem Sodalitij viris, post concionem, cum dominicis diebus omnes intersunt, nosocomia lustrant, vbi Christianæ summissionis, & caritatis munia certatim obeunt.

Sacerdos vnus ex nostris nullum non lapidem mouerat, vt Indi vxorem à turpitudine ad honestatem traduceret: frustra tamen, illa enim contempto Sacerdotis consilio, diuortium summa ope facere conabatur, & vt res bellè procederet, probam mulierem adit, rogatque, vt se piam aliquam rationem edoceat, qua à Deo impetret, quod tantopere exoptat. Annuit mulier, & vt Diuæ Vrsulæ & Sociarum opem imploret, Indam hortatur. Nec enim inquit, patrocinium tantarum Virginum defuturum est tibi, dum eo contend-

tendas animo, vt vitam meliorem inſtituas; contra vero capitali te plectendam ſupplicio, ſi id liberioris vitæ cupiditate moliaris. Acquieuit Inda piæ feminæ conſilio pio, & res ſucceſſit. Fluxu tamen temporis, vbi ſe vidit liberam viro, pacti immemor, conſiliorumque, quibus illam ad honeſte viuendum noſter ſacerdos erudierat, in omne flagitium ſe præcipitem egit. At non diutius diſtulit Deus diuinam vindictam; poſtero enim anno eodem ſanctarum virginum die fruſtratim fœtum effudit, octauo ceſſit è vita. Reſpuerat alius ſalutares noſtrorum voces eius ſaluti conſulentium, quem cum lætalis corripuiſſet morbus, illum noſter inuiſit, ſeque in eius animum prudenter inſinuans pellicem domo eiicit, monetque vt ſacramentis ſe ad extremum, quod imminebat, certamen communiret. Contra dæmon pellicis induens aſpectum (quam, etſi domo, forſan non pepulerat corde) moribundum aggreditur, vexat, exagitat, nec reſpirare ſinit, nec in lectulo conquieſcere. Quid tandem? breui miſer emoritur, vixque animam efflarat, cum repente tota domus concuſſa eſt, tantuſque omnibus terror iniectus, vt quanta maxima celeritate poſſent, certatim effugerent.

Alivs abutebatur aliena vxore, & vt tutius id poſſet, de tollendo marito cum conſorte egerat, ter tamen audita voce illum à concepto flagitio reuocante, noſtram domum perterritus aduolat, Sacerdotis noſtri conſilio melioris vitæ genus inſtituit. Quidam, vt iuges angores animi ex ſcelerum conſcientia manantes depelleret, monitus fuerat, vt quam plurima poſſet ſacra reuerenter audiret. Fecit: & cum vno die decem audiſſet, ea lux eius

animo

animo oborta eſt, vt confeſtim domum noſtram accurrerit, vbi ad confeſſarij pedes mentem turbidã, eiectis inde criminum ſordibus, ſerenauit. Parem animi tranquillitatem conſequutus eſt alius, qui miſere vexabatur à dæmone, vbi noſtrorum monitu animi maculas confeſſione deleuit. In quodam oppido noſtri Sacerdotis induſtria effectum eſt, vt oppidi præfectus ſumma oppidanorum conſenſione crearetur, quod loco miraculi vniuerſi prædicant: quippe retroactis nunquam viſum temporibus.

QVIDAM quadrageſimum annum volutatus in flagitiorum cœno, cum in lætalem incidiſſet morbum, abreptus eſt in tartarea loca, vbi torqueri grauiſſimis cruciatibus, ſibique ardentes ſubijci flammas animaduertit. At cum præ doloris ſenſu atrociter proclamare cœpiſſet, ſilentium indictum eſt, & vt bono ſit animo iuſſum. Nec enim diutius ibi manendum, (qui aderant, aiunt) ſed eo perductum, vt tormenta, quæ poſt hanc vitam flagitioſe viuentes manent, attente conſideret. His itaque viſis auditiſque, vt ad ſe perditiſſimus homo rediit, terreri quidem vehementer potuit; à flagitioſa tamen, quam viuebat, vita abſterriri non potuit. At poſtquam noſtrum concionatorem audit, ita eſt deterritus, vt eidem rem omnem detulerit, peccatàque à primis annis admiſſa detexerit. Alius vario ſpectrorum viſu viuebat anxius, ſicque vexabatur ab immundo ſpiritu, vt nullus, vel cibi, vel ſomnij locus daretur. Cum vellet coronam precatoriam percurrere, tanto ſopore premebatur, vt ſacri globuli exciderent manibus, & cum manus pium ad opus extendere conaretur, minime leuare, niſi læuam poſſet:

poſſet: nec tamen curabat miſer ſceleribus exonerare animum, vnde tantus illi torpor haud dubie emanabat. Putabat enim de animi ſalute proclamatum. Hic ergo dum curioſitate quadam accedit ad audiendum concionatorem noſtrum, de diuina in homines benignitate diſſerentem, ſic excitatus eſt ad ſpem diuinæ clementiæ, tantamque vim adhibitam animo ſenſit, vt retroactam vitam retexere firmiter ſtatuerit, quod vbi fecit, & conſcientiam exonerauit, omnibus terriculamentis expeditus eſt.

Alio in oppido pueri catechiſmo imbuti, cuius nec nomen quidem audierant. Qui ad ſacram menſam nunquam acceſſerant, vt reuerenter accederent, inſtructi monitique, in quibus & monialis Inda ex Diaboli cœnobio, cuius nominis origo hæc eſt. Vir è capitibus vrbis, aliquot Indas forma elegantiores quæſierat, & incluſas habebat certo domicilio, quibus ipſe cum fratre, ſororiſque filio, ad flagitioſam voluptatem vtebantur: eaſq; tanto ſtudio cuſtodiendas curabat, vt domus foribus ianitorem præficeret, qui nec illas egredi, & ad eas ingredi neminem pateretur. Hinc ergo ſcortorum hæc domus, diaboli cœnobiũ non immerito dicebatur. Voce tamen diuini verbi tonante, tota eius cœnobij ſiue flagitiorum machina corruit. Quidam ab alio inſignem, etiam inflicto vulnere, acceperat iniuriam; itaque ſic in vindictam exarſerat, vt nulla cuiuſquam autoritate adduci poſſet ad pacem: ſed poſtremo concionatoris noſtri voce adeo mentem mutauit, vt dolorem ſuum Chriſto Domino condonarit, eoque non contentus, protinus inimicum adierit, vltroque veniam non petenti dederit, ſtricteque complex-

atus sit. Ex hoc oppido Calotum noster se contulit, vt illius Regionis Indos, qui in maxima rerum diuinarum ignoratione versabantur, Christianis documentis erudiret. Inter quos est constans fama B. Virginem circumfusam splendore maximo sæpenumero apparuisse, & indigenis magnum incussisse terrorem: omnes vicini pagi peccatorum nexu liberati. Inductus Rosariorum vsus, & pius in Deiparam cultus; concionibus adeo permoti nonnunquam auditorum animi, vt palam aperirent delicta, & à concionatore accommoda necessitati remedia flagitarent. Prima luce, seque intendentibus tenebris, maximus ad templum catechismi causa concursus.

PORTENTOSÆ Indorum compotationes, cum pijs auditarum rerum collationibus permutatę. Illud vero non parum nostris conciliauit barbarorum animos, quod cum nostri nullis laboribus pro eorum vtilitate parcerent; ab ipsis tamen nihil acciperent, vltro licet summisque precibus offerretur. à veneficio absterriti duo, & superstitionis instrumenta spectante populo igni mandata. Multi præterea de totius vitæ peccatis auditi: nec defuit frequens voluntariæ verberationis vsus: denique, nostrorum aduentum magna vbique consecuta permutatio morum. Cum in vrbem regrederentur, indigenarum sodalitatem placuit inuisere, quam olim nostri Miræ (diœcesis oppidum est) extructam, Sanctissimo IESV nomini consecrarunt. Hæc autem adeo instituti tenax reperta est, vt nullo hortante, festum circumcisionis diem quotannis solemniter egerint, nosocomia adierint, in se voluntarijs verberibus sæpe sæuierint. Quod in gente natura leui, nec alte iactis in religione

gione fundamentis, præclarum eſt. Tanta vero vtilitas ex hac miſſione illis Regionibus allata eſt, vt noſtrorum diſceſſum iniquiſſimè tulerint, & communibus votis repeti optent, orentque in ſingulos annos.

COLLEGIVM S. LVDOVICI.

SEMINARIVM eſt in eadem vrbe inſtitutum informandæ iuuentuti, quadraginta nunc alumni numerati, qui a tribus è noſtris edocentur, atque educantur. Creſcit indies eorum fama cum diſciplina, & ſcientia; hinc in noſtram Societatem, inque alios Religioſorum cœtus nonnulli tranſierunt: hinc etiam diœceſis Parochi potiſſimum deliguntur, & in Eccleſiaſticis muneribus, beneficijſque mandandis facile alijs præferuntur.

COLLEGIVM S. IACOBI SILENSIS REGNI.

HIc annus non minus fœdus bellicis tumultibus, quam ſuperior fuit. Duorum Sacerdotum, qui Regni Gubernatoris poſtulatu, cum eodem proſequuti ſunt Hiſpanorum caſtra, nec inutilis labor, nec obſcurus fuit. Aduerſus enim militarē licentiam pugnatū eſt acriter; trinæ hebdomada qualibet ad milites cohortationes habitæ. Sub ſacrum quotidie moniti, vt vno in loco omnes coacti, quæ cogitaturi, locuturi, acturique eſſent, eo-

dem die vouerent Deo, antequam rebus se militaribus implicarent. Ab eisdem etiam sancita lex, vt qui in castris non temperaret iuramentis, piaculum in multorum conspectu acri succensione deleret. Hinc ortum, vt qui antea crebris iuramentis, & impudicis sæpe sermonibus castas Sacerdotum aures offendere non timebant, ea nunc vel inter se proferre summopere vereantur. Quidam è Principibus viris fraternam cædem, occisoris interitu vlcisci cogitabat, & vt explere animum facilius posset, plures cogitati flagitij consortes aduocarat: hunc tamen, Sacerdos noster, cùm prandium cum eodem fortasse sumeret, sic deliniit sermonis suauitate, vt magna lætitia, & gratulatione omnium, destinatæ cædis consilium abiecerit.

Ex litteris. P. Gabrielis à Vega accepi quæ sequuntur. Diuinam (inquit) hostiam obtuli Deo, vt eius ope Christiana quædam Inda barbaras Indi manus effugeret, qui insano eius amore perflagrabat, & res quidem ex voto successit. Deo enim bene iuuante quadam die elusit femina barbarum, & celeri fuga honestati consulens, ad Christianorum arcem se contulit; at vbi rem cæcus amator rescíuit, ferre non valens Indæ desiderium (vt erat inter indigenas potens) protinus ex vicinis locis numerosum conflat exercitum, & incredibili celeritate ad Hispanorum peruenit arcem, vbi Indam attineri cognouerat. Accedit ergo vnde audire ab Hispanis facile poterat, & impetrato silentio, aduentus causam exponit, & si suis illi concedant votis, sine strage reditum pollicetur. Ab Hispanis tamen reiectus bellicas mox machinas admouet, & tres continenter horas arcem oppugnat, at vbi suos

ſuos conatus irritos videt, & nullum patere expugnationis locum, mutata mente ſagittas pharetris condit, receptui canit, & compoſita cum Hiſpanis pace diſcedit. Viſum tamen Chriſtianorum non nemini, vt initum amicitiæ fœdus foret diuturnius, Indam barbaro tradi, cuius amicitia poſteris valere plurimum poſſet. At illa certior facta conſilij, noſtrum confeſtim Sacerdotem conſulit, & ab eo ſaluberrimis inſtructa præceptis, virili quadam conſtantia Indi conſortium reiecit, niſi prius ſacro fonte luſtratus, eam Chriſtianorum ritu vxorem ducendam promitteret. Et licet conditio irrita ad traducendum barbarum ducem ad Chriſtianorum caſtra, non tamen ad deterrendum à nefario incœpto.

Sed redeo ad vrbem, & quæ à noſtris in ea geſta ſunt claudam narratione miraculi, quod in magnam cuiuſdam virginis vtilitatem B. Pater noſter Ignatius perpetrauit Facti ſeries ſic habet: eſt in hac vrbe virgo Catharina Moralis nomine honeſta in primis, & ſincera in Deum pietate excellens, piis iuxta, ac nobilibus orta parentibus, nec non de noſtra Societate optime meritis. Hæc cum mirabilem Parentis noſtri vitam, præclaraque illius facta ſemel legiſſet, tanto eum ſtudio colere, ac venerari cœpit, vt illi ſe totam crederet, & virginitatem perpetuo conſeruandam commendaret. Accidit decurſu temporis, vt Nonis Maij fœdis vlceribus virgineum corpus repleretur, quibus adeo grauiter vexabatur, vt cum lecto iaceret, nullum in latus volui ſine maximo dolore poſſet. Tentauit ſæpe humana remedia, & acerba quidem. quæ cum ab alio adhiberi deberent, ſuis ipſa manibus applicabat, ne aliquid de modeſtia

virginali detraheret. Malum itaque maiora indies incrementa capiebat, monebāt illam quotidie parens, & parentis soror, vt à Chirurgo videri se, curarique sineret, nec vitam propriis manibus eriperet sibi: sed incassum preces. Malebat enim honestissima virgo apertum ipsius vitæ adire periculum sine honestatis iactura, quam ea periclitante recuperare salutem.

PAVCOS tamen post dies vi morbi in eas angustias deducta est, vt actum de se plane intelligeret, nisi maternis monitis acquiesceret. Quare ne vitæ authorē offenderet, si voluntaria occumberet nece: Religione potius, quam desiderio vitæ victas dare manus decernit, ea tamen conditione, vt non nisi prouectæ ætatis Chirurgum adhibeant. Legerat tamen eo fortasse die præclara illa miracula, quæ annis superioribus Beati Ignatij meritis Gandiæ, Deus optimus maximus perpetrauit, & licet se totam Ignatio eius diei vespere de more commendarat, tamen cùm Parenti annuit, vt vocaretur Chirurgus, eidem supplex feruentiores preces iunctas lacrymis fudit; obnixè rogans, vt qui tanta in multorum bonum miracula ediderat, se miseram nunc benigno respiciat lumine, quam semper sibi deditissimam vidit: Idque solum suis contendit precibus, vt illis tantum vlcerosis partibus, quæ Chirurgi desiderabant manus diuinitùs medeatur, aliis vel ad supremum relictis diem, quibus medicina posset propriis manibus adhiberi. Quod si voti compos euadat, nouem continenter dies frequentare Societatis ædem, ieiunia colere, tribuere in pauperes eleemosynas pollicetur. Mirum dictu, & quod humanam superat fidem, vix votum, precesque fuderat, cum blando sopore

corri-

corripitur; quo media nocte discusso, nitens in sinistrum latus se vertere, corpus, vt libuit, nullo negocio deflexit, quod paucis ante horis sine magno doloris sensu non poterat.

STVPEFACTA Virgo haud dubio miraculo, lætabunda diuino numini gratulatur, & simul acclamat matrem, feminasque domesticas. Accurrunt illæ nouæ lætitiæ causam quæsituræ, & inducunt accensa lumina, quæ petierat ægra. Tunc illa affecta membra, diu multumque diligenter contemplatur. Sed (quæ Divorum est bonitas) eorum vlcerum nec vnum reperit, quorum sanitatem à B. Ignatio supplex popoſcerat. Aliorum tamen desiderauit nullum, ita vt Catharinæ preces effectum omnino, vti optauerat, sortitæ sint. Confestim ergo magna voce miraculum ingeminat, nec finem facit agendi benefactori grates. Postridie igitur manè è lectulo surrexit, eodemque die ipsa, & parens, & parentis soror, & consobrina, (quæ omnes facti seriem testificatæ sunt, paratæ, si opus sit, testimonium munire iuramento) ad nostrum templum incredibili perfusæ gaudio conuolarunt, gratias ibi Deo optimo maximo, Ignatioque pro accepto beneficio prolixiores acturæ; nec inde discessere prius, quàm confessione animos expiassent, & cælestis agni epulis expastæ essent. Miraculi verò narrationi, cum illud nostri Rectori Collegij narrarent, hoc addiderunt; vel ex eo nullum locum relinqui de miraculo dubitandi, quòd cum in eadem domo, eodem morbi genere diutius quidem, ac leuius alia femina premeretur, nec minora depellendis vlceribus medicamina tentauisset, nunquam tamen vis morbi remisisset, nec

ſpes vlla inpoſterum eius remittendi oſtenderetur. Virginis porro ſalus, ita diuinitus reſtituta procedit.

SEDES IVLIENSIS.

NOSTRORVM in hac ſede perpetuus labor, cum maxima Societatis exiſtimatione haud obſcurus fuit; præter eum enim, quem Indorum vtilitati octo continenter impendunt, tanto ſtudió, ac diligentia Parochorum munere in quatuor Parœciis funguntur, vt ceteris animarum rectoribus vna omnium voce habeantur exemplo. Graſſante peſtilentia eorum charitas hoc anno maximè enituit; adeo enim ſæuiit, vt per omnes indigenarum familias, nec ſexus, nec ætas periculo vacua eſſet. Noſtri vero in tanta morborum ſæuitia, cum nec Parenti filius, neque filio parens ſubueniret, dies noctéſque morbidis aſſidebant, eorum animis, corporibuſque opportunam opem ferentes, quamuis, dum toti eſſent in auxilio proximorum, eiuſdem morbi contagio laborarint duo, quorum alteri valetudinem reſtituit Deus, alterum ad ſe euocauit. Is fuit Pater Michael Paſtor, ſextum & trigeſimum agens ætatis annum, in Societate decimum ſextum, in hac Prouincia ſeptimum commoratus. In Collegio Limenſi, cum præfectus ſtudiorum inferiorum eſſet, humaniores ſimul litteras noſtros, earum ſtudioſos, in ſeminario cum magna approbatione docuit; noſtris videlicet diſcipulis, & externis vnice carus. Tandem in Iulienſem hanc ſedem tribus abhinc annis miſſo, etſi Regionis linguæ addiſcendæ labor, & Indorum con-

conuerſatio haud modicum faſtidium adferrent: tamen vt cum illis agere cœpit, & ſuaues eorum expertus eſt mores, non minori cum voluptate faſtidium maximum, deo iuuante permutauit. Tanto autem ſtudio ad perdiſcendam Iulienſem linguam animum appulit, vt eam ad confeſſiones audiendas, habendaſque conciones breui tempore percalluerit.

PAROECIÆ deinde numeroſiori præficitur, cui adeo ſtrenue nauauit operam, vt niſi concionans, aut Sanctorum exempla Indicè vertens vix vnquam reperiretur. Qua diligentia ſex præclaros concionum, aliarumque rerum codices ſcriptos reliquit, incredibili poſteris vtilitati futuros. Tam erat indigenis charus, vt ſuas illi, vti parenti res crederent, & maior populi pars peccata ei confiteretur. Secundo ſui muneris anno ineunte, quadragenario ieiunio ſcripſit ſe iam mille ſupra quingentas confeſſiones excepiſſe, & adhuc ſuæ parœciæ operam non dediſſe. Hoc denique anno cum frequenter morbidis aſſideret, & aduerſam eorum valetudinem omnibus charitatis officiis ſubleuaret, peſtilentem morbum contraxit. generali ergo confeſſione præmiſſa, diuino inſtructus viatico, ſacroque inunctus oleo, non contemnendis perfunctus laboribus, ad percipiendum eorum fructum, in cælum, vt confidimus, emigrauit. Eius obitum tantus indigenarum clamor conſequutus eſt, vt cum lugubri campanarum pulſu certaret, dumque emortuo iuſta de more ſoluerentur, tantis Indorum ſingultibus templum perſonabat, vt vix funebres cantorum voces audirentur. Talibus quippe gaudiis diuina ſæpe bonitas eos obruit, quibus potior fuit animarum ſalus,

quam

quam terrestium copia gaudiorum. His enim cum nostris Iulienses omnino careant, eorum animi incredibili lætitiæ voluptate perpetuò perfunduntur; adeo vt hæc sedes, lætitiæ domicilium à nostris non immerito nuncupetur. Vix enim alios reperi, cum lustrarem Prouinciam, qui pari gaudio ardorem diei, & æstum portarent. Omnes inuicē, sociorum exemplis strenue laborantium, ad laborem inflammantur.

QVIDAM dies plures triginta iacuerat affixus lecto, podagra laborans, cumque dolor maximus nunquam remitteret, nunquam tamen ipse labore destitit; sed cum pedes ad templum ire non posset, aut indigenarum humeris, aut fell[illegible] vehebatur, vbi confessionibus audiendis assidue laborabat. Alius etiam haud leuius ægrotans, nec illo vti leuamento poterat, vt expleret animum pro Christo plurimum laborandi, (sed quas non vincit difficultates amor?) rogat ergo adduci ad se omnes, qui peccata vellent confessione delere, quibus ille in lectulo iacens aures libentissime commodabat. Instituta hoc anno ex his, qui virtutem studiosius colunt, Indorum Sodalitas, quæ dulcissimo IESV nomine, & patrocinio gaudet. Cum Sodales diem circumcisioni sacrum solemniter agerent, sacram omnes post expiationem animorum synaxim adierunt, & re diuina peracta, non minus pia, quā iucunda supplicatio sequuta. Celebritatem auxit illustris Gomeræ comes huius Prouinciæ moderator, alijque Religiosi, ac sæculares viri, qui spectaculo attoniti, indigenarum pietatem, sedulam nostrorum in illis instituendis operam prolixe commendarunt.

CVM Inda quædam victū quæsitura, ex hoc oppido

do in vicinum pergeret, casu incidit in frequentem Indorum coronam, qui sacrilego ritu operam dabant Idolorum cultui, quos vt vidit, diuino afflatu perculsa, in nefarios ritus inuecta, admissum in Deum scelus apposita oratione posuit ob oculos: & cum parum profici verbis cerneret, arreptam crucem in sublime tollens, tanta animi contentione dixit, vt sacrificos coëgerit in genuá procumbere, & à Deo sacrilegij veniam supplices postulare. Eadem cum victu comparato domum repeteret, in alio populo celeberrimam compotationem subodorata, quæ solemni symphoniæ cantu celebrabatur, continere animum non potuit, quin potatores, si posset, ab immani ingurgitatione deterreret. Implorata igitur diuina ope, eos adorta vehementer increpat: facti turpitudinem exponit, minas offensi numinis intentat: denique non prius desistit quàm abiectis poculis, in templum omnes secū deduceret, acturos ibi innumeras Deo grates, quod illos ex tanto animarū periculo liberasset. Indarum constantia in seruanda castitate, roboratur in dies magis magisque, cùm nec muneribus, nec blanditiis, nec terroribus expugnentur, licet sæpius oppugnatæ. Quidam, cui à duodecim iam annis nullus erat membrorum vsus, adeo vt lectulo affixus, inde moueri nullo pacto posset, visus est per quietem plures videre ad se ingredientes, qui benigno ipsum respicientes lumine, hortati sunt, vt, si diutino morbo liberari quantocius vellet, Deiparę opem imploraret: tum æger amicorum esse consilium ratus, vt ad pristinos sensus rediit, piis clamoribus sanctissimam virginem supplex appellat: & ecce illico suauissimam excipit vocem (quam Deiparæ fuisse credidit

dit probabili coniectura) iubentis, vt depulso morbo de cubili surgeret; statimque melius habere cœpit, & breui omnino conualuit.

SEDES TVCVMANA.

SOLEMNES à nostris expeditiones susceptæ, cursum suum pari cum fructu tenuerunt hoc anno. Qui in id opus in Tucumano ex nostris incumbunt, ad Sancti Iacobi vniuersi conuenerunt: vbi antequam ad laborandum in vinea in varias partes mitterentur, per duos menses ab exercitationibus Beati Patris Nostri Ignatij viaticum sibi compararunt. Deinde maiori animo, quam viribus excursiones, asperitate viarum, annonæ caritate, magnitudine frigorum valde difficiles suscepere. Sed laboribus quidem magnis, magni quoque fructus collecti. Itaque is Pater, qui ceteris præest, & cum illo frater vnus in eos populos excurrerunt, quâ Dulce flumen in magnas quasdam paludes, non vltra progressurum decurrit, & quidem faustis initijs: siquidem in primo, quem adiere, populo, omnium incolarum labes confessione detersæ. Inde Tuamam iter arreptum, & licet non omnes, quia non licebat per tempus, plures tamen animi maculis expiati. Hinc Tepitum, cuius incolæ belli gloria, & virtute ceteros Indos huius Prouinciæ superant; & quamuis eorum Sacerdos non semel hortatus sit nostros, ne cum illis barbaris frustra de salutis rebus agerent, quippe verba eiusmodi alienis mentibus, surdisque auribus exceptum iri: hi tamen authore Deo rem arduam, atque difficilem aggressi sunt, adeoque feliciter

liciter confecerunt, vt omnes omnium ordinum, atque ætatum ad catechesim, ad conciones, ad confessionem, adeoque ad acrem sui diuerberationem cursitantes, ad templum quotidie ventitarent. Quæ res, vt elapsis nunquam visa temporibus, incredibili Parochum admiratione compleuit.

ALIO in oppido, vbi de nostrorum aduentu percrebuit, omnes incolæ ad eos certatim accurrerunt: exposita mane vespereqne Christianæ Religionis capita; ad confessionem instructi maiores natu, & de peccatis auditi. Res diuinas tanta auiditate arripiebant omnes, vt illis audiendis nocti diem optarent coniungi. Et quidem diurnus nostrorum labor, nocturno sæpe coniunctus. Non procul ab oppido villa sita est, vbi senes tantum, anusque degunt quod superat vitæ; cum defecti iam viribus, vsui esse ciuitati non possint. His quoque nostrorum charitas opem, quam illorum necessitas postulabat, tulit; opportuna enim consolatione leuati, atque ad debitũ naturæ Christiastianè soluendum sunt instructi; aures item confitentibus commodatæ. Ibi Salsi fluminis accola nostro Sacerdoti confessus, eidem non sine lacrymis & gemitibus retulit, quàm grauiter sui conciues nostrorum desiderium ferrent, quantisque votis aduentum exoptarent. Sed messis quidem multa, operarij autem pauci. Multa præterea oppida adita, quorum vltimum quadraginta leucis distat ab vrbe, vnde nostri primum profecti. In his expunxerunt rationes veteris vitæ, plures nonaginta supra mille, è quibus multi ex adiacentibus pagis perfrigida tempestate, flumina nonunquam nudi traijcientes, expiaturi animos ad nostros conuolarunt. Et fuit, qui triduo nihil cibi, nihil somni sum-

ſumpſerit, donec peccatorum iugo animam exoneraſſet: Binæ etiam anus, quæ prorſus oculorum, & pænè etiam aurium ſenſu carebant, de peccatis, tametſi perdifficulter, auditæ.

QVÆDAM verò, quam ſcelera Sacerdoti detegere perpudebat, viſa ſibi eſt per quietem videre duos è noſtris, à quibus trahebatur in templum, monebaturque, vt animi turpitudinem confeſſione abſtergeret: ſopore igitur diſcuſſo, ad noſtrum Sacerdotem accurrit, ad cuius pedes ſarcinam peccatorum depoſuit. Variis in locis quidam ſalutari fonte luſtrati; legitimis nuptiis copulati non pauci. Aduerſæ etiam multorum valetudini omni ope conſultum, & eorum quidem, qui cum eo laborarent morbo, à quo maxime natura eſt abhorrens, vix reperiebant, qui eos debitis charitatis officiis ſubleuaret. Præ aliis tamen, Malqueziis, Queloziiſque ſubuentum; in quibus plures reperti diuinarum rerum cognitione penitus deſtituti, adeoque formandæ ſanctę crucis prorſus ignari. Incolunt hi magnarum paludum, quas meminimus, ripas, adhuc rigente hyeme fœdas culicum examinibus, & tamen incolæ moleſtam hanc Ægyptiorum plagã haud multum ſanè moleſtè ferunt, diuturna ſcilicet conſuetudine dolori callum obducente. Tributa ſoluunt ardearum aucupio, quarum veſcuntur pullis, & aquis ſalſis vtuntur. Ita denique imitantur aquatilium ritus, vt paluſtres potius volucres, quam homines videantur.

IN retinenda Chriſtiana Religione ſemel accepta, in his indigenis cònſtantia ſingularis eſt viſa, quam vel vno exemplo notare operæpretium duxi. Inda quædam ſeptem alebat filias, quas adeo honeſtis

honeſtis moribus educauerat, vt conferri non immerito poſſet cum Romanis matribus; hæc ſummis precibus à noſtro Sacerdote communicandi poteſtatem petiit, quando nec viuendo, nec alterius, quam legitimi viri conſuetudine, ex quo ſacro fonte luſtrata eſſet, temperantiæ præteriiſſet fines. Facta igitur voti compos, & licet defecta iam viribus, ſenioque grauis, matutinum eius diei tempus, quo ad ſacram menſam acceſſit, nixa genibus poſuit in precibus. Aduentantibus noſtris, variis ex opidis ſub crucis ſigno, occurrebant paſſim agmina canentium Chriſtiana rudimenta. Quos noſtri eadem viciſſim canentes, ad templum vario herbarum, ac florum genere ornatū pedites ſequebantur: precatoriam omnes coronam geſtant è collo: ter hebdomada voluntariis flagris corpora domant. Dici vix poteſt quantam lætitiæ voluptatem caperent, cum Chriſtianæ fidei myſteria vernacula lingua docerentur à noſtris. Id enim iucunda admurmuratione, lætoque plauſu, quibus effuſa vulgi lætitia aperiri ſolet, præ gaudio geſtientes ſæpe ſignificarunt. Quæ ſequuntur tamen, peculiarem ſibi narrationem vendicant.

INDA, quæ olim Patri Barzanæ totius vitæ labes aperuerat, cum vita exceſſiſſe cognouit, ad eum vti cælicolam aſſiduas pie fundebat preces, quibus ſe tanto indigenarum parenti commendabat. Quare cum in periculoſum incidiſſet morbum, eius opem præſentiſſimam ſenſit. Illum enim hilari vultu, eiſdem, quibus nos indutum veſtibus, è cælo labentem attonita vidit: qui ægrotæ aſſidens, leniter reprehendit, quod poſt generalem peccatorum expiationem apud ſe factam, e-

gressa esset bibendo temperantię fines: deinde peramanter monuit, vt ad bonam se frugem reciperet: Ideo enim visum est, inquiebat, Deo differre obitum, vt rationem veteris vitæ expungeres, melioremque deinceps ordirere. Nec visum caruit euentu, breui enim ægra conualuit, & nunc vitam, vti monita est, honestam colit. Hispanus quidam, cum duo exempla eorum, qui lætalia crimina sacrilegè in confessione celarunt, à nostro concionatore audiret, tantis conscientiæ stimulis agitari cœpit, vt tranquillitatis portum inuenire minimè potuerit; donec totius vitæ maculas, quarum aliquæ diu male tectæ latuerant, nostro Sacerdoti detexisset. Confessiones denique omnes in hac excursione exceptæ, fuerunt duo millia nonagnita septem, in quibus generales plures quingentis.

HAVD minus vberes interim fructus percepti ab iis Patribus, qui Tulium Prouinciam, quæ ipsis obtigerat, peragrarunt. Hi populi olim à Patre Barzana sacro fonte lustrati, septemdecim iam annos Sacerdote omnino caruerant; quare vel iam diu, vel nunquam, animi sordes confessione deterserant: sed Barzanæ, vt credo, precibus reperti permulti, qui lætale in Deum facinus nunquam admiserant; & licet senio pæne confecti, minuta multorum annorum crimina, nodis quibusdam memoriæ causa in fune factis, adeo presse confessario aperiebant, vt nihil vltra vel à Religiosis hominibus desiderari posset. Quinque fere menses in hac excursione positi; quo tempore sex supra viginti indigenarum lustrata oppida, à quibus nostri summis amoris, ac lætitiæ significationibus semper excepti, effusis nonnunquam obuiam

uiam populis vniuersis. Qui omnes non modo catechismo, ac concionibus instructi, sed etiam confessionibus expiati, abluti salutaribus vndis, in quibus sexagenarii, octogenarij, imo & centenarius fuit; nefaria etiam connubia dirempta, & incestæ nuptiæ legitimis permutatæ. Labor porro in his locis propè incredibilis fuit. Asperis enim, & scopulosis viis inter cautes, & rupes, per antra, & speluncas sæpe incedendum, aut potius reptandum fuit, egregiis animarum venatoribus, vt eos indigenas venarentur Deo, quos & rerum diuinarum ignorantia, & incredibilis locorum asperitas efferauerat: vulgato tamen inter eos nostrorum aduentu, ne senex, ne anus quidem fuit, qui ad nostros confestim non è latebris exilirent, vt imbuerentur Christianis institutis, & peccatorum nexibus soluerentur. Excipiam tamen aliqua de communibus.

INDIGENAM exhalantem iam animam frequens Indorum corona solemni fletu prosequebatur, resque ad sepulturam parabantur; contigit interim, ita diuino numine prouidente, vt nostri vix oppidum ingressi flebilem concentum exciperent: qui cognita complorationis causa, cursitantes petunt moribundi domum, cui amissam iam vocem restituunt opportuno leuamine: is vero tanto beneficio lætus, peccata rite confessus, sacroque inunctus oleo obdormiit, vt sperare licet, in domino. Viri principis vxor sic manibus, ac pedibus capta, vt nec baculo innixa incedere, nec cubare in lectulo posset, cum certam sacri agni Beatique Patris nostri Ignatij effigiem à nostris accepisset, ac supplex venerata esset, eam noctem sine dolore

traduxit, & postero die pedes in templum iter fecit. Eandem cum breui postea dolores partus in maximas angustias adducerent, B. Ignatij effigie vtero admota, sine obstetrice fœtum effudit incolumem. Cum nostri semel ignari viæ, in lutosa incidissent loca, vitari non potuit, quin equorum vestigia non sine Dei prouidentia impressa luto relinquerentur. Nam cùm postero die integer indigenarum populus conuenirent, mira sagacitate nostrum aduentum ex equorum vestigiis deprehenderunt, quos cum diligenter perquisiuissent, incredibili vtrùmque gaudio in vicino populo repererunt, à quibus de salutis rebus, quantum licuit instrúcti, baptizati, de peccatis auditi.

INDI duo quodam ex oppido, alterius incolas ad solemnem compotationem tuba canentes semel inuitarunt, at nostri audito tubarum sonitu tubicines vocant, blandè alloquuntur, suadent meliora consilia, vt ad suum ipsos oppidum ducant, persuadent. Cum præter spem homines sola fama cogniti ab incolis viderentur, admirationis primum, magnæ deinde gratulationis materiam ministrarunt. Nec enim oppidani concionatores verbi diuini, sed vini potatores expectabant: illorum vero saluti tanto studio à nostris consultum, vt indigenæ ægre discessum tulerint, quod vberrimæ testatæ sunt lacrymæ, quibus discedentes sunt prosecuti. Cum lustratâ Prouincia in vrbem regrederentur, occurrit illis obuiam Curaca inter indigenas potens, cum vniuersis suæ ditionis hominibus, quasi ad prælium paratis, qui cum iam diu inter se dissedissent, nostrorum tandem monitis redierunt ad pacem.

QVI-

QVIDAM cum morti proximus nostro Sacerdoti confiteretur, enixe contendit, vt peccata omnia quæ in confessione audierat, cunctis indigenis patefaceret. Hic in veneris consuetudinem adeo se intruserat, vt nulla ratione posset ad honestatem traduci. Quocunque pergeret, fomes flagitiosæ voluptatis pellex hærebat, nec diuelli à latere patiebatur, quam secum sex ipsos annos circum duxerat. Sed cum semel vna cum turpi comite iter ageret, nec longè ab oppido præter crucem forsan transiret, flexit, vt mos est Christianorum, eamque veneratus est: nec in cassum pietas fuit, continuo enim peruicacem eius animum sic diuina vis flexit, vt pellici miserè lacrymanti nuntium remiserit, eius in posterum consuetudine nunquam vsurus: Procumbit deinde solus in genua, seque ad sanguinem acri verberatione castigat. Surgit mox, & incœptum ad sancti Michaëlis iter persequitur, ad nostri Sacerdotis pedes depositurus sarcinam peccatorum. Haud multum tamen Indus processerat, cum oculos in alteram partem diuertens, pellicem, quam à se paulo ante reiecerat, pexo crine, & elegantiori solito specie non procul aspexit. At diabolicam suspicatus fraudem, ad diuina confugit arma, & crucem, quæ ex precatoriis pendebat globulis, obiiciens oculis dæmonis, pellicem simulantis, eum trusit ad tartara. Tunc innumeris Deo gratiis peractis ad nostrum Sacerdotum accurrit, expiat sceleribus animum, Christi corpore se reficit, & quasi ad mortem munit. Nam octauo post die ad meliorem, vt spes est, vitam demigrauit.

EFFECTVM etiam nostrorum opera, vt maxime

ximæ molis trabs variis serpentum, anguiumque figuris vndique variata, quam indigenæ superstitiose colebant, spectante populo cremaretur, in cuiús locum suffecta crux est spectabilis pulchritudinis. Instructi etiam indigenæ, vt defunctorum cadauera, Christianorum more, certis sepelirent locis, auitis antehac superstitionibus humare soliti. Superest, vt de missione in Sanctæ Crucis, multis piorum votis expetita, nonnihil perstringam. Hanc suscepit Pater Emanuel Ortega cum Patre Maieli Lorençana, & in ea tribus mensibus vterque versati, ab Episcopo, Gubernatoreque perhumaniter excepti, à quibus acceperunt litteras amoris, & beneuolentiæ plenas, quibus quantopere ciuitatem voti compotem factam gauderent, satis superque significabant. Tota igitur ciuitas, quæ intestinis iam diu flagrabat odiis, pacem nostris authoribus coluit, & omnium mores in melius mutati: inductus frequens sacramentorum vsus, & licet concionibus, quantum opus fuit, Hispanis subuentum, ex quibus non contemnendus fructus perceptus; maiori tamen studio Indis consultum, quippe gens nostrorum opis maxime indiga. Ex illis octingenti de peccatis auditi.


Hac etiam in vrbe Beati Patris nostri Ignatij sanctitas, & benignitas erga sui studiosos, nec frustra, nec semel eluxit. Ægrotus quidam audita miraculorum narratione, quibus Deus optimus maximus miram Ignatij sanctimoniam indies vbique testatur, enixe petiit à nostris eius effigiem, quam cum aliquo temporis spatio apud se habuisset, nec vim morbi vllatenus remitti sensisset, nostris, à quibus eum acceperat, remittendam

dam ſtatuerat: ſed eius conſilio pia vxor occurrit, obſtititque, quo minus nulla ope præſtita remitteretur, rogauitque maritum vt tantiſper adhuc eam retineret cuius precibus æger adductus effigiem ea nocte domi retinuit, & magno quidem ſuo commodo, cum enim antea nullam quietis partem capere poſſet, nunc demum illam noctem quieuit, & poſtero die mane melius habere cœpit, breuique omnino conualuit. Quare quantas poteſt maximas Ignatio gratias agere non deſiſtit, cui ſanitatem ſibi diuinitus reſtitutam plane tribuit. Eadem effigies diuturnum aurium dolorem ab alio depulit, vbi illam æger coluit, veneratuſque eſt.

SANCTÆ CRVCIS SEDES.

NOSTRORVM (qui in vtraque huius Prouinciæ vrbe verſantur) cura in Hiſpanos & Indos diuiditur, à qua cura ſecundum Deum potiſſimè pendet vtrorumque ſalus. Quod vel ex eo licet intelligi, quod cum noſtri iuſtis de cauſis diſceſſum meditarentur ex altera, magnus illis abeuntibus metus fuerit diſſoluendæ ciuitatis. In vtraque ſolita Societatis miniſteria præclare obita. Vnde ſexies hoc anno in circumfuſos agros, vicos, oppida excurſum, & labori par fructus reſpondit; licet Indorum multitudini, non quantum voluit, ſed quantum per operariorum paucitatem licuit, noſtrorum caritas opem tulerit: ſeptem, vt alia taceantur, ab ipſa peccatorum confeſſione ſalutari, animam dederunt. Nouus huius

Prouinciæ Gubernator, cum abſtruſa loca cum exercitu penetraſſet, campum latè patentem aperuit, vbi Chriſti Euangelium vtiliter ſeminetur. Faxit Deus, vt in remotas has mundi oras, quos deſideramus, operarij mittantur, à quibus ad cæleſtes ſatus accipiendos præparentur.



PROVINCIA AQVITANIÆ.

FVERVNT in hac Prouincia Socij ducenti triginta octo, qui in Collegia ſeptem, vnam Probationis domum, & vnicam Reſidentiam ita diuiduntur; vt ſint Sacerdotes octoginta, è quibus Magiſtri duodecim; Profeſſores alij triginta quatuor; Scholaſtici triginta ſex, Coadiutores temporales vndeſexaginta; Nouitij viginti nouem. In Collegio Burdigalenſi ſexaginta. In Reſidentia S. Macarij tres. In Collegio Toloſano quadraginta tres. In Domo Probationis triginta tres. In Collegio Rhutenenſi vnus ſupra viginti. In Auſcitano duodeuiginti. In Aginnenſi nouemdecim. In Petrachorenſi viginti tres. In Lemouicenſi viginti vnus. E viuis exceſſerunt tres; quorum in locum duodeuiginti ſucceſsêre.

NE vero in Collegijs ſingulis inutili iuxta ac moleſta repetitione dicta dicere cogamur, compendioſius fore gratiuſque viſum eſt, hoc loco colligere in faſcem ea, quæ ſi ſæpius ſpecioſiuſúe contigerit vno loco quàm alio fieri, fieri tamen in Collegijs, Reſidentijs, Miſſionibuſque vſu venit. Ergo

Ergo carceribus addictis non verbis tantùm sed reipsa, atque opè sæpius consultum fuit; licet ea corporum cura rarior fuerit, quàm qua vitiis addicti animi, in libertatem asserti sunt concionibus, hortamentis, catechesi, Confessione, Eucharistia, ceterisque quibus vti Societas amat. Et quidem eorũ, qui totius vitæ peccata relegentes de iis confessi sunt, numerus vbique magnus fuit; vt & diuini verbi auditorum tantus in plerisque omnibus locis, quantus antea nunquam. De sopitis inimicitiis, deque impudicitia sublata existimandú est idem, quod de iis quæ crebrò contingunt: quorum sunt malorum librorum exustio, Orthodoxorum in fide firmatio, cum hæreticis disputatio, alienorum bonorum restitutio. Et quia quæ sunt dicta, qua domi, qua foris acciderunt, addam Collegiorum propria duo: alterum, vbique discipulorum numerum quam maximum esse: alterum, B. Virginis Sodalitates, cum superioribus annis frequentia ac pietate certare.

COLLEGIVM BVRDIGALENSE.

VERTITVR ab eo, quo Burdigalâ excessimus, quartus decimus annus, quo nos in Collegium postliminio remissi, eò studiosiores nominis nostri nacti ciues sumus, quô illi, vt sibi restitueremur, ardentius semper expetierant, curârantque sæpius. Sane quidem (quod libens præter alias causas, populi votis, Apologetico P. Richeomi libro & principis humanitati tribuerim) omnibus lætitiis incessere Burdigalenses, cum edicto

Regio reddi sibi nos acceperunt: neque plebs eo duntaxat animo fuit, cum & ipse Senatus, ad se de nobis misso diplomati authoritatem addere voluerit Iustitij tempore extra ordinem, vt quamprimum initium docendi caperetur; quod ineunte Nouembri fieri cœptum, tanto gaudio amorisque in Societatem significatione, vt cum Prorege & Principe Senatus numerosissimi, ordines omnes Cleri, Senatus, Academiæ, Seuirorum, qui Magistratus sunt populi, Iuratos nuncupant, Rhetorem dicentem audierint pridie illius diei, quo Scholæ patuerunt, in quibus tum discipulos tantùm non mille numerauimus. Percommode autē cecidit, quod laxata recēs domus, octodecim cubiculis adiectis, iis quibus augeri numerum nostrum necesse erat, excipiendis satis fuit, & disputationibus aulam præbuit pedes septuagenos quinos longam, tricenos septenos latam; vbi illo ipso mense coram Illustrissimo Cardinali Surdisio, frequentissimo Senatu & lectissimorum hominum corona, de rebus Theologicis agitatæ Theses, ad Regem missæ cui dicabantur, peramanter exceptæ sunt.

De templo memoranda videntur duo, alterum, sacram supellectilem quingentis aureis, illi dono ciuium attributis, non mediocriter creuisse: alterum, die D. Iacobo sacra, cuius nomine dicatum est templum, tantam hominum multitudinem peregrinantium specie, ad illud de more supplicando processisse, vt ciuitas miraretur. Bis certatum cum ministris Caluinianis: Horum vnus cum vellet in ethymo græcæ dictiunculæ argutari, mox à nostro, qui & loqui græcè derepentè & argumentari cœpit, obrutus, turpiter silentium egit: deinde cùm ex Gallico argumento ex-

tricare

tricare se multis horis non posset, ei disputationi finem imposuit, proximoque die quo ea de re ad suos verba fecit, recuperare famam conatus, frustra fuit. Etenim re detecta, ex placito Illustrissimi Cardinalis, in Archiepiscopio idem ex nostris sic Ministri dicta destruxit & adstruxit sua, vt fuerint in Caluinianis præsentibus nobiles viri, qui suum Iesuitæ imparem faterentur. Ex illis præcipuus vnus tum manus dedit, & nobilissima fœmina paucos post dies, alterius cum Ministro initæ concertationis causâ. Nam post multam disputationem, quę antea pendebat animo, fassa fœmina Ministrum sibi neutiquam satisfecisse, Caluino renunciauit, seque Catholicam in templo nostro professa est. In ista vna plus inclaruit Societatis nomen, quàm in aliis omnibus, quos ad fidem hîc adduximus.

PRÆTER hanc, septuaginta, ex quorum numero vnus profitenda fide peccatisque confitendis, animi tranquillitatem recepit, qua ob initum cum dæmone colloquium carebat: & quia in bestiam oratio incidit, facinus vnum illius, alterúmque addo. Rustico specie honesti ciuis occurrit, &, Quo te pedes? inquit, Respondenti petere se ex agro vrbem, subijcit veterator, Vin' mihi seruire? Quis autem tu? infit agricola; Ne cura, inquit, quis sim, vide num velis: magno pretio feceris: nam ego tibi vim ingentem auri mox dabo. Arripiendum tam præsens bonum rusticus ratus, Sane, ait, placet, verum vxorem prius & amicos, tua venia, salutabo. Conuenitur, futuræ seruitutis pignus denarius dæmoni datur, dies veneris proximus, tempus, locus, hero conueniendo præscribitur; itaque compositis in vrbe reculis

suis

ſuis, ex condicto miſer, magna ſpe diues, redibat ad ſathanam; ſed ſubita occultaque vi, cum eſſet propter flumen, applicatur ad terram, rapiatur, in aquam impellitur; ex aduerſo erigitur, retinetur, defenditur. Ad tumultum fit concurſus, excipitur infelix, & ſibi ex ſtupore non conſtans, ac pæne mutus in vrbem deportatur, vbi fremens damnatum ſe, vt addictum cacodæmoni, aſſerit: vti ſe crucis ſigno muniat, monetur; negat futurum vt Deum inuocet; fruſtra inuocatum iri reſpondet. Cum aduocatus è Collegio vnus in ſpem veniæ hominem erexiſſet, & ad confitenda peccata adduxiſſet; ſic immutatus eſt vt dæmonem eiurarit, pactum reuocarit, & habere cœperit melius.

PVELLÆ octauum annum agenti ingerebat ſe idem ſæpe, nunc placidus cirrum componendo, nũc infeſtus diuerberando. Fruſtra tentatis omnibus, mœſtus pater noſtrorum vni filiam ſiſtit, exomologeſis peccatorum præſcribitur, ſpes fideſque excitatur, B. Patris Ignatij puellæ in ſinu geſtanda icuncula datur, eiuſdemque aduocatio commendatur. Abactum credimus importunum, quia cùm Sacerdos, vt ad ſe redirent imperaſſet, ni abſiſteret hoſtis, nullus dum rediit. Sodalitium B. Virginis, cui ex ſenatorio ordine, Academiæque Profeſſoribus præſtantes viri dederunt nomen, pietate & miſericordia claruit; hâc ſeptuaginta quatuor captiuis liberandis, quos egeſtas & patronorum penuria in vinculis continebat; illâ, quod flagellorum vſum, quem ſuperiores omittendum cenſuerant, per ſingula quadrageſimę ſabbatha indulgeri ſibi, tanta pietatis ſignificatione orarũt, vt exorarint; quodque quadragenarum horarum oratione, per Bacchanalium dies indicta, magnum
exem-

exemplum ciuibus pietatis ediderint.

NEQVE verò Societatis labor vrbis anguſtiis clauditur. Cum ſuam diœceſim inuiſeret Illuſtriſſimus Cardinalis, noſtrorum opera vſus eſt. Ad vltimos Sanctonas Vliarus in Atlantico eſt, quo profecti duo, dies octodecim inſulanis impendêre; tanta matutinas conciones, veſpertinamque Catecheſim audiente turba, vt ſpem omnium ſuperarit. Siquidem & meſſi tempus, & conficiendo ſali percommodum, ineptius verbo putabatur, & hæreticorum numerus ingens credebatur abominaturus noſtros. Ex quo tamen duodecim (In quibus cum vxore primarius Inſulæ iudex fuit) repudiata hæreſi crediderunt. Natalitiis feriis Dux Eſpernonius, ad vicinum Caſtrum euocatis duobus, ad pietatem eſt vſus: quo tempore de inimicitiis deponendis habita concio, præter alias cauſas virum nobilem perpulit, vt ab vlciſcendo altero animum ad Sacramentorum perceptionem, iniuria remiſſa, transferret. Dux autem circumciſo Chriſto dicata die, conceſſarum nobis indulgentiarum gratia, inde Burdigalam petiit: Alij duo ad Cadurcorum caſtrum Cardaliacum miſſi, oſſa Patris Martini Gutierez, opera nobilis viri, recepere: Id vt fieret P. Didacus Torrez Peruanæ Prouinciæ Procurator poſtularat; exigebat verò mortui probitas frequenti olim Chriſti & B. Virginis apparitione teſtata. Obierat ille diem ſuum cùm ærumnis aliis, tùm ſquallore carceris, in quem triginta ab hinc annis coniectus fuerat, cum P. Ægidius Gonzales Caſtellæ Prouincialis, & P. Ioannes Suarez Romam ex Hiſpania petentes, in hæreticorum manus cum illo ſimul incidiſſent.

RESI-

RESIDENTIA SANCTI MACARII.

NON exigua pietas Oppidanorum fuit, nam singulis dominicis ceterisque festis diebus de peccatis confessi, Christi corpus exceperunt de more quamplurimi, quod eo mirum fuit tempore, quo inclinante anno, Professores Grammaticæ duos, qui soli inibi iam quatuordecim annos docuerant, ijs subtrahere, ob Collegium Burdigalense restitutum, neccesse fuit. Exasperati quidem sunt animi, cum eo se bono priuari à nobis animaduerterunt. Sed nihilo seciùs quàm antea concionibus nostris interfuere, auditisque illis, ad Patrum confessiones excipientium (quod & aliàs à Catechesi dominicis diebus facere solebant) pedes prouoluebantur. Hîc adolescentulus grauissimis affligtabatur morbis, febre & doloro capitis ad insaniam, ita vt à medicis deponeretur. Sacerdos noster facturum se tria sacra sanctissimæ Trinitati ad tres designatas aras, ægrumque communicaturum vouit, si per merita precesque B. P. Ignatij conualescat: puer celerrime nuncupato voto conualuit.

COLLEGIVM TOLOSANVM.

EX patribus duo migrarunt e vita, P. Seuerinus Guysius sacra eloquentia clarus senex, & nostris iuxta ac externis acceptus, quem, quod optauerat vt labori fratrum parceret, breuis hora nobis

bis eripuit: & P. Petrus Canetus fide ac amore in Societatem insignis, in qua multis laboribus functus lento morbo debilitatus, dum se morti extremò comparat, inter orandum, elatis in cœlum manibus adorabundus obdormijt. Duobus in templis cum magno animorum, in summis etiam viris, motu auditi sunt nostri. Neque tamen dicendo tantum excitata religio ciuium, sed libellorum ad pietatem scriptorum largitione, sic sancta seueritas inflammata est, vt multos in se seuientes oportuerit coërcere. Atque ille animus sibi durior, blandum alijs se & misericordem præbuit Xenodochiis visendis, pauperibus solandis, egestate opera, pecunijsque subleuanda. Mulieres sex à prostituenda pudicitia deterritæ, à prostituta aliæ reuocatæ, prohibiti aliqui à nequitia, præsenti nummorum ope. Neque defuerunt qui hæresim eiurarint: duodecim hoc anno numerati, animaduersumque id genus sæpe conuictum, sensim assuescere veritati, & disponi ad frugē bonam.

FLORENTISSIMAM iuuentutem & numerosissimam educat Collegium, nam mille sexcenti sunt, post excitatam nunc tandem Theologiam viri primarij beneficentia, qui reuocandæ illi, quæ iam quatuor annos præ inopia maiori ex parte conquieuerat, argenti dena milla librarum, citra vllam obligationem, ex sententia nostrarum constitutionum attribuit, cauitque ne nomen suum vulgaretur. Ita magna gratulatione ciuitatis apertæ Theologiæ scholæ, breui tempore auditores pæne centum, & eos quidem iam graues viros habuere, aduentantque subinde augendo numero plures. Magnus inde splendor accessit, vt & vtilitas ex eo, quod dudum ære alieno oppressum Collegium,

legium, absoluit sese hoc anno, & reditus auxit. Discipulorum pietas argumentum sui magnum dedit, cum in multis, qui se Deo variis in familijs religiosis deuouerunt, tum in congregatione B. Virginis, cuius Sodales ferendis iniurijs, magnisque virtutum aliarum incrementis excellunt. Accidit memorandum istud. Ex discipulis illustri loco natus vnus (cuius spinâ dorsi fractâ, loco motæ, vertebræ prominebant) voto à matre ad B. Virginem montis Serrati concepto, nulla mora sanatus magno miraculo fuit.

DOMVS PROBATIONIS TOLOSANA.

ADolescens nobilis, cum esset propediem in tyronum numerum admittendus, multis derepentè difficultatibus impeditus, ab ijsdemque diuinitus expeditus fuit. Cum enim Societatis cupidissimus, in procinctu ad illam esset, admitti non potuit, quod ipsius Pater cum tota familia in eam difficultatem incidit, ex qua se extricare nullo modo posse putaretur, nisi hic noster candidatus, qui primogenitus erat, cum vxore dotem ad fulciendam domum acciperet: ita re complorata, cum à nobis etiam coniugium suaderetur, à parentibus sponsa quæreretur, ad nuptias iuuenis ab omnibus truderetur, ope diuina factum remur, ne qua tum illi, cum esset maxima copia, inueniretur coniux; vtque diligenti adolescentis industria, patri familiæque nihil necessarium mox deesset. Sane illi clausa domus, vi diuina recludebatur, vt ad eam aduolans, quod sta-

tim fecit, ſingularem Dei prouidentiam prædicaret. Porro mitior hic Nouitiis annus, quàm ſuperiores fuit: nam & parentes, iam admiſſis inter nos liberis, æquiores ſe præbuerunt, & quod antea plerique omnes aduerſabantur, paternam benedictionem non negarunt. Vnum eius generis referam. Cum filium à nobis admiſſum accepiſſet pater, quamuis iniquo animo factum ferret, tamen egregie, quoad adoleſcentem adire facilius poſſet, id haud ægre ferre ſe ſimulans, cum illo primum eſt hilariter collocutus: deinde captato tempore, quo à tyronibus audiendæ concionis ergò Collegium aditur, in platea cum altero filio, noſtrorum omnium ordine procedentium vultus explorans, notiſſimam faciem deprehendere nequiuit, nedum iuuenem, quem per vim erat abrepturus, apprehendit. Ergo cum fuiſſet fruſtra, & filium cum ceteris proceſſiſſe reſciuiſſet, eam vitæ mutationem contigiſſe diuinitus credens, Deo non facti facinoris gratias egit, nato benedictionem impertiuit.

COLLEGIVM RHVTENESE.

IN js, quæ cum omnibus communicari non poſſint, hæc fuere. Eorum qui ſcholas frequentant tantum numerum extitiſſe, vt quinta, quæ & vltima claſſis eſt, quingentos habuerit: qui Caluini hæreſim affectabantur, octo ad Chriſti ſigna tranſuolaſſe: toto magni ieiunij tempore Canonicorum Collegio quod Marolegij eſt, Oppido hæreticis referto, expoſitos quos conſcientiæ caſus

ſus vocamus vtiliter fuiſſe: cum Epiſcopo Vabrenſi luſtrante diœceſin, ſocios duos verſatos eſſe. His excurſiones adijciam duas: alteram, qua Miliatenſis ager ab duobus obitus ſeptem, octoue menſes oppidatim fuit, vbi à Societate alieniores antea pleriquè omnes cum fuiſſent, perſpectis nunc illius ſtudiis, & verbis nos honorificis commendant, & certa beneuolentiæ argumenta præbent: alteram, qua per Decembrem ſeni, vicinis tribus oppidis obeundis, operam multo cum fructu collocarunt: Villanouanis maximè, ex quibus qui hoſpitio ſocios exceperat, ab iis tanquam diuinitus opportune miſſis inſtructus, ſacramentiſque munitus, vitam cum morte commutauit.

COLLEGIVM PETRACHORENSE.

IN agri Lemouicenſis oppidum Briuam concionator miſſus, magno concurſu vicinorum etiam nobilium auditus fuit: eoque tempore contigit, præter ea, quæ vbiuis à noſtris fieri ſolent, hæreticorū liberos quotidianas catecheſes, inuitis parentibus, frequentare: Religioſæ domus Præfectos, inſtaurandi ordinis ſui gratia, opera noſtrorum conſilioque vti; Briuenſes impetrandi Collegij ſtudioſiores eſſe, quam fuerint olim. Ex multis etiam quæ eueniunt, dum in vicina oppida itur, vnum & quidem mirum memorabo. Matrona nobilis in vitæ diſcrimen adducta, cum ex hæretica vrbe, acciri ſibi medicum videret, Ieſuitam euocari enixè à marito flagitat, impetrat: vt primum

mum confessione animum abstersit Christique corpus excepit rite, mirum dictu! clamore sublato, esse se sanam profitetur. Itaque cum morbo diuinitus curato, medicinam facere iam non esset opus, factum medicus simul & pharmacopola mirati, nostrorum probitatem homines Caluiniani collaudauere. Mulier alia, quæ obfirmatæ hæreseos putabatur, ad fidem, eiusdem Sacerdotis opera, reuocata est.

COLLEGIVM AGINNENSE.

BEATI P. Nostri exercitationibus Socij pæne omnes sese, ad cætera alacrius fortiusque præstanda, munierunt; externique ipsi multum inde pietatis hauserunt, in quibus Religiosi ordinis Prouincialis, Parochus, feminæ duæ, quarum alterius singularis immutatio animi ac feruor fuit. Verum præcipua earum meditationũ vis existimari ea potest, qua ab ijs olim alienior, cum eo tandem modo ad fugam imminentis consulatus, secedere in animum induxisset, vir quadragenario septem annis maior, non tantum Christo manus, sed & seipsum in solidum dedit, sacris initiatus prius. Ducenas idem libras nobis, quæ quotannis pendantur, si per R. P. Generalem fas fuerit, dedit; & sexcentorum aureorum peripetasmatis circumuestiuit templũ. Ei templo ingens alterum accessit decus, inauguratio prid Non. Febru. Seuirorum, quatuor conopæum reliquiarum gestantibus in pompa, Prorege præsente, Episcopo consecrante. Adiecere Seuiri suggestum & subsellia, affabrè tornata omnia.

QVATVORDECIM Caluini hæresim abiurarunt, quorum duo simul coniuges fuerunt admirabiliùs ad fidem Christumque traducti. Asseuerauit enim vxor sibi in salebris etiam tum inhærescenti, cùm curiosè ad D. Caprasij se contulisset, infantem inter sacerdotis manus sacram hostiam attollentis visum: maritus singulari morum mutatione, in templis assiduitate, & sacramentorum vsu, non caducos fructus pollicetur. Eiusdem numeri iuuenis fuit qui Montalbani (in Cadurcis oppidi nomen est, quo Caluiniani potiuntur) in Academia recens instituta, peruersis opinionibus imbutus, cum altero Aginnum venit, ibi ambo curiòsius Classes inuisunt, maxime philosophicam; cui præpositus sagacitate subita hæresim subodoratus, inter explicandum, de Eucharistia non incommode quædam admiscet. A lectione conuenitur, perhumane excipit adolescentes, quorum iste, post multa de libris, religioneque vltrò citróque allata verba, rediturum se ad nos, & fusius de studiis, & salute acturũ pollicitus, promissis stetit: exacta enim illic philosophia rediens, post quindecim dierum decertationem veritati cessit, & sua sibi dogmata Caluinianos habere iussit.

MERCATOR externus, à latronibus per noctem infestatus, & omnibus pæne mercibus spoliatus, cum vitæ periculum adijsset, tanto metu perculsus fuit, vt subinde ei veniret in mentem, non grassatores illos sed dæmones fuisse, qui sibi perpetuo ob oculos obuersarentur; suggererentque vt Christo, Virginique fidem datam violaret: de summa illa perturbatione, vi sacramentorum & allocutione, non parum ademptum est. Erat is è congregatione Virginis, cui & præsentem salutem

tem,& constantiam contra infestatores acceptam ferebat. Alius qui totos viginti annos à Christianę pietatis functionibus abstinuerat, instituta de totius vitæ peccatis confessione, maximo popularium gaudio, ad frugem rediјt. Fuerunt & feminæ,quæ sacramentis munitæ,impuris inuasoribus restiterunt, & pudicitiam hospitiorum commoditati prætulerunt. Magna vis diuini verbi hic fuit in concionibus;inimicitiarum sublatarum exempla multa, sed præcipué vnius, qui tam atrociter furebat in alterum, vt orationem dominicam non nisi sic concepta parte recitaret: Dimitte nobis debita nostra, sicut tu iubes vt dimittamus debitoribus nostris: Vnius tamen è nostris hortatu remissis odijs, ab inimico oblatam satisfactionem accepit.

MVLTI qui periculosis morbis affligabantur, nuncupatis Deo ac Virgini votis, vel etiam epota lustrali aqua, cui Perüanæ crucis immersum frustulum fuisset, conualuere. Amiserat pecuniam iuuenis, quam voto virgini concepto, per illum ipsum qui surripuerat, & tantùm non euulgari nomen suum exposcebat, postridie recepit. Mulier,quę partus difficultate tertium iam diem laborabat, quamuis illi desperaret obstetrix, appensis collo reliquiis, quas miserant nostri, ingentem fœtum enixa est. Ab octo mensibus frequentat scholas nostras, duodeçim annos Gordonij honesto loco natus puer, qui si per Deum panem exposcenti ægro, dum febribus æstuat, præbuerit, omne genus febrium abigit. Vtitur autem pane quouis & precibus consuetis, oratione dominica ac symbolo, quibus Gallicas,sed pias ad S. Spiritum preces, ab tribus mensibus attexuit. Ad hoc

randi officium inductum ſe, ait, à matre, quod in hanc lucem prodierit, ſexta feria ſanctioris hebdomadis, quo tempore Chriſti patientis hiſtoria à D. Ioanne ſcripta legebatur. Ei rei ne fraus ſubeſſet, edoctus à noſtris ſubſcripſit huic formulæ, quã dum eſt curaturus vſurpat. Prudens ſcienſque renuncio cuiuſcunque generis pacto & fœderi, ſi quod fortaſſe cum cacodæmone ictum fuerit; hoc enim curandi munus propter Deum ſubeo, in cuius honorem & gloriam cedat iſtius ægritudinis curatio. Ab domibus ſacris ad ſcholas noſtras religioſi adoleſcentes acceſſere, præſertim è Dominicana familia, quæ Prouinciæ ſuæ ſeminarium hoc loco conſtituit, vt commodius illud committat noſtræ diſciplinæ. Reſignata ſunt duorum teſtamenta, ſcripta ante annos multos, in quibus leganțur aliqua Societati: Iudex erat alter, de cuius legato nihil dum conſtat; alter nobilis, qui aureos quingentos aſſignauit, præter ea quæ ad conſtructionem templi deſtinauerat.

FREQVENTER excurſum eſt in pagos, in quibus iſta contigerunt. Tignarius quidam cum vxore multos iam annos hæſerat Caluino. Is cum ex quinque annorum tabe, nec incedere poſſet, nec videre, ad Eccleſiam cum vxore reuerſus, & recte iam incedit, & aliquantulum videt: Ille vnus ex eorum numero ſupererat, qui oppidi diruerant templum, ad quod tunc inſtaurandum, annitente noſtro, ipſi etiam hæretici adducti ſunt, vt cum ceteris pecunias attribuerent. Cum Epiſcopo bis obeunte diœceſim inerunt noſtri, & cum hæreticis certauerunt. Mulier nobilis, præſente quidem ſed inſcio viro, ritus catholicos edocta, dum ſola cum noſtro in horti ambulacro ſpatiatur, ibidem

dem Iudepte marito hæresim eiurauit, totiusque vitæ eluit culpas. Alibi exomologesi non tantum animi, sed & corpora sunt curata; ipsique etiã hæretici, dum aliquando ad ducentos concionantem audiunt, animi sensum vix dissimulare potuerunt, pudore metuque cum veritate luctante. Neraci (quod oppidum sectariorum est) iuuenes duo à fide mox defecturi ad hæresim, à malo reuocati in veritate firmati sunt. Marmandæ egregie obita munia Societatis, maxime animarum conciliatione procuranda, quo studio factum, vt dum noster sacrum facit, & diuinũ ad eam rem auxilium expoſcit, præsentes honesti viri animis diffidentes, in gratiam ibidem loci redierint.

COLLEGIVM
AVSCITANVM.

QVANQVAM impigrè quæ moris sunt hîc Societas exequatur, tamen hęc paucissima tradentur. Tres ab hæreticis ad fidem traducti, orthodoxa dogmata palam professi, animos confessione purgarunt. Beati P. Nostri exercitationibus Catholicus excultus, priori vita eam sibi potiorem duxit, quæ in religiosis familijs viuitur. Iisdem Deo sacratæ Virgines, ad quas se contulerat è Collegio vnus, animos excoluere. Alterius domus, haud obscuri nominis, virgines omnes per errorem, adeò nostri generis homines auersabantur, vt non modo conspectum eorum refugerent, sed aliquam sibi de ijs alloquendis, fieri mentionem molestissimè ferrent: eæ demum hortatione vnius de rebus pijs audita, sic animis statim immutatæ

ſunt, vt & priorem ſententiam ſuam damnarint & Sacerdoti noſtro totius vitæ peccata omnes prius aperire voluerint, quàm eum abire paterentur.

COLLEGIVM LEMOVICENSE.

PIETATIS ingentia argumenta Lemouicenſis ager vidit, præbuitque: fuerunt qui à centum viginti millibus paſſuum, ſolo religionis nomine, ad Collegium iſtud acceſſerunt; quæ hactenus alijs retegere non erant auſi, peccata purgarunt; pœnas ſibi graues infligi, quas æquo animo ſubirent, poſtularunt. Ipſi maximè enitent nobiles viri, qui a nobis inſtructi & inimicitias ſopiunt, & ad confeſſionem omnes hortantur: eorum permulti B. P. Noſtri exercitationibus exculti, domos ſuás in ſacrarum familiarum ſpeciem compoſuerunt. Et quia cœpi de illis meditationibus dicere, addendum arbitror, nuſpiam in iſta Prouincia frequentiorem earum vſum eſſe; quippe quibus operam dederint ex eadem domo Religioſi viri nouem; ex altera, illius ipſius præfectus obſeruantiæ priſtinæ diuinitus datus inſtaurator; ex tertia, quæ virginum familia eſt, Abbatiſſa ipſa, quæ inde offirmato in ſanctitatis procurationem animo, omnibus exercitationibus pietatis conſtanter inſiſtit, orationi, meditationi lectioni, confeſſioni, Euchariſtiæ quot hebdomatis percipiendæ; & propalam, pro ſuo in Societatem affectu, profitetur datam eam à Superis ad mundi, Ordinumque omnium inſtaurationem.

ADIICIENDVS iſtis Eccleſiæ Præpoſitus, vir auctoritate magnus, qui, vt miniſtrantem ſibi vnum

num ex noſtris tunc vidit, Ecquid, inquit, miſero mihi ſeruus Dei miniſtret? deinde occœpit quotidie ſacrificare, flagris & cilicio, quod olim refugiebat, corpus vrgere; elapſo meditationum tempore eorum domos adire, apud quos vixiſſe ſe liberius putabat, ibi factis verbiſque nouum hominem profiteri. Is eſt, qui exercitationes Patris videri ſibi teſtatur, poſt Sacramenta ſacraſque res, auguſtiores omnibus alijs; ad homines ad Deum traducendos, nihil aptius ijs in Eccleſia reperiri; eas ſe rebus ceteris, ſi cœleſtem gloriam demas, anteferre. Cum illo præclaro ſene (qui per ætatem noſter eſſe non potuit, cùm tamen Societatem deperiret) per literas poſtulante. R. P. Generalis noſtra omnium merita communicauit. Eius etiam tanta animi demiſſio fuit, vt ab illo ipſo Patre Noſtro petierit, ſibi vt fas eſſet votum concipere, quo, non niſi ex noſtrorum præſcripto, quoad animi ſalutem ſpectat, ſibi viuere liceret.

FVIT & alius Lemouicenſis Canonicorum Collegij præpoſitus, ſic inſtitutus iiſdem meditationibus, vt pijs officijs omnibus ſedulo iã, & conſtanter incumbat: itemque Iudex, qui ad inſtitutum Societatis vocari ſe ſentiens, & plane videns, P. Prouinciali mox per litteras ſignificauit. Inter eos qui ad fidem auitam ab errore reuocati fuere, nobilis femina eſt ætatis prouectæ, quæ cùm vrgeretur à noſtro ad catholicam fidem, & interrogaretur, an de cœlo angelum, à quo de rebus certior fieret, prçſtolaretur? Se minime expectare reſpondit angelum, vt qui iam à deo (intelligebat autem Patrem) miſſus eſſet. Conciliati animi atrociter diſſidentium, vt qui iam in lites & vulnera icrant, idque duobus locis, quorum in altero Religioſi

erant qui ea alebant odia, in altero Curio, primariique ciues, qui præmissa confessione, in mutuos euntes amplexus, veniam publice petiuere. A singulari certamine reuocati nobiles duo, prælata in locum certaminis, vbi iam alter aderat, Christi patientis imagine; cuius ea vis fuit ad iratos animos permouendos, vt in publica via ambo, in ea imagine Cristũ osculati, in amplexus inuicem ruerint, templum nostrũ deo gratias acturi petierint, in eoque postridie, summo omnium gaudio& virtutis documento, Christi corpus simul exceperint.

Cvm aquæ lustralis potu, tum reliquiarum thecis multi à febribus, morbisque alijs liberati. In ijs, qui à prostituendo pudore reuocati sunt multi, mulier est quæ se tota fere vita venditauerat; ea quidem multo labore abducta à turpitudine est, sed constanti pudicitia flagitia priora compensat. Cum enim vix habeat sæpe, quo vescatur, cibarium panem; centenos aureos, aliaque munera amasiorum veterum repudiauit: & cum à malo dæmone ad facinus stimulatur, videre sibi sæpe videtur adstantem nostrum Sacerdotem inclamantemque, cuius præsenti ope tentationem abijciat. Adultera quæ tota vrbe virili habitu vagabatur, ad pœnitentiam adducta, in honestæ feminæ contubernio bene, & pudicè nunc viuit. Coniux ita virum auersabatur, vt nec eum intueri, nec ipsa vellet viuere, de nostrorum consilio vsa Sacramentorum, aquę lustralis, & cerearum agni cælestis imaginum liberata est.

Eivsdem sacræ ceræ mira vis fuit, in alterius puellæ bonum, hæc sortilegio verius quàm morbo decumbens, sed doloris expers, vbi primùm de rebus diuinis sermo fit obrigescens, frigescens-


que

que simillima mortuæ iacet; leuissimè admonetur cereus agnus, actutum excitatur, & in tantum furit, vt vix eam viri tres cohibeant: si manibus agnum inferas, sic ad tactum illius inuertuntur, vt vola in superiorem partem torqueatur, digiti miris modis moueantur finganturque; si ceram auferas, ponit furor. Ea totam vitam confessione purgauit, excipiente Sacerdote nostro, & ad præsentiam Eucharistiæ, quam dari sibi expetiuerat, mortuæ similis visa est; sed adstantium precibus vt Sacramenti particeps fieret, est impetratum. In fide confirmati hoc facto multi. Vicini oppidi medicus, qui vulgo hæreticus, aut nullius numinis cultor habebatur, cum etiam corpore laboraret, accersiti vnius è Patribus opera ad Christum adductus, Eucharistię perceptione conualuit. Eiusdem oppidi iudex à medicis depositus, cùm agere animam diceretur, ei Patri confessus, ab eoque sumpto Christi corpore, medico turbaque stupescentibus, morbo liberatus fuit.

Non paruæ restitutiones opera nostrorum factæ, solidarum hæreditatum, sacræ supellectilis, ornamentorumque. Religiosissima Gallorum Regis amita templo nostro argenteam pixidem, duasque subsericas magni pretij sacras vestes, è centum millibus passuum domum misit. Altera nobilis femina aureis cingulis intextam, aureorum centum viginti, nuptialem vestem attribuit. Externo illi decori respondit pietas ciuium. Discipuli numero, nobilitate, ingenio, religione florent. Religiosis domibus varijs dicauere se duodecim, tres nostræ; quorum vnus cum ad necem ab irato Patre quæreretur, scriptis litteris vtriusq; parentis animos placauit sibi, amicos Societati reddidit.

didt. Infirmus é discipulis vnus deploratusque à medicis, cum se nostrorum vnius suasu B. Patri Ignatio commendasset, illius icunculam collo inserens conualuit.

AĕNTINVM oppidum ad vigesimum ab vrbe milliare est, quo æstiuis mensibus é nostris missi duo ex Episcopi sententia, senos ipsos menses aduolantium turbarum confessionibus, vt plurimum vitę totius, impenderũt, exercitijs aliquos adiuuerunt, impigre præstiterunt quæcunque procurare de more Societas solet. Ad Christum reuocauere palantes hæreticos multos, atque in ijs Archisynagogum cum germanis fratribus tribus, cuius in domo Caluiniani mysteria sua, ministeriaque exequebantur. Ipse oppidi dominus & præpositus Ecclesiæ, alijque institutum sibi nostrum experiuerunt.



PROVINCIA LVGDVNENSIS.

HABVIT hæc Prouincia Socios duos & sexaginta supra ducentos, in Collegia sex, vnam Probationis domum, & vnam Residentiam distributos: est enim hoc anno, sub initium Decembris, restitutum Diuionense Collegium, ex quo ante annos nouem, turbulentis Galliæ temporibus nostri excesserant. Ex hoc numero sunt centum tredecim Sacerdotes, quorum sexdecim etiam Professores, duo vero Nouitij: ex ceteris Magistri triginta duo; Scholastici triginta; Coadiutores vndesexa-

desexaginta; Nouitij triginta. In Collegio Auenionensi numerati sunt septuaginta duo. In Turnoniensi quadraginta. In Cambériensi triginta. In Diuionensi tredecim. In Aniciensi triginta tres. In Biterensi viginti septem. In Residentia Albenacensi decem. In Domo Probationis triginta septem. Admissi in Societatem vndeuiginti: obijt vnus Coadiutor Turnoni Andreas du Truy, octogenarius, multæ pietatis, laboris indefatigabilis.

COLLEGIVM
AVENIONENSE.

E FREQVENTISSIMO gymnasio satis vberes hoc anno fructus contulit in horrea Domini. Scholastici numerantur ad mille sexcentos; qui magnam partem repetita à puero peccatorum confessione, animum expiarunt. Causa hæc fuit. Qui è nostris præfectus minori Sodalitati B. Virginis, in qua numerosa iuuentus exercetur ad pietatem, cum videret plerosque in virtutis studio, non mediocriter officere studiosis; omnes acriter cohortatus est ad instaurationem voluntatis illius, qua se primum quisque Virgini Matri consecrasset: si qui nollent, solui sacramento placere, & ex albo Sodalium deleri. Conspirarunt Adolescentes eximij quinquaginta supra centum, & præmissa totius vitæ confessione, propositoque colendi Virginem ardentissime renouato, Kalend. Ianu. solenni apparatu in Oratorio formulam suæ dedicationis, suo quisque ordine, ante Eucharistiæ sumptionem, magno omnium sensu, gemituque multorum

multorum nuncuparunt. Affirmabat deinde noſter Sacerdos, qui rem diuinam fecerat, cæleſtem illis panem præbiturus, nunquam ſe tam acribus ad perfectionem ſtimulis, quam illo in tempore fuiſſe concitatum.

VALVIT illa res vehementer, non modo ad illius Sodalitij bonam diſciplinam, ſed aliarum etiam Congregationum, totiuſque Gymnaſij exemplum. Nam Sodalitas maior, quæ tota pæne conſtat ex primarijs ciuibus, non verita ſequi veſtigia puerorum, quæ virilem ducerent ad virtutem; die ipſo Pentecoſtes ſimili facto, ſimilem inijt à Virgine gratiam. Hæc inſtauratio, torporem, & veternum excuſſit omnibus, vnde noua repente, & vegeta facies extitit pietatis. Idem voluit imitari Congregatio Seminarij, ſimiles vt experiretur vires animi renouati. Ita gliſcente exemplo, plurimi rapti ſunt ad imitationem, tanta contentione, vt confeſſionibus excipiendis, toto ſemeſtri vix ſufficerent Sacerdotes. Hic Sodalium feruor, hos dedit fructus.

CIVES, & matura ætate viri alij, qui frequentant maius Sodalitium, Chriſtianæ pietatis officia ſtrenuè exercent, tributi in vices xenodochia, noſocomia, cuſtodias inuiſunt: hoſpites, ægros, vinctos, alloquuntur, ſuſtinent, aliena, ſuaque miſericordia: vnus ex illis fuit ad exercenda in oppido proximo iudicia delectus, qui mulctas pecuniarias, ſi qui tenuiores ſoluendo non erant, pro eis ipſe de ſuo diſſolueret. Alius vrbano Magiſtratu fungens, eum, à quo læſus erat, peramanter complexus in Sodalium cœtu, ſibi Sodalibuſque magnam fecit opinionem Chriſtianæ charitatis. In minore Sodalitio plurimi pro pudicitia, ne ſibi eriperetur, fortiſ-

fortissime dicertarunt. Suscepta frequens carnis maceratio per verbera, & cilicia, multaque alia studia, quæ nec vbique, nec semper vsitata.

¶ PVLCHERRIMVM fuit sæpe spectaculum prouinciarum, quæ conterminæ sunt huic vrbi, nobilissimos, ac spectatissimos adolescentes, Baronum, Comitumque stirpem, ipso in cætu sociorum, ædem B. Virginis statis diebus euerrere animosè; sordesque ipsas, palam videntibus cunctis, extra Collegij septa cum contentione efferre; aliaque obire munia, signa generosæ humilitatis. Insolens vrbis totius concursus in ædem fuit die annunciatæ Virginis; adeoque pertinax, vt cum paucos admitterent loci angustiæ, alij extra limen pluuiam perpetuam tolerarent, donec decedentes alij sibi aditum darent. Ingressi sunt varias Religiones è Sodalibus tam multi, vt posteriore semestri singulis propè hebdomadis aliqui, vel palam mundo nuntium remitterent, vel quo die pedem in Religionem inferebant, socijs se improuiso iuberent commendari. Ità insperata à mundo defectio, cunctatores plerosque impellebat.

NEQVE segnior ciuibus, quam discipulis nauata opera, confessiones generales auditæ frequentissime: Quatuor sacella, singula in singulis custodijs ad vinctorum solatium extructa, nostris curantibus, & instructa; prouisumque, ne desint Sacerdotes annua pensione conducti, qui statis diebus ibi sacrificent, vinctisque Sacramenta administrent. Multis subuentum, quos exigua pecunia inopes ibidē constringebat: venia etiam sontibus sæpe impetrata, quos vel error, vel improborum societas, incautos compegerat in vincula. Ciuis honestus damnatus ad triremes causa leui, non leui

susur-

susurronum calumnia, vnius è nostris precibus condonatus. Catechismus in Nosocomio præsertim explicatus, vt hominum beneficentia, præsentibus ægris, facilius alliceretur.

PERICLITANTI virginum pudori subsidium allatum, & persuasæ Matronæ honestissimæ, vt in suis domicilijs receptas, docerent honestatem: quarum iam lapsa erat pudicitia, vel coactæ sunt in domum coëmptam publicè, vt mutatione vitæ eluerent flagitium; vel reuocatæ ad saniora consilia, Matronis diuitibus in fidem, & curam traditæ; vel denique maiori quorundam liberalitate, viris in matrimonio collocatæ. Numerus earum fuit maximus, sudauitque sane in isto negotio nostri concionatoris eloquentia; qui efficaces, & benè longas, ad eum sæpe finem, conciones instituit. Neque minus constans fuit alterius Sacerdotis industria in cogenda stipe, qua hæretici, qui vel exheredes à parentum errore ad nos tranfugiunt, vel calamitosi apud suos, eiurata hæresi, Ecclesiæ respiciunt misericordiam. Nam quamuis Summi Pontificis paterna cura maxima est, & insignis liberalitas, tantus tamen affluit vndique numerus egenorum, vt non sufficiant viceni nummi, in singulos menses huiusmodi pauperibus assignati: quare ne retardaretur multorũ conuersio, & ij qui iam resipuerunt tenerentur; priuatorum ostiatim sæpe est sollicitata benignitas.

EXCVBABAT in muro miles veteranus iniurio cœlo, summa hyeme; is nocte media, vi & rigore frigoris, actus in mentis intemperiẽ, detestabiles in cœlum voces iacit; Superos, Deum ipsum maledictis horrendis lacessit, dæmoni suum deuouet caput, eiusque implorat ignes; præsto fuit extemplo,

plo, &, quod reliquum erat noctis, eius oculis importunissimè obuersatus est; tùm verò tremere infælix, vibrari, torquente conscientia; neque tamen vestigium mouere posse, vel hiscere, donec tandem eluctata vox, in salutare IESV nomen erupit; quo simul nomine, simul signo crucis, immane spectrum repulsum euanuit; & respectante numine, cum animo spem veniæ recipiens effunditur in lacrymas: appetente deinde aurora, confugit in nostrum templum, præsentius ægritudini suæ remedium quæsiturus, inuenit magno suo bono; diuinæ prouidentiæ consideratione, ad Deum amandum vehementius inflammatus.

MAGICAM quidam diutissime fecerat, eratque in ea nefarie insignis; is cum venisset in familiare colloquium cùm quodam è nostris, ad pænitentiam deductus est; libros artis suæ plurimos, phialas, pateras, imagines, & similia comburenda dedit; dæmones duos, quibus facinorum administris vtebatur, abiecit; quod vt faceret, vix tandem impetratum est, propter iterata, firmatáque horrendis execrationibus pacta, quibus se illis per annos plurimos singulis hebdomadis, incenso prius thure deuouerat. Ereptus demum nefariæ seruituti, & in libertatem filiorum Dei adsertus, affirmabat quatuor dæmonum legiones, propè hanc vrbem statiua habere certis locis, vnde excursiones facerent: ad scelera instiganda, paratum semper vel subsidium maleficis, vel irritamentum sceleratis. Hæc in vrbe gesta. Quæ sequuntur manipuli sunt eorum, qui missi ad colendas vicinas ciuitates, & oppida; Massiliam, Aquas Sextias, Arelatas, Arausicam, Montem

Pessu-

Pessulanum, Nemausum, Aptam, Albenacum, Cistariacum, Montem-Aymarium, Mannescam, Metas, Paternas, Visannum; quibus quatuordecim vrbibus, totidem concionatores, ex hoc collegio, cum sociis concessi, haud exiguam sanè messem collegerunt, Aduentus & Quadragesimæ tempore, vel pluribus etiam mensibus, in eodem opere continuatis: præter eos, qui subsidiarij, ad inopinatas necessitates in minora oppida, reliquo anni tempore, missi, vicos, pagos, castella obierunt oppidanorum magno fructu, pari Societatis nostræ fama. Ex his breuiter ea colligabo, quanquam diuersis gesta locis, quæ similitudo rerum coniunxit.

Præcipuus prouentus fuit ex ijs agris, in quibus mixta tritico zizania; quales propter libertatem & impunitatem multi visuntur. Ducenti & amplius alicuius nominis ad Ecceſiam reducti sunt; quem in numerum non veniunt ij, qui priore semestri detestati sunt heresim Albenaci: nam missio illa, mediante anno, in certam, & fixam sedem versa, separatim recensebit deinceps, quæ in ea vrbe gestæ sunt; neque adnumeraui conuersos in Pessulano monte, de quibus hoc tantū generatim scribebat concionator nuper, qui ibi versatur, factam esse tantam hereticorum inclinationem in illa vrbe, quæ maxima est, vt nutent pæne omnes, & curiosissimè dubitent de vera Ecclesia: Quam occasionem commodissimam se arbitrari, ad hæresim funditus conuellendam; nec sunt etiam censi, qui Arausicæ ad Catholicos redierunt, quorum non fuit paruus numerus. Ducenti igitur illi præcipui, de quibus constat, fere omnes, non modò in vera Ecclesia fuerant; sed etiam in
claustris

claustris Religionum variarum; & multi ex illis ter quaterue, vnus etiam sexies in diuersis ordinibus professi erant. Maxima illorum pars, Aueniomem missa, à nostris concionatoribus, vel solemniter & palam coram Illustrissimo Prolegato, vel fidei inquisitore, vel priuatim, vt iubebantur, hęresim abiurarunt; & in claustra vnde transfugerant, sponte inclusi sunt.

Hoc perinde factu, atque dictu facile videbitur ijs, qui non experiuntur, quid sit luctari, cum obstinatissimis hominibus, quos inolita consuetudo flagitij, sacrilegæ nuptiæ, filiorumque greges, & impunitas in scelere retinent; desertæ vero disciplinæ difficultas & horror deterrent, in quibus denique conscientiæ aculei iam languidiores hebescunt, repulsa animi obdurati. De vno, aut altero tantum memorabo, quia similes alijs fuerunt causæ conuersionis. Vir valde literatus, cum ad nostros salutis causa confugisset, illisque sese arctius agglutinasset, quod in ijs tantam se deprehendere diceret humanitatem, quantam in Ministris suis execraretur arrogantiam; doctus tandem in fide Catholica. Caluinianam sectam detestatus est, piumque libellum animi sui serio commutati, testem dedit in vulgus. Nemausi capularis admodum senex hæresi ipsa Caluiniana senior, nam annum agebat quintum & nonagesimum, ex quibus quinquaginta totos egerat hæreticus, quinto die quàm Ecclesiæ reconciliatus est, excessit è viuis: illum sic ad se traxit Dei prouidentia. Egestate, senioque confectus, in Xenodochio demum receptus, cum videret, qua sollicitudine ægris, & moribundis adessemus; cœpit ad circumiacentes ægros dicere de hæreticorum Ministris; non per-

S inde

inde in ipsis elucere charitatem: quare ex hospitali domo extrusus est, paucis ante mortem diebus. Quæ illum inhumanitas ita commouit, vt non dubitaret, quin apud illos vera esset fides, apud quos constaret plus esse charitatis: Ita quâ liberrima indignatione incensus, quâ diuinæ bonitatis funiculis illigatus, in Ecclesiam reductus est.

Alivs Metis, oppido prouinciæ, à puero hæreticus, iam decem annos simulabat Catholicum. Ventitabat in Ecclesiam, concionibus intererat, sermones de hæresi miscebat nunquam, nihil ei deesse videbatur, præter fidem, ac præsertim de augustissimo Eucharistiæ Sacramento: ausus est tamen aliquando accumbere sacris epulis, & ore impurissimo panem viuificum contingere, quem animo nefario detestabatur. Vix salutarem hostiam eius ori sacrilego Sacerdos inseruërat, cum in aterrimum conuersa est carbonem; qui stridens inter comminuentes malas, tanta consternatione miserum deiecit, vt ex tempore hæresim execratus, & generali confessione à nostro concionatore expiatus, sanctissimè vitam instituerit; & iam sine simulatione, mirantibus oppidanis, in asperitate suscepta perseueret. Ad Montem-Aimarium è Catholico & Religioso, Apostata, hæreticus, & Minister impietatis, magna hæreticorum voluptate, & gratulatione audiebatur, in opprobrium Catholicorum; de quibus, in eo vno, triumphare se gloriabantur. Is a nostro concionatore conuentus, admonitus, obiurgatus, victus, fractusque est; & ipso peruigilio festi sanctissimi Sacramenti in oculis & auribus omnium repudiata hæresi, Ecclesiæ redditus est. Atque vt animum verè pœnitentem testaretur, exemploque prodesset, quibus nocuerat:

rat: luce ſequenti, in ſolemni pompa, qua per vrbem ſanctiſſima Euchariſtia circumfertur, ſacco opertus, Crucis vexillum prætulit, frementibus hæreticis, triumphante viciſſim plebe Catholica. Inde reſumpto religioſo habitu, in cœnobium ſuum remiſſus eſt.

Valvit ad multorum terrorem, quod ſubiungo. Ciſtariaci mulier, vt viro hæretico obſequeretur, defecerat ab Eccleſia: Id vbi audijt noſter concionator, mulierem adire, orare, inſtare, interminari, Dei iram denunciare, niſi ad mentem redeat: Illa omnia nihili pendere. Multis audientibus dictitare, ſe, ſi quid in ea re peccati eſſet, expiatarum ante mortem; ſeram ſibi pœnitentiam polliceri; ſibi interea deliberatum eſſe, marito parere, nihil ab hæreticis differre; ſequenti die cum eis communicare, & cænam, quam vocant, ſumere. Hic noſter, quaſi præſago inſtinctus ſpiritu; fœdus igitur, inquit, perfida, cùm morte pepigiſti? ea tibi tempus ad reſipiſcendum, Deus tuæ pænitentiæ aures dabit? Ego verò tibi denuncio, affore ſceleri tuo vltricem pœnam, quæ iam nunc tuis faucibus imminet, gulamque iſtam franget, ſimul hæreticæ cœnę communione polluetur. Illa nihilo ſecius ad audendum proiecta, ſubſannat minitantem. Poſtridie in hæreticorum ſynaxi accumbit cum marito: vix fatale fruſtum panis ori admouerat, cum corruit exanimis: Deo palam faciente, quam ſit indigna venia obſtinatio peccantium ex certa, deliberataque malitia. Hactenus de hæreticis. Iam alij fuerunt fructus ſacrarum concionum apud Catholicos, diſſidentium pacificatio; vnus Sacerdos ſexaginta odia, quæ inter priuatos inueterarunt, quæque recenti ſemper ali-

qua clade recrudescebant, radicitus abscidit; alter duella viginti condicta diremit, in vna vrbe, quæ in nobilitatis perniciem erant eruptura; magnus pecuniæ numerus proprijs Dominis restitutus est; in exiguo oppido, summa fuit aureorum decem millium; longe maior in duabus maioribus vrbibus.

AQVIS Sextijs, & Massiliæ, pecunia in templorum ædificationem, vel instaurationem liberalissime præbita. Cistariaci concionator, cum de ornandis altaribus verba fecisset, allata sunt ei statim quadraginta mantilia; singula, senis aureis nummis æstimata. Par fuit liberalitas in eos pauperes, quos pudor, & inopia conflictauit; sed Massiliæ præsertim, dissernerat super ea re concionator, sane potens & efficax in dicendo. Dimissa concione, egressæ templo Matronæ vicatim obibant vrbem; quidquid erat ad manum pecuniæ, in calamitosos congerebant: vna inter ceteras iucundissimum Deo præbuit spectaculum. Ingressa ruinosam domum, fatiscentibus parietibus, perstillante tecto, lacinioso solo, parietinas verius quam domum: offendit in eodem grabato iacentes, virum, vxorem, liberos; morbo, illuuie, fame confectos; mortuorum viua simulacra; accedit, affatur, consolatur; armillas, annulos sibi diripit; mundumq; omnem muliebrem aureum, quo erat ornata, proijciens in lectulum miserorum; isto, inquit, auro inopiæ vestræ succurrite, sarcite tectum. Neque eo contenta, domum cum redijsset suam, baccatum magnis vnionibus aureum torquem, eodem mittit ad instaurandam domum, à qua maior miseris illis pernicies, quam à morbo aut fame timebatur.

NEQVE minor Confessionis, quam concionum fuit vtilitas. Aquis Sextijs flos totius ciuitatis eluit animi maculas generali confessione. Idem factitatum passim in alijs vrbibus: singulare hoc Metis contigit. Adolescens luxuriæ paternæ profusus imitator, audierat nostrum de confessionis generalis vtilitatibus disserentem; incessit iuuenem cupido experiendi, præsertim ad animi tranquillitatem, ex iactatione cupiditatum obtinendam: colligit culpas omnes vitæ superioris, easque rite paratus eidem Sacerdoti confitetur. Confessionem sequuta est optata tranquillitas animi, & incredibilis aduersus feroces ætatis impetus fortitudo, admirabilis denique morum mutatio: pergebat interea pater eius in veteri ratione; vitæque perditæ propositum, alea, comessationibus, luxu, constanter vrgebat; & filius id vnum voluebat animo, quomodo patrem ad frugem traduceret. hoc placuit consilium, viros oppidi principes orat, vt sibi apud patrem testes adsint; Illis præsentibus & ignorantibus adhuc, quid tandem vellet, sic parentem aggreditur. Quæro, inquit, ex te, Pater coram viris istis honestissimis, num me pro filio tuo agnoscas? Perculsus inusitata quęstione homo: Ego vero, inquit, fili te meum esse aio natum, teque, isto nomine vnicum amplector. Tum Adolescens; Quæro deinde ex te, quem scripturus sis hæredem? Hoc magis admiratus pater. Te inquit, vnum, iam nunc istis audientibus, hæredem ex asse facio, faciamque vt nulla re imminutum perueniat ad te patrimonium. Hic excipiens filius; Vos, inquit, viri amplissimi, huius meæ voluntatis testes estote. Cedo iure hereditatis, quemuis alium heredem scribe, me ne in ima quidem cera, vnum

modo abs te impetrem. Id te per paternam pietatem, per Deum immortalem, exorari sine.

SVSPENSIS expectatione testibus, Pater stupore defixus, vt respirare potuit; Quid vero, inquit, istud est fili? effare, si dari possint, Iuro me daturum. Id vero procliue est, inquit, natus, & difficultate caret: hoc si mihi das vnum, vt patrimonio caream, satis, superque locupletem me; si non das, in locuplete domo inopem me esse arbitrabor: Imo si non das, ne tuam quidem hereditatem cernam vnquam. Deierante iterum patre, se quidquid rogaretur daturum, si dari posset. O me beatum! exclamat Adolescens; Tu corporis mei, ego tui animi parens ero: Tu me Mundo genuisti, ego te Deo gignam. Peto abs te, Pater, id, quod tu tam sanctè obligatus negare non potes, quia non modo sine Dei offensa, sed summa etiam cum gloria præstari facile potest; Peto inquam, abs te, vt Patri Iesuitæ, concionatori nostro, confiteare omnes animi noxas; repetasque omnia fideliter à prima pueritia: & in eo filij tui exemplum sequare semel, qui tuum hactenus toties est sequutus. Recipio ego tibi coram istis, tantam te inde animi voluptatem indepturum, quantam non possis fingere cogitando. Obortæ omnibus lacrymæ, ad talem pietatis imaginem; & pater vberius, clariusque illacrymans, id se esse facturum pollicetur: fecit magno animi sensu, & à confessione, domum cum rediret, rogatus à familiaribus, quæ tandem voluptas mulceret animum, manantibus abunde lacrymis: Tanta, inquit, vt iam mihi creata omnia acerba esse videantur, neque diutius vobiscum esse possim, nisi vos mecum vitam mutare decernitis. Nunc & pater & filius, vt antea turpissime

flagitia

flagitia sectabantur: ita honestissimè concordes virtutem persequuntur.

COLLEGIVM TVRNONENSE.

IN Auditoribus fuere non pauci Caluinistarum filij, quos sui parentes hoc libentiùs ad nos mittunt, quòd passim audiant, & probent reipsa, eos & in literis diligenter à nobis doceri, & in ceteris omnibus, perquàm studiosè curari. Istis tametsi persuasum est, ac etiam exploratum, suos liberos haud diu. posse versari in nostris Scholis, quin sua etiam sponte Catholicam fidem appetant, & amplectantur; tamen ad nos mittere non desistunt: sed alij, aliis ducti rationibus, id faciunt: euentu tamen fermè pari. Nonnulli quidem, quod pueros domum, finitis studiis, reuocatos; reuocari continuò posse confidant, ab instituto rectæ fidei: quæ spes rarò illis succedit. Alij verò, quod cum Caluinus illis non tanti sit, vt non pluris sint & liberi, & liberorum bona educatio; eos & patiantur non modò fieri, sed viuere etiam Catholicos, dùm nostram doctrinam vel hac Caluiniani dogmatis ignominia, & iactura commodè nundinari possint: Ex eo numero duodecim circiter, eiurata priuatim hæresi, constantes perseuerant in fide, & pietate; quanquàm aliquos adhuc retinet vel metus, vel reuerentia parentum, ne se omnino prodant. Passus est vnius pater se feriri Anathemate à verbi prædicantibus, atque multos iam menses excludi cœtu fidelium, vt loquuntur, & cænæ participatione potius, quàm euoca-

rit filium è nostris gymnasijs, Geneuam destinatum à ministris, vt & alios quosdam, quorum duo euocati quidem sunt à parentibus timidis, sed otiosi malunt esse domi, quam Geneuæ negotij sui malè gerentes; ij autem si quando in nostros incidant, statim ad eorum conspectum prorumpunt in lacrymas ex desiderio Scholarum nostrarum.

Certe cùm ex alijs, tum ex hoc maximè capite, inuidiæ atque odij erga nos materiam sumunt Caluinistæ, quos non fugit multos, vtiles olim futuros milites, eripi non modo suis præsidijs, sed totidem pænè etiam expugnatores castrorum suorum, & instrui, & armari, in ea iuuentute, quæ ab eis ad nos transfugit. Hinc illa vota identidem inter ipsos iactata; hinc illi conatus de huius Collegij euersione, quam vt à Rege Christianissimo importunitate extorquerent, hisce annis aureos centies mille, & eo ampliùs abs se oblatos impudenter prædicant. Suis porrò machinationibus effecerunt, quod vnum maximè nolebant, & minimè opinabantur, vt hæc Academia longè notior & celebratior esset apud remotiores prouincias, ex quibus plerique studiorum causa in eam confluunt, iam inde ab excitata per Caluinistas in nos procella; idque ex intimis, vltimisque adeò Gallijs, quò penetrauit eiusdem Academiæ fama, æmulorum nostrorum odijs, & criminationibus, præter omnem spem, feliciter inuecta. In iuuentute autem ad pietatem informanda, non malè collocatã à nobis operam documento esse potest, quod delecti Adolescentes duo supra viginti, ex maiore numero extiterint, qui cum, Societaté cupidius optarent, cooptari peritorum iudicio poterant omnes, nisi in domo probationis & locus, &

res

res in angusto fuissent. Sex tamen in ordinem allectis, reliqui bene sperare, & aliud tempus expectare iussi. In diuersas porrò Religiorum familias, ingenti perfectoris vitæ proposito, & studio, concessere ex reliquis auditoribus non pauci.

QVODAM loco cùm dies aliquot Sacerdos è nostris moraturus diceretur, contubernium militum procul aduolauit confessionis causa, & quidem cum hoc Societatis elogio, nunquàm sibi videri satisfecisse officio Christiano, neque animo tranquillo esse posse, nisi apud homines è Societate crimina expiassent. Nobilis Dynasta filium, à quo erat indignè habitus, atque etiam domo exactus, omnino detestabatur, omnique spe veniæ prohibebat. Interim ipse sibi Deum propitium nihilo adhibebat magis, quam se filio; cum fouendi odij licentiâ, Sacramentis pridem abstineret. Tandem tamen, vno è nostrorũ hortatore, aditum sibi ad Deum, per Sacramentorum vsum; filio ad ad se, per culpæ condonationem patefecit. Alius necem parenti suo iniustè illatam, morte percussoris iampridem meditatus vindicare, Sacerdote vno ex nostris suadente, libenter remisit.

DESTINATI ex hoc Collegio plerique in loca vicina, remotaque, cúm Quadragesimæ, & Aduentus ieiunio, tùm alijs temporibus, frequentissimè; & vbique laboratum fructuose, atque inprimis in Diensi diœcesi, ea est apud Delphinates, fere in montibus, vallibusque posita, pagis & castellisque constans, potiùs quàm oppidis, longo sæpe tractu inter se dissitis, quæque idoneis pænè destituantur fidei, morumque cultoribus. Has latebras Caluiniani suo ingenio oportunum locum nacti, cupide occuparunt; & veneno infece-

runt

runt ſuo; Eo miſſi ſunt ab Epiſcopo duo ex noſtris, ineunte fere Auguſto, ex quorum trimeſtri labore in Catholicos, atque in hæreticos, fructus extitit haud vulgaris: profecturis tamen iis viſum eſt non attingere fines ſuæ prouinciæ, inconſulto Delphinatum gubernatore; Ad quem cum de Epiſcopi voluntate, & miſſionis ſuæ capitibus breuiter retuliſſent, Ille, tametſi Caluiniſta, ſicuti alias ſępe, tum etiam apertè ſignificauit, ſe neque à noſtris abhorrere, neque noſtram operam in hæreſi profliganda, ſibi eſſe ingratam. Poſtea quàm enim paucis eos iuſſerat eſſe memores Regij Edicti, quo vetitæ ſunt turbulentę de rebus fidei altercationes, ſuamque operam liberaliter obtulerat, ſicubi ea opus eſſet; perhumaniter dimiſſos iuſſit ire auſpicatò.

AB iſto digreſſi inciderunt in eius propinquum rei bellicæ præfectum, Caluini quoque ſectatorem, à quo ſunt in hæc fere verba comiter & honorifice appellati. Itis, Patres mei, vti video, in noſtra montana ad exterminandos abuſus, erroreſque conuellendos; ſed eſtne aliquid in quo authoritas, fideſque noſtra vobis vſui eſſe poſſit? Atque hęc voce. vultuque congratulantis, & probantis cum dixiſſet, fauſta eſt illis precatus. Certè aut paris, aut etiam maioris beneuolentię ſignificatio, multis deinceps locis aduerſum nos ab hęreticis profecta, vt nihil aliud boni pręſagiat, veritati virtutique luculentum teſtimonium pręſtat. Poſteaquàm ventum eſt in deſtinata loca excipiebantur amicè, & liberaliter tractabantur in ædibus hereticorum, ad quos accedebant oppugnandos: & quidem pręter cęteros à Dynaſta non exigui inter eos nominis, & Caluini ſtudioſiſſimo, toti

octo

octo diebus tám honorificè habiti sunt, vt nihil supra expectari posset ab amantissimis Catholicis; cùm interim idem palàm prædicaret feliciter secum agi, quod in huiusmodi hominum cognitionem venisset.

Valde commouebat hæreticos, quod certum erat, clarumque nostros non suæ, sed alienæ causa vtilitatis, in eos montes magno labore contendisse; allato scilicet secum viatico, ne cui graues essent. Atque ea res illis dignior laude videbatur, iucundiorque accidebat; quod perspectum haberent adeoque iactarent palam, nihil vnquam tale fieri à suis Ministris, quos non animarum sed quæstus cupiditas in ea loca deducit. Varius autem fuit animorum motus in hæreticis, prout quisque affectus erat erga Caluini dogma. Multi eò adducti sunt vel publicis concionibus, vel priuatis colloquiis, vt inciperent de suo dogmate malè sentire; de Catholica verò doctrina & moribus, non paulò melius quam antea, sed omnino bene: non pauci verò, vt nostram non improbent vllo modo; certè, quia rationes se putant habere cur adhuc Caluino studeant, dolent vt quàm maximè, eo nunc primum venisse homines, à quibus Caluinismi turpitudo, & impietas detegatur, labefacteturque. Hunc porrò suum dolorem haud sanè dissimulant; passim namque affirmant optare se præcaueri potuisse maturè, ne ad se iretur tanto suo malo: & istam nostrorum apud ipsos exigui temporis moram, ingenti pretio redimi. Ex multis, quæ in proximos collata sunt auxilia, ista seorsum ponemus.

Decem è Caluini fæce ad Ecclesiæ puritatem emerserunt, & in ijs duæ nobiles matronæ: earum

altera ſuperiore anno eundem Sacerdotem, qui nunc miſſus eſt, audierat priuatim diſſerentem de rebus in fide controuerſis, cuius ſermone adeò commota eſt, vt ab ea die nunquam animo conquieuerit vſque in eam horam, qua Caluino apud eundem eiurato, ad Eccleſiæ Catholicæ pacem ſe contulit. Tum enim veluti diſcuſſis nebulis, iucundiſſima illi exorta eſt mentis ſenſuumq; omniũ tranquillitas; totis interea quatuor diebus, qui abiurationẽ proximè anteceſſerunt, ea non ſomnum cepit, non oculos clauſit, cùm identidem perſonarent aures illius huiuſmodi vocibus, Quid agis miſera? miſera quid agis? perſeuera, perſeuera vti nũc es. Quæ voces valdè tenuerunt iis quatuor diebus, ſed potior tandem fuit veræ fidei cogitatio, & amor veritatis. Affirmat autem ſe vnius tantum viri hæretici metu prohiberi, quominus Catholicos ritus palam profiteatur, & ſeptem filios, totamque denique familiam ſecum adducat in caſtra Eccleſiæ, quod tamen præſtabit ſi clam marito fieri poterit. Nongenti ſacra exomologeſi ritè expiati; ex iis quadringenti totius vitæ ſordes eiecerunt.

CVIDAM iuriſperito fuerat in votis totos viginti annos confiteri apud aliquem è noſtris, quod poſtea quàm in aduentu noſtrûm impetrauerat, feliciter migrauit è vita. Confluebant ruſticani ex nouenis, deniſque paræciis in templum concioni deſtinatum, idque ex aratro, & ceteris operibus, per medias hæreticorum phalanges ſtupore attonitas, & in reditu roſariola è manibus pendentia, imagunculas galero affixas præferebant ludibundi, hæreticis muſſitantibus, & propè conſternatis. Redeuntes noſtros, vix dici poteſt, quàm ægrè abs ſeſe auelli paterentur: quanta

quanta grati animi significatione constrata magnificè iumenta offerrent; magnam pecuniæ vim prope inferrent in sinum; Quæ omnia cùm modestè remitterentur, instituti nostri exposita ratione, à lacrymis non temperabant, à complexu ægerrimè diuellebantur. Romoni vicino in oppido, multa quoque vtiliter ad animorum salutem effecta concionibus habendis, Catechesi exponenda, confitentium maculis eluendis, sedandis propinquorum, aliorumúe discordijs, hæreticis Ecclesiæ reconciliandis, & cæteris huiusmodi, ex Societatis instituto, præstandis. Eo in oppido Catholicum ægrotantem hæretici vicini adierûnt per speciem officij, pietatisque, reuera tamen vt homini non ita cauto, inspergerent quædam de Caluini erroribus, quod & fecerunt, vt sibi videbantur, callidè; sed ea res non fefellit Catholicos, à quibus monitus qui aderat è nostris, moribundo adfuit in tempore, vt & haustum venenum propinato antidoto depelleret, & salubrioribus mentem eius reficeret epulis, Sacrosancta scilicet Eucharistia, quam præierat sedula de totius vitæ cursu confessio.

Cvm florentibus vineis exitium afferret incredibilis vermiculorum copia, toto agro Romonensi fusa, indictæ publicæ preces, quibus semel, iterumque ritè peractis, derepente lues infesta oppressa est, & paucis post diebus omnino sublata. Alio loco accersitus notarius, qui extremam ægrotantis nobilis voluntatem scripto exciperet, deprehendit hominem interea de potestate mentis exisse: cui cùm cereum agnum, quem religiosè seruabat, ad collum appendisset magna fide, & pietate, derepentè sanauit.

Ado-

Adolescens vitæ deprauatæ patris monita non ferebat, quin conuitium ei facere solitus, ea nocte, qua nascentis Christi memoria colitur, impellente tetro spiritu, quem adstitisse sibi eo tempore,& infanda imperasse retulit;exiliens è lecto parentem decumbentem multis excepit verberibus: sequenti deinde die popinam, & ganeas cogitans, pro consuetudine loci tantùm adit templum,cum haberetur concio ab vno è nostris,Deoque ita prouidente, præter morem constitit, eaque audiit, quibus planè immutatus est:vt sequenti nocte eadem hora, qua in parentem nefarias manus intulerat, bono quodam genio hortante, vt affirmauit, dormientem patrem adierit,prouolutusque in genua,multis lacrymis præteritæ noctis flagitium professus, & detestatus,veniam supplex rogarit. In oppido Catholicus erat vnicus,ceteri omnes Caluinistę. Ille morti proximus,hęrebat Caluinumne ascisceret, Christo repudiato? vt erat parum certus de vera fide,& dæmon dubitationem augebat:quàm vt senserunt hæretici, accurrunt,& quò volunt facilè impellunt hæsitantem; nostros verò qui aderant ijs diebus,omni aditu excludunt; sed ij,implorata magistratus ope, Regijque edicti proposita auctoritate, vix tandem admissi, ægrotum in fide confirmatum,& Sacramentis omnibus munitum, vt Catholico ritu excederet, magno eius bono & vicinorum gaudio præstiterunt.

Cvm Turnonius Comes, cui angustiæ nostræ, & perspectæ, & molestę erant, nostris vsibus commodum necessariumque, splendori verò suo consentaneum esse pridem iudicasset, vt ad laxationem ędium nostrarum fieret accessio; hoc tandem anno in eam rem serio animum adiecit,& quà

quà rationibus, quà authoritate impulit ciues, vt ea de re nobiſcum tranſigerent ijs conditionibus, quas ipſe non modo perficiendi negotij impulſor & author, ſed ſtipulator, ac ſponſor, etiam conceptas propoſuit & perſcribi curauit. Mox continuato pariete ab ędibus noſtris ad illas veteres coemptas, incluſa eſt platea media inter vtrumque domicilium; extititque locus peropportunus, in quem, ſublato à ſcholis omni tumultu, transferrentur omnia rei familiaris miniſteria. Veruntamen non hac parietum externorum procuratione, ſe continuit egregia voluntas Comitis optimi, cuius animo grauior iampridem inſederat cura rerum interiorum, & maiorum: ad quam ſe ipſe hoc tempore acrius etiam accendit, ingenti ſtudio amplificandę & perficiendę huius academię. Nam, qua eſt beneuolentia in Societatem, & propenſione in reipublicę bonum, ęgrè ſemper tulit deeſſe huic academię curriculum Theologicum, hoc eſt, non ſuppetere idoneos reditus ad illud inſtituendum fouendumque. Quos quo minus de ſuo iam attribuerit, neque voluntas neque facultas vnquam defuit, ſed ipſa temporum ratio, & rerum noſtrarum Gallicarum ſtatus obfuit: quę ſimul ac erunt meliore conditione, quod propediem futurum haud dubiè ſpondet propenſiſſima in Societatem, & luculentis iam argumentis probata Chriſtianiſſimi regis voluntas; Comes deliberatum habet perducere huius Collegij reditus, ad duûm millium aureorum ſummam, quę ſatis ſit curriculo Theologico integro, ſupra ceteras ſcholas adiungendo. Ceterum ex quo reſciuit conſilium ſuum, atque eximiam voluntatem de hac perficienda academia, non probatam modò, atque

que laudatam à Reuerendo Patre N. Generali, sed libenter etiam ac cupidè esse acceptam, cum in eam rem esset anteà propensissimus, tanto factus est incitatior, atque ardentior; adeoque id vnum illi cordi est, vt nullius rei, quàm huius mentionem libentius faciat; nullum quàm hunc sermonem cupidius persequatur. Bibliothecam porro nostram ornauit, & auxit clarissimus vir, & Societatis amantissimus, eximio munere commentariorum Tostati.

COLLEGIVM CAMBERIENSE.

SACERDOTIS nostri suasu, tulit sententiam Senatus, qua medicis interdixit, ne secundo, aut tertio, ægrotum visitarent, nisi Confessionis Sacramento expiatum: quo facto multorum saluti consultum est. Quatuor à Caluini castris, ad Ecclesiam redierunt, quorum vnus auditor noster erat, qui hæresim Lausannæ ebiberat, cuius ita retinens erat, vt nullo modo nostrornm colloquijs ab ea discedere vellet: sed Dei numine morbo correptus, Sacerdotem nostrum sponte vocauit, à quo in gremium Ecclesiæ receptus, post tres horas migrauit è vita. Alter fuit Chirurgus, qui cum esset missus à Gebennensibus ad milites hæreticos saucios curandos, captus est à quodam Duce Catholico, bimestrique spatio carceri mancipatus, post quod libertate donatus, animũ adiecit ad veram fidem suscipiendam: quod fecit in nostro Collegio, ad quod quotidie veniebat ex pago, duobus milliaribus ab eo distante, summa omnium voluptate,

tate, & admiratione.

MISSIO GAILLARDANA.

PRIMI omnium, qui finito bello ad Parochias Gebennæ finitimas redierunt, vt Catholicos non ita dudum conuersos in fide confirmarent, fuerunt duo è nostris Patribus: qui, cũ nulli alij Sacerdotes in Gebennæ vicinia inuenirentur, necesse habebant eodem die bis, in diuersis Ecclesijs, rem diuinam facere, & in tribus, quatuorue concionari. Cruces à Gebennensibus prostratas erigendas curarunt. Eorum qui in Paschate confiteri, & sacram synaxim percipere per belli incendium impediebantur, confessiones exceperunt, impertito eis postea augustissimo Eucharistiæ sacramento. Matrimonij, & Confessionis, Communionisque sacramenta, conuenientibus in templum Parrochianis administrarunt; moribundis Eucharistiam dederunt, omniaque Parrochorum propria officia ex charitate exercuerunt. In hac missione Sacerdos vnus è nostris septem Caluinistas, post abiuratam hæresim absolutos, Catholicæ Ecclesiæ restituit. Ex his mulier annos sexaginta & amplius nata; Alius qui annum quinquagesimum attigit; Tertius Gebennensis, qui tùm Gebennam, tùm vxorem ibi commorantem, quod fidem Catholicam amplecti nollet, reliquit, vt Lugduni inter Catholicos ageret: alius Sacerdos quatuor Ecclesiæ Catholicæ aggregauit.

IN celebri Gebennensium concursu habitæ conciones ab vno è nostris, qui ad ædem dirutam

ſacrum fecit, & panem benedictum diſtribuit, admirantibus omnibus, qui nihil tale à ſexaginta annis viderant; cum vero aſtantem populum Chriſtianum aqua luſtrali, quam ipſe confecerat, aſpergere cœpiſſet, Gebennenſes fugam arripuerunt, & Catholicis riſus materiam dederunt. Poſt tempus breue concionatori narrauit Gebennenſis quidam, ſe à conciuibus in diſcrimen adductum, quod ſe nimis attentum concionanti præbuiſſet, acſi nimiam ex ea voluptatem perciperet. Mater à filio iniurijs laceſſita eum domo expulit, tantúmque animo dolorem ex contumelia excepit, vt ad flumen profecta ſe in aquas immerſiſſet, niſi ab aliquo inſequente prohibita fuiſſet: tamen noſtri Sacerdotis induſtria factum, vt illa filio culpam omnem condonaret, eumque in domum ſuam ægrotantem reciperet, à qua ipſum prius eiecerat. Duæ honeſtæ Matronæ eædemque affines, tanto inter ſe odio exardeſcebant, vt ne ſibi quidem inuicem ſalutem impertirent: quod cum etiam in templo fieri animaduerteretur, & inde multi offenderentur, eas Confeſſarius noſter induxit, vt ante confeſſionem ſe mutuo amplecterentur, & noxam omnem ſibi inuicem remitterent; quod fecerunt profuſa etiam magna lacrymarum vi.

Nobilis quidam ad Iubilæum conſequendum profectus, in eas anguſtias incidit, vt ad contumeliam ſibi illatam vlciſcendam, fratrem ad inimicum miſerit, qui ei duellum indiceret ipſo die ſacro Beatę Virgini naſcenti, niſi ſe quorundam verborum pœnitere fateretur. Id Sacerdos noſter vbi reſciuit, rem totam ſedauit, & alterum confeſſione expiauit, ſacroque pane pauit. Duo fratres lite cum quodam contendebant, ingentemque pecuniæ

pecuniæ ſummam toto biennij ſpatio, quo exercebant inimicitias, impenderant multo operæprecio, iamque non ſolum de tribus florenorum millibus agebatur, ſed etiam res ad internecionē tendere videbatur; cumque fratrum animi omnem lapidem mouiſſent, vt cum aduerſario rem pacifice tranſigerent, in vanum laborauerunt. Tandem tamen de cuiuſdam Eccleſiaſtici conſilio, fratres ipſi ad Sacerdotem noſtrum acceſſerunt; qui tot impenſarum faſtidio affecti, dolere ſe aiebant, quod inimicitiarum cauſa, ſacram ſynaxim percipere non poſſent: ſeque omnem operam dediſſe, vt inimico ſatisfacerent; ipſum vero, neque precibus, neque minis adduci poſſe vt lite deſiſteret, & niſi Sacerdos noſter authoritatem, qua plurimum apud eum valebat, interponeret, rem omnino eſſe deſperatam; nihilque aliud niſi extremam vtriuſque partis ruinam expectandam; præmiumque ampliſſimum daturos ſe, ſi res tota componi poſſet: mirum dictu; tota controuerſia ſopita eſt, & lis præſente Sacerdote, à quatuor arbitris dirempta eſt; fraterque alter poſtea inimico reconciliato faſſus eſt, atque adeò aliis, ſe inimicum perſæpe ad mortem quæſiuiſſe, ſemelque tentaſſe vt eum ſclopi iactu interficeret.

DVÆ Sodalitates in honorem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti erectæ, progreſſu temporis omnino collapſæ erant; Has Sacerdos noſter in priſtinum ſtatum magna multorum gratulatione reſtituit, ſupplicationeſque celeberrimæ, quæ tot annis intermiſſæ fuerant, nunc ſtatis diebus fiunt. Templi cuiuſdam turris incendio, vnâ cum campanis, conflagrauerat iam a decem annis; concionatoris noſtri voce permoti ſunt Parochiani ad eam

instaurandam, campanasque ibi collocandas: manus iam operi admora est, speramúsq; fore vt propediem res ad finem perducatur. Personæ duæ, quarum corporis salus erat desperata, sumpto Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramento, breui conualuerunt. Duæ item aliæ, aspersione aquæ lustralis potúque, ac esu panis benedicti, conualuerunt à morbo, quo tenebantur. Ex trecentis Catholicis recens ad fidem conuersis, vix tres fuerunt qui in fide nutauerunt, licet quotidie fere omni tempore cum hæreticis versarentur, & a militibus tùm Catholicis, tùm etiam contrariæ Religionis vexarentur, & spoliarentur. Vix item fuit Dominicus dies & festus, quin aliqui Christi corpore animum reficerent.

COLLEGIVM
DIVIONENSE.

Collegivm Diuionense ab annis octo, & dimidio dissolutum, hoc tandem anno prope exeunte, ex Edicti Regij præscripto restitutum est. Quo tempore abfuit ab ea vrbe Societas, tantum fuit omnium de ea recuperanda desiderium, vt singulis prope annis missi fuerint, de communi totius Burgundiæ consensu, Legati ad Regem, qui collegium repeterent, ac pro Societate sponderent. Vota innumera Sanctis in eum finem nuncupata, peregrinationes initæ, supplicationes publicæ habitæ, omnibus æque negantibus bene vnquam fore ciuitati, nisi Societate reuocata. Edictum porro Regium Senatus, tanta beneuolentiæ in nostrum ordinem significatione confirmauit, vt ab eius promulga-

mulgatione Martinalia placuerit, vt illi aiebant, benedici; is est primus dies, quo ius dicere incipiunt, post longiores vacationes. Illud etiam obseruatum, eos, qui alienissimo erant à nobis animo, nostra absentia sic mansuefactos, vt palam profiteantur, se deinceps non posse non esse nostro ordini amicissimos. Cum autem Collegium & male omnino dotatum esset, & ęre alieno plurimo grauatum; communi omnium consensu decretum, vt duo francorum millia dotationi adderentur in annos singulos, & publica pecunia fieret creditoribus satis: vt optabile fuerit Collegio illi cadere, vt sic resurgeret. Initium scholarum frequentes pręsentia sua cohonestarũt viri Principes, ac Consulares ad vnum prope omnes, & Oratorem nostrum de nostra restitutione verba facientem audierunt.

COLLEGIVM ANICIENSE.

PHILOSOPHIA anno superiori in probationem data, hoc anno dotata est, assignatis ad alendos professores duos, mille quingentis libris. Auxere Collegij ambitum ædes quinque, quarũ duæ Reuerendissimi Episcopi liberalitate coëmptæ: Collegij inopiam idem Reuerendissimus trecentis libris vltrò oblatis peropportunè subleuauit. Votiuis peregrinantium profectionibus non magis vrbs celebris efficitur, quàm templum nostrum frequens: imò experta in templo nostro nostrorum salubris opera, peregrè venientes animi languoribus, ac peccatorum sarcina opportunè leuantium,

& hos ad repetendam sępius profectionem allicit, & alios eadem spe illectos inuitat. Ciuium non minor ad nos, quam peregrinorum concursus; videas celebrioribus diebus, aliquot horis antè lucẽ, templum nostrum sacramenta requirentium multitudine oppletum, duratque ea frequentia ad meridiem, nec omnibus eo interuallo satis fit. Non pauci etiam quarta antè lucem hora, ad templi fores expectaturi veniunt vel adulta hyeme: ibique ad lucernam Æditui præstolantur aduentum, moras temporis nonnunquàm libri spiritualis lectione leuantes.

Volvit Reuerendissimus Episcopus sex octoue habere Sacerdotes è nostris, qui in æde maxima virgini Deiparæ sacra, venientium peregrè, ciuiumque confessiones exciperent. R. P. Visitator duos duntaxat concessit; ijs attributus est commodissimus ad id officium locus, erectaque in ea æde sacra tribunalia, in nostros duntaxat vsus cessura.

Primario cuidam Abbati placuit, nostra vti opera ad finiendas suorum controuersias; factum ita, ac iuuante Deo Cænobitarum animi mutuo inter se amore colligati. Non desunt nobiles, illustresque familiæ, quæ nostram in rebus spiritualibus operam identidem requirant, nec solemniores anni dies sibi rectè transegisse videantur, si sine nobis. Sua infirmiori etiam sexui detur laus. Honestæ aliquot puellæ de his, quæ in templo nostro spirituali lacte nutriuntur, stipem ostiatim, atque ad templorum valuas corrogare non erubescũt, vt corrogata cùm spirituali fœnore in pauperes erogent; ac tentata innumeris contumelijs earum patientia, dici non posset quantam prodiderit

derit in puellaribus animis firmitudinem atque constantiam.

E nostris vnus hùc Auenione primum appulsus, in morbum inciderat sanè difficillimum, ex loci, quod videbant omnes, insolentia; is cum extremam literarum, quas manu propria B. P. Ignatius obsignarat, particulam, exiguam quidem illam, sed in qua obsignantis dexteræ pondus acquieuerat, è collo appendisset; B. P. implorauit, ne minor in se foret eius benignitas & virtus, quam in alienos iampridem extitisset, atque in dies existeret. Implorationem hanc optata sic excepit sanitas, vt præter nostrorum, ac medici, viri alias experientis opinionem, duabus post horis febri caruerit, belleque habuerit. Id cum altero ab hinc anno contigerit, non ante hunc reddere licuit, quia modum accepti beneficij hactenus reticuerat, qui acceperat.

Alivs in Arueniam profectus feminæ nobili, intolerabili quodam dolore ex partu laboranti, dedit partem quamdam exiguam reliquiarum B. P. Ignatij, authorque fuit concipiendi voti in honorem eiusdem B. P: eo facto, soluti quàmprimum dolores, ac se mirata est femina, tam nouo tamque præsenti auxilij genere restitutam.

Mvlieri imponebat dæmon, specie defuncti cuiusdam sibi cognati, ac consilia puellæ suggerebat minimè salutaria, quæ dum illa consultis nostris exequi omittit, à dæmone vulneratur, qui eam etiam semi-necem relinquit; resumptis viribus vrgetur ab eodem, minas adhuc grauiores intentante: illa edocta à nostro, atque ab eodem munita sacro amuleto, hostem non timet timentem sibi à sacra bulla, hortantemque illam abijciat

 quasi

quaſi inutilem, ac datam ab homine ſibi inimiciſſimo. Illa ex timore inimici audentior facta, ſenſit in reliquiario, ac cera conſecrata, magnũ poſitum eſſe præſidium aduerſus dæmonem, à quo non eſt amplius nec læſa, nec illuſa.

COLLEGIVM BITERRENSE.

EX eorum numero qui exacto Philoſophiæ curſu præſente Senatu, vrbiſque primoribus publicum doctrinæ ſpecimen præbuerunt, vnus fuit non infimæ conditionis, matre natus hæretica, eximiam præ ſe gerens indolem, comis, officioſus; ſed prauis erroribus pertinaciter tuendis contumatior, qui diſcuſſa tandem tenebrarum caligine, veritatis radiis locum dedit. Is ab ineunte adoleſcentia, adeo hæreſim imbiberat, vt per quatuor eoque amplius annos, quibus litteris humanioribus vacauerat, quæ ab hauſtâ ſemel prauâ doctrina aduerteret aliena, prorſus reſpueret, & ad ſalutis monita planè obſurdeſceret. Vrgentibus tandem commilitonibus, præſtitit ſe auditurum libenter Patrem è noſtris, qui per id tempus in D. Nazarij ex ſuperiore loco agebat ad populum; fidem liberauit, concionibus ſæpenumero interfuit, ſed hiſpidus, & malignus ager ſementem diuini verbi minimè accipiebat: ſemel tamen nouo, præter ſolitum, numinis afflatu perculſus, templum ingreditur, patulas, ſecundaſque oranti aures accommodans. Is forte acriter inuehens in perditos illos, ac profligatos rerum diuinarum retractatores, eorum aſtutias ponebat ob oculos, ſimul imperitę

peritæ multitudinis deplorabat exitium, quæ illud Cananææ mulieris verè posset vsurpare; Filia mea male à dæmonio vexatur. His auditis ita fuit immutatus, vt proxima sequente nocte, cunctis rei nouitate perculsis, idem ipsum, quod in concione hauserat, clara voce, vbertimque manantibus lacrymis, iterùm, ac tertiò emitteret. Ergo certus vocantem sequi Dominum, Patrem à concionibus adit,, promit animum, postque multos, ac varios cùm hæreticorum antesignano sermones habitos, eiusque fraudes explicatas, dat manus; pollicetur trium intra diérum spacium, Ecclesiæ Catholicæ nomen daturum. Vrgente Patre rem eius momenti, cuius est animi salus, minime proferendam: Rectè, inquit, Quid si improuiso mortis vadimonio euocarer; atrum, aut candidum calculũ ab inexorabili iudice laturus in sempiternum? Vbi crastinus illuxerit, adero: venit summo mane, & Partheniis quibusdam Sodalibus stipatus, in sacello Deiparæ virginis, mira mentis suauitate perfusus, hæresim deposuit.

QVO autem diuini beneficium auxilij esset illustrius, eodem ipso die ciuitatis templa omnia in oculis, & conspectu omnium est ingressus; precibus multo animi sensu profusis, domum petijt, matrem flexis genibus orantem offendit; hæc vt nati vultum longè alium, solitoque sereniorem vidit, rata, id quod erat, Catholicam fidem amplexum, dat se mœrori, & lacrymis. Ille contra triumphans gaudio, & superfundenti se lætitiæ vix temperans; Gaudendi ait, mater, locus, non lugendi, saginatus vitulus iugulandus, quando vnicus tuus perierat & inuentus est, mortuus erat, & reuixit. Ex illo non desistit eam, quà precibus, quà

vali-

validiſſimis rationibus ad idem vitæ inſtitutum ſequendum fatigare. Magna nos ſpes tenet, parentis animum, quamuis contumacem, filij exemplo expugnatum iri.

HVNC veſtigiis conſecutus honoratiſſimæ imaginis adoleſcens, is Nemauſo (aſylum eſt profligatæ ſpei hominum) Biterras ſe contulit, liberalibus artibus animum applicaturus, ea animi inductione, vt in qua natus, & à primis annis educatus fuerat, hæreſim ſartam tectamque conſeruaret; nihilo tamen minus ſub primo grammaticæ præceptore ſacramento dicto, ſucceſſu temporis ſociorum pietate incitatus, magiſtrum pro ſuggeſtu Chriſtianæ fidei myſteria expromentem cœpit audire libentius, cumque ad virtutem videretur paulo magis, quàm ante procliuis, aureſque pronas habere, & vacantes ad auſcultationē veritatis, rogatus eſt præcipua quæque capita, nobis cum eius farinæ hominibus in controuerſiam venientia, modò cùm Patre, modò cùm ſectariornm ſignifero conferre. Contulit, Deoque oculorum caliginem diſpellente, fidei fanum eſt ingreſſus, tanta animi alacritate, vt propalam dictitaret ſectariorum doctrinam numeros omnes habere falſitatis, vt pote ſtygiis enatam oraculis, noſtram verò fidem partes veritatis omnes eſſe complexam. Id vbi accepere nouorum dogmatum Architecti, & ſatores, tenebrarum ſuarum antiſtitem, & choragum adeunt, maturato opus clamitant, ouem rapacibus lupis (hoc enim apud illos nomine ſumus, & loco) à fidelium cœtu diuulſam, ad ouile Chriſti reducendam.

AD ſerum diei, primis ſe infundentibus tenebris, lucem exoſa manus, orci emiſſaria, vno agmine

mine in ædes irruunt; æſtiui erant dies, iamque cibo ſumpto Neophytus Adoleſcens honeſtæ recreationi ipſo in cubiculo animum dabat, cum ſe ex inſperato, fremebundo illo factioſorum hominum globo cinctum aduertit. Primò increpant vniuerſi, vt ſingulis cuiuſque lymphata mens ſuggerebat, ipſe omnium anteſignanus ſilentio facto, omnium ſermonem ſuſcipit; in verbo verba dare conatur: fucato primum lenocinio demulcens, tum quanto dolori ſit futurus matri, nunquam expectatæ defectionis nuncius, nec opinatus. Poſtremò vbi infractum videt animum, in noſtros, quorum conſilio rem totam geſtam ſciret, petulanti libertate, & inuidioſa verborum atrocitate inuehitur; hinc ad ſuos verſus, velut exhilarata vultus, verborumque ſerenitate, ſpei aliquid reſtare dicit, nedum obſtructa eſſe omnia; non ſalutem conclamatam; patere omnibus diuinæ benignitatis fores; vnicum ſanitatis remedium videri, ſi ad illi ſanam mentem reſtituendam, vnanimi ad Deum preces fundant. Poſthæc, aliaque permulta, adoleſcens iniurium, & fucatum ſermonem reſponſo indignum ratus, lepido dicto contentionem omnem clauſit; ægrè, inquit, habeo quem mei cauſa tuliſtis, laborem, certe ſi in paterna domo agerem, accerſerem perquam libenter puerū à cyathis, qui vobis, ex diutino clamore ſiti oppreſſis, propinaret. Hoc faceto dicto dimiſſus irę, ac furoris plenus per ditorum hominum cuneus. Ex illo icones, globulos ſacros, coronam B. Mariæ, & id genus alia virtutis incitamenta, ſacrarum rerum numero habuit, preceſque horarias, ne quando obliuiſceretur domi, thoraci annexas geſtauit. Denique commilitonibus ſuis eo fuit ad omnē pietatem exemplo,

vt

vt non tyronem Christianismi diceres, sed inter pomeria natum Orthodoxiæ. Duobus illis fuerat incitamento ad Christi fidem amplectendam, nostrorum Scholasticorum alius prouectioris ætatis, qui simul ac nostris est initiatus sacris, Partheniorum sodalium numero voluit adscribi: quo factum, vt auxilio B. Virginis, cui se totum manciparat, interruptis per aliquot annos studijs, ijs intra biennium, nec quoquo modo, sed labore assiduo, feliciori successu sit perfunctus. Insignis quoque fuit conuersio cuiusdam natione Hispani ex familia D. Francisci, qui monachismo relicto, abiecta cuculla, Caluinianam hæresim fuerat professus, quod ineptus esset habitus, qui sacris initiaretur: cum enim iam factus Caluinista, à ministris Caluinistis mitteretur NemausioMont-Albanum, contigit, vt dum transiret Bitterris, & in portis ciuitatis peteret duci se ad domumMinistri Caluinistę, ad quem habebat literas commendatitias, dolo minime iniurioso ductus sit ad nostrũ collegium; vbi à nostris edoctus, & persuasus post paucos dies, iam resumpto habitu, acceptoque commeatu, eximia Consulum liberalitate, Romam missus est, quæsiturus peccati sui absolutionem.

EGREGIAM pacificationis laudem nostri tulerunt; multorum namque inueteratæ inimicitiæ in arctissimam amicitiam versæ. Matronæ duæ longe nobilissimæ, primoribus ciuitatis coniugij nexu colligatæ, tres & viginti iam annos graues simultates gerentes, capitali inter se odio dissidebant: tentata multo ante tempore res, illustrium virorum authoritate, ad concordiam adduci minime potuit; nimirum exulcerati lethali vulnere animi, ad salutaria sanitatis monita penitus obdurue-

rant.

rant. Has vnus è nostris, semel, aut iterum sermone habito, in pristinam gratiam, amicitiamque reduxit, nec à se inuicem modo veniam supplices petierunt, sed incredibili ambæ voluptate perfusę in oscula, & amplexus venerunt, ingenti vi lacrymarum expressa, madentibus oculis, ac genis; planè vt omnibus constaret, discordiæ fomitem omni ex parte extinctum. Earum altera, haud multo post, vel vno elapso mense, discessit è vita; ingentibus prius Deo, ac Societati gratijs habitis, quod non vltimum vitæ diem obijsset, quàm inimicæ iniuriam condonasset.

SIMILE quippiam in præpostero, atque peruerso homine contigit. Impurissimus, ac turpissimus vna omnium voce dicebatur, quod voluptati, sensuumque indulgentiæ nihil non tribuere esset assuetus; alia omnia cogitantem, ingens vis morbi adorta est, qui & ipsi causa salutis fuit: tenebatur lecto corporis doloribus oppressus, & retorquens in posteriora mentis oculos, arguente ipsum scelerum conscientia, præteritæ vitæ annos recogitabat in amaritudine animæ suæ; cum derepente se illi horrificæ malorum geniorum species objiciunt, vnaque præ ceteris horribilior, quæ accensas manu faces vltrò, citróque contorquẽs, extrema inferorum supplicia intentare videbatur. Territus animi miser, obriguit primò, sistendum se coram tribunali præfractæ, & inexorabilis Iustitiæ credebat; incertus gratiæ, ne viuus in Tartarum, cum ipsis, vt aiunt, vestimentis illico raperetur; dehinc vbi sese paululum ex pauore collegit, supplices ad cœlum tendens manus, magno clamore diuinum implorat auxilium. Ad eas voces (mirum dictu) atra illa, & feralis dęmonum turba discessit,

ſit, reperit animos, & paululum reſpirat a metu; tum verò ſtygius Protheus minaciori in ipſum vultu inſurgit, iugulum petens; tremens ille, & tùm obiecta re adeo terribili, tùm ſubito mentis motu exalbeſcens, nec attollere oculos, aut hiſcere audens, ſuſpenſus animo fuit, ſéne illi permitteret; cum pręſentiſſimam diuini numinis opem ſenſit, eam mentem obijcientis, vt quam primum luceſceret, Sacerdotem noſtrùm curarit aduocari: quo viſo, protinus terrorum aculeos omnes, ſcelerumque colluuiem è pręcordijs exhauſit, piaculari iudicio conſciæ ſibi mentis facto, exiguoque poſt ſpatio, ex conclamata fermè valetudine ita emerſit, vt illi Deus, quemadmodum animi, ſic corporis medicinam feciſſe videretur: caſtigato dehinc vetere luxu, nouum induit hominem.

Alivs, ætate, & offenſionibus grauis, non tenui loco ortus, cum per duodecim, aut circa, annos in flagitiorum tenebris & cœno iaceret, in Chriſti lucem extrahi ſe nullo modo patiebatur, atheus verius, quam Catholicus, aut hæreticus; per noſtrorũ vnum diu, multumque obluctans, ad euomendam animi ſaniem, plagaſque nudandas, tandem aliquando eſt perductus, nec plus tribus menſibus ſuperſtes vixit. Multorum damna, qui inauſpicatis nuptijs coniugati ſimul agebant, reſarta, ſunt enim hic promiſcua connubia, nihilque Religioni ducunt filias vxores illis adiungi, quos inter, prohibitus neceſſitudinis, & cognationis gradus intercedit; eiuſmodi contagionem quotidianum cum hęreticis connuerrium intulit, ex quibus tamen quadraginta, præter ſupra memoratos, ad integerrimam Chriſti ſponſam, cui repudiationis

nis tabellam dederant, denuo se adiunxerunt; omnium tamen insignis planè extitit nobilis, atque ornatæ matronæ conuersio, quæ retundendæ hæreticorum audaciæ luculentissimam occasionem præbuit, ob habitas cum his disputationes duas, de quarum vtraque aliqua breuiter perstringam.

Ipsivs coniux, tùm amplissima Consulis dignitate perillustris, tùm studio Catholicę religionis promouendæ, quam Tolozæ non ita pridem fuerat professus, omnibus carus, ardentissimo tenebatur desiderio vxoris in eadem ipsa Christi castra deducendæ. Quæ nihilominus nostræ Societatis homines ita ingenito prosequebatur odio, vt ne ipsum quidem Iesuitarum nomen æquis auribus vsurparet. Hic patrem qui per id tempus populo erat à concionibus, conuiuio èxcipit, opportunissimam fore occasionem ratus cum ea congrediendi: illa primum coniugis dolum subodorata, eius latus nudum reliquit; haudque adduci potuit, vt in patris conspectum se daret. Pater omnia momenta obseruabat, quò eius aures nancisceretur, optatis respondit euentus; in eius sermonem se insinuauit, breuique secretiora fidei nostræ mysteria adeò facilè explanauit, clare vt videre posset, se intra huius Ecclesiæ septa contineri, quæ plurima sibi opposita amplecteretur. Nutare cœpit, immotus ante, mulieris animus; verum se ab assensu sustinuit, imparem dicens fallacibus eiusmodi captionibus (sic enim appellabat contrariarum rationum momenta) discutiendis; curaturam primo quoque tempore, præsente iusto vtriusque patris hominum numero, contorta illa & aculeata sophismata à Ministro dissoluerentur.

Hac arrepta facultate Pater, qui cùm eo congredi

gredi maximopere cupiebat, vt palam se vera dixisse faceret, iam ouans gaudio, vt futurę certus victorię occasionem vrget, Ministro dies dicitur. Ille nec opinata prouocatione vehementer perculsus, omnes vias tentat deferendi vadimonium, vitandique congressus illam esse decernit expedissimam, dicere se minus commoda vti valetudine; turpis hęc detrectatio certaminis, titubanti mulieri eò maiorem iniecit dubitationem, nihilominus tamen, pro suo ergaReligionem animo, sectarios admonet, ita insignem ignominię notam suo pastori inuri ne patiantur. Ergo suorum magis vocibus coactus, quàm mente ad id propensa, adest factus, instructusque in ipsa mulieris æde, exiguo Catholicorum numero, hereticorumque longè frequentiori, qui suppetias laturi, eius cingebãt latera: ipso namque disputationis ingressu (quam iniquis licet pactionibus, non inuitus accepit Pater) diffidens miser causę, circumstantem suorum turbam infimis precibus rogauit, vt eius sermonem, si qua forte in re minus consentanea protulisset, susciperent. Catholicorum cachinnis meritissimo accepta vox. Tum ille demisso capite pallidus, exanimis, voce semimortua, vnum aut alterum Caluini argumentum in Sacrosanctum Missæ sacrificium recitauit; quæ Pater ita dilucidè, ac verè soluit, vt exultarent lętitia Catholici, sectariorum quidam responsiones plausu probarent. Cùm ille nullum contorqueri telum videret, quod non in suum caput recideret, nec tamen se honestè à pugna subducere valeret; conspumare vir obeso vultu, ac prominente vẽtre debacchari, furere, immanique, & truci genere verborum, nostros, nostramque doctrinam proscindere; ita disputationis

finis

finis additus; muliere clara voce, vt omnes audire possent, affirmante, crudelia illa conuitiorum verba, ad irritandas citius mentes, quâm difficultates soluendas accommoda, offendiculo sibi fuisse vel plurimum. His vocibus exacerbati sectariorum animi, cùm prope intelligerent, vt res ipsa maximo illorum malo docuit, primariam mulierem ad Ecclesiæ Catholicæ cœtum aggregatam, exemplo suo non paucos attracturam, nullas non adhibuere machinas, quo iam oppugnatam ab expugnatione tuerentur. Itaque nunc occultis cuniculis adorti, nunc aperto impetu, cadente in irritum conatu, ne se omnio profligatos ostenderent, & aliqua ratione vulneris accepti famam eleuarent, hoc egerunt, vt denuò conuenirent; illa non aliud se habere in optatis affirmat, quàm veritatem edoceri. Minister, cum suam existimationem vehementer obteri cerneret, & excitari expectationem persimilis euentus; ita est deterritus, vt de congressu quàm honestissimè vel declinando, vel differendo diligenter ageret; sed cunctatio longè turpior visa, mouit hominem, vt ne dedisse manus videretur. Conueniunt, concursu etiam maiore: expectatur quonam tandem telo esset vsurus iste gygas in cælum. Ecce tibi non timidè, non hæsitanter vt primo congressu, sed audacter, sed ardenter, sed voce quam poterat syllabatim articulata, se in æternum diuinæ præscientiæ album relatum asseuerat; adeóque certum obtinendæ illius felicitatis (quæ merces vna est emeritorum Dei militum) nullis vt inde machinis deturbari posset. Æquo liberior assertio primo risu, dehinc sibilis, postremò clamore est explosa, nam prætérquàm quod minimè in rem præsentem cadebat, Pater

tùm productis fidiſſimis teſtibus,rationibus nimirum ex ſpurciſſimis ipſorum fontibus deriuatis, tùm ipſius à ſuperioribus diſſentientibus verbis,in eas hominem anguſtias redegit, vt palinodiam canere cogeretur,non diſputationi ſed ludibrio expoſitus;magno documento omnium,qui palam ex diſputatione concludebant Caluiniſtas,nulla in re ſibi (cum abſit pertinacia) conſtantes, modò in hanc, modò in illam opinionem Academicorum more tranſire; magna voluptate non Catholicorum ſolùm, ſed ipſius mulieris, quæ finito congreſſu, in Patris ſe clientelam obtulit: paucíſque poſt diebus Catholicam fidem, vt teſtatiſſimam, & conſignatiſſimam, eſt amplexa, vt iam exemplo ſit integerrimæ fidei, iuxtà, ac pietatis. Matronæ etiam primariæ inductæ, vt in orbem egenis in publico Noſocomio miniſtrarent. Non defuit eiuſdem, in ægros ex noſtris, charitatis materia; qui tamen, quamuis grauiſſimo morbo impliciti, valetudine facti ſunt meliores. In Marſilianenſi miſſione egregiè à ſacerdote noſtro opera poſita; ludiones publica impenſa conducti, ſentina totius vrbis, exhauſti; iuramenta, quæ in conſuetudinem publicè, priuatimque venerant, penitus ablegata.

RESIDENTIA
ALBENACENSIS.

VBERIORES ſunt Dei gratia fructus in dies Albenacenſis Reſidentiæ: Quæ binarum ſcholarum acceſſione mirè hoc anno decorata eſt: ad id domum percommodam, ſed valde per ſuperiorum

riorum bellorum clades vastatam, Illustrissimus Cardinalis à Ioyosa; alteram huic vicinam ciues attribuerunt. In his sacellum, duæ scholæ, area peramœna, & cubicula intra duos fere menses, cōcinnata sunt; ea nimirum celeritate, vt negarint viri primarij tantum operum intra tam breue spatium, ab vrbe tota perfici potuisse. Maturandum quippe visum erat opus, ne hæretici, quibus scatet vrbs, rem totam impedirent. Ferijs igitur Pentecostes data est publicè diuitis Epulonis historia, cui dramati multo antè prohibuerat Minister, ne suorum quisquam spectator adesset, illud iactans, velle se eandem historiam pro concione tractare. Verum cum videret suam ad concionem vndecim auditores conuenisse, supra modum indignatus, vbi aliquamdiu furori, blaterando, comminandoque, indulsit; soluta concione, ad actores & ipse nostros inuisendos accessit. Caluinianorum liberos, vt auerterent à nobis, auocarentque Ministri, coacta Synodo statuerunt, sub anathematis pœna, vt ne parentes, ac curatores illis ratione vlla permitterent, scholarum nostrarum aditum. At bruti fulminis fragore remisso, iterum redierunt. Et Deo fauente haud quaquam infelicia sunt initia, crescitque adeò in dies auditorum numerus, vt de laxandis scholarum angustiis, aut certè pluribus adiungendis, cogitandum videatur.

ABIVRATO Caluino, sese in Ecclesiæ sinum receperunt, supra quinquaginta. Ex his, Matrona nobilis, annos viginti quinque hæresim, animo quamuis fluctuante professa, obiurganti crebro matri promiserat, nomen se ante obitum daturam fidei Catholicæ. Itaque in hydropisim tandem incidens, cùm de vita agi cerneret Sacerdo-

tem nostrum semel, iterum, ac tertio postulat, à quo Religionem edocta, Ecclesiæ reconciliata, & Sacramentis expiata, non multò post animam verè Christianam Deo, constantemque reddidit. Neque silentio prætermittendus est medici Albenacensis reditus ad Ecclesiam, cui iam ante annos tredecim vale dixerat, non tam religionjs nouæ, quàm parentum imitandorum studio: hic à nostris frequenter de medicina animæ facienda monitus, multa sæpè promiserat, verùm promissis ne staret, obstabant graues patris comminationes. Quas tandem vt vinceret fecit Deus, partim vexatione quadam intellectum dante, partim spectro quodam nocturno, haud iniucundo; partim, vt piè credibile est, B. P. N. Ignatij precibus: si quidem eo ipso die, quo cælesti regno potiri hic cœpit, moras ille rupit, Caluini venenum euomuit, hilariterque ad templum, ac mensam sacram, comitante honoris ergo ad vtrumque clarissimo Marchione Mont-loræo, frementibus hinc Caluinianis, illinc Catholicis gratulantibus, accessit.

Remigem agebat inter Catholicos multos vnus Caluinianus, quem Socij non rarò ad meliorem mentem adducere, sed frustrà, sunt conati. Demum impendente, iamque facto naufragio, cùm natatu vitæ consulendum esset, suadent ceteri, vt Deo, Deiparæque virgini voueat, fidem se Catholicam amplexurum, si ex mari emergat; mirum dictu! natanti ecce fit obuius arenæ agger, in quo pedem fixit, ac biduum substitit: quoúsque nimirum ab aduentante nauicula excipitur, & in continenti collocatur, vnde non multò post Nemausum se contulit, sacerdoti nostro

rem

rem cùm lacrymis exposuit,votũ persoluit, & sese pœnitentiæ sacramento communiuit. Neque contemnendum est, quod ludimagister, qui, effosso sibi per quemdam oculo, vt vindictam commodius sumeret, amicitiã sibi cum Caluinistis, vtpote locupletioribus, ieundam ratus, mentis oculos sibi à sathana erui, Caluini professione voluerat: Nemausum cum literis ad ministros commendatitiis appulsus, diuina duce prouidentia ad sacerdotem prius nostrum, quàm ad ministros adducitur; à quo hæresim dedoctus, Ecclesiæ reconciliatus, sacramentis expiatus, ac demum vindictam litemque penitus abijcere persuasus est. Eadem in vrbe concionantem per aduentum sacerdotem nostrum audiebant Caluiniani multi, quos dum ministri à nostris, ad suas conciones horarum concursu traducere nituntur, operam perdunt. Vix enim, ac ne vix quidem vlla fuit ab illo concio habita, cui non interfuerint multi.

IN festis natalitiis, confessione animum expurgarunt, panéque Angelico refecerunt quadringenti vel quingenti, qui numerus admirationi multis fuit, tùm quod iã inde à triginta annis, tale nihil fuit obseruatũ: tùm quod ex Nemausensiũ viginti quatuor, aut viginti quinque millibus Catholicorum vix forte numerẽtur tria millia. Inopia pressus quidã opifex, duobus, quos rectè valentes habebat, liberis, mortẽ imprecatus, vno paucis post diebus, altero paucis post hebdomadis vita functo, impatientiæ culpam agnouit, prodiditque illud; addens memoria non indignum, quod qui prior obierat, vt vt biennis, patri planè vigilanti, post mortem apparuit, interque amplexus dixit, Caue, mi pater, ne Caluinianus euadas. Institutam Albenaci

vna cum Sodalitate anno ſuperiore; ſacroſanctæ Euchariſtię ſolemnem, primo cuiuſque menſis dominico die, circumgeſtationem, modo celebriorem facit ſcholaſticorum noſtrorum pie concinentium numerus: fecit autem celeberrimã, cùm die eidem corpori Chriſti ſacro linteati proceſſerunt, præ manibus geſtantes depicta, vncialibus literis, diuina oracula, ſanctorumque PP. qui poſt Chriſtum Dominum & doctrinã, & religione in Eccleſia floruerunt, ſententias, quibus auguſtiſſimi Sacramenti veritas confirmatur.

POENITENTIVM numerus, cùm in vrbe, tùm foris auctus. Crebræ admodum fiunt in vicinos pagos, & oppida excurſiones; miſſiones etiam nonnullæ in aduentum totum & quadrageſimam, fructu non ſanè pœnitendo. Tanta nonnullibi morum mutatio, vt non deſint qui dictitent, ſe iamprimum didiciſſe, quid ſit confeſſio, quid ſynaxis, quid denique Chriſtianè viuere: ſint & nonnulli, qui ſibi à multis illicitis temperent, ob noſtrorum reuerentiam, illud ſæpe in ore habentes, Quid dicent PP. vbi hoc perceperint? Graues inimicitiæ, non ſemel extinctæ: atque interdum eiuſmodi, vt in diſcrimen veniret nobilium non paucorum vita, etiam primariorũ. Erat parenti admodum pio, filius non admodum Catholicus, nedum pius; hunc ille ſæpenumero de vita religioſiùs agenda monet, ſæpe rogat, ſacerdoti vt noſtro confiteri ne recuſet; vtrumque negligit filius: ad extremum orat Pater, vt quod paterna cohortatione, authoritateque fieri nequiuerat, morbo aliquo graui Deus ipſe perficeret. Impetrat pater ſalutarem morbũ filio, qui repentina pleuritide tantùm non enectus, antiquius habuit nihil, quàm

vt

vt ſacerdotem noſtrum accerſiri iuberet, qui vbi conſcientiam aperuit, conualuit. His, & ceteris Societatis muniis afficiuntur indigenæ. Hæretici quidem odio nos pluſquam vatiniano, confictis identidem calumniis, proſequuntur. Catholici autem, ac potiſſimum eorum nobiliſſimi (quippe nobilitas Viuarienſis fermè tota, nouas Caluini opiniones deteſtatur) ſingulari nos beneuolentia complectuntur, negantque fieri poſſe, vt res Chriſtiana tot inter hoſtes diu ſalua conſiſtat, niſi Societatis homines, certas hic, atque perpetuas ſedes obtineat.

DOMVS PROBATIONIS.

ANNVS eſt quo fundamenta iaci cœpta nouæ domus, quæ hocce tandem, auxilio Dei & piorum beneficentia, faſtigium accepit opportunè, vt hac noſtræ Societatis in Gallia inſtauratione, plurimorum deſiderijs, auidiſſimè Societatem prenſantium, fieret ſatis. Ex veteranis quos aluit, quidam extrema quadrageſima in pagum euocatus à viro nobili, reuocandis animis magnopere incubuit, concionando, confeſſiones audiendo, hæreticos refutando; quorum miniſtrum pro veritate ita pudore ſuffudit, vt non modo prouocatus hiſcere non auderet, ſed ne in lucem & conſpectum hominum veniret, clandeſtina & ignominioſa fuga ſe ſubtraxit: qua cognita domeſtici viri nobilis, quaſi feram venando, hominem ſunt perſecuti; quin & ipſe Dominus pagi, præter eum, quem ex vſu & conſuetudine hominis noſtri fru-

ctum cœpit, illum etiam in publicum contulit, vt ministro aditum pagi prohiberet in perpetuum. In vocatione eorum, qui Societatem iniere, hæc singularia. In procliuem & præcipitem locum adductus adolescens, dum nouitiatum petit, tutela & ope Angeli sui, cui se tum ex animo commendauit, præsenti mortis periculo eripitur. Alter verò animum despondens ex dilatione rei optatæ, in manus librum capit, primúmque in hæc verba incidit, (Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis, nam quæ ad salutem pertinent non citò dantur, sed aliquando differuntur, vt deinde dulcius habeantur) quibus recreatus respexit se, & erexit ad ardua quæuis superanda.


Fvit qui totis sex septemue annis Patrem adducere constanter perstitit in consilium religionis à Deo sibi inspiratum, sed frustra, donec illum in eas litium tricas ipse Deus coniecit, ex quibus cũ exire vellet, nec posset, intellexit demũ lege talionis secũ agi, qui aditum vitę religiosę filio obstrueret, exitum negotij molestissimi non inueniret; Itáque vbi se in consilium adhibuit, filio potestatem facit Deo famulandi, simùlque præter spem ius causæ obtinet, magna animi lætitia. Duo alij non tam diu illi quidem pugnarunt, sed non minori conatu, pari certi victoriæ exitu. Etenim alter simul ac cogitata aperuit, súsque déque domũ confudisse visus est, cùm omni alia ratione, tùm imprimis maternis lacrymis ad defectionem tentatus est: ergo vt earum vim retundat, secedit à turbis, Dei matrem, cui à puero deuotissimus fuerat, humili oratione in auxilium vocat, quę, pro sua in clientes pietate, periclitanti non deest: tyronis enim mater, quæ mœroris leniendi causa alio se subduxerat, vocem

hanc

hanc audire visa est (Peccatum hoc tibi imputabitur) qua perterrita illicò ad filiũ accurrit, & , Fili, ait, si nemo hominũ tibi huius consilij author est, sed Deus solus, pro te facio: vtque dictis fidem afferret, marito persuasit, benedictione filio impertita, vocantem Deum sequi vt sineret.

Alteri idem Deus alia omnino ratione prouidit, eadem tamen sapientia & bonitate. Reuocatus erat hic à parentibus, qui certis iam nunciis acceperant filio Societatis ingressum patere, quod ille, quærente Patre, ingenuè passus est, quamobrem excandescere, & se ac natum in omnem partem versare, minis territare, blanditijs pellicere, officij & obedientiæ ratione à cœptis deducere tentat: ille contrà pro se ac Dei voluntate stare, vtque rem suam felicius perficeret, post aliquot dies matrem solam aggreditur, eámque tanta rationum efficacitate premit, vt in suam venire sententiam coegerit. Sed non ita facilem se præbuit Pater, adhibet enim propinquos quósque, & alios conditione ac dignitate facile primarios, qui sua auctoritate detorqueant animum adolescentis; cum porrò & isti nihilo magis proficerent, tum demum omnia miscere Pater, & commoto ex amore stomacho, asperius compellare filiũ cœpit; cuius impetum, instinctu plane diuino, vt frangeret filius, parentis genibus aduoluitur, & acerbitatem verborum, suauitate responsionis delinit, felici conatu, causam tamen tunc temporis non vicit penitus. Itáque vertit se ad Deum & eius matrem Virginem, cui in Parthenico sodalitio ab aliquot annis se deuouerat, atque ita impetrar, vt pater Deum, non homines amplius huius disceptationis iudicem eligat. Ergo illuxerat dies natalis parentis,

parentis, quam ille quotannis festam religiosè agebat, ea ipsa dirimendæ controuersiæ dicitur, præparatis animis ad augustissimi corporis Christi participationem, venitur ad rem sacram: sub tempus communionis Patri visum est interrogari postremò filium, num ab aliquo mortalium subornatus, vitæ religiosæ consilium suscepisset? cum negasset ille constanter, vt res erat, à sacro, spectante plurimorum hominum cœtu, magna animi lætitia filio bene precatur, & illum Deo mancipat, instructóque conuiuio consanguineis, pacati animi, & Deo plane obsecundantis signa edit.



PROVINCIA AVSTRIÆ.

NVMERAT hæc Prouincia Socios quadringentos triginta quinque; duodecim Collegijs; quinque Residentiis, vna domo probationis, & septem Missionibus constans. In Collegio Viennensi sunt quadraginta septem. In Græcensi octoginta octo. In Pragensi & Olomucensi vtrobique triginta septem. In Selliensi vndeuiginti. In Cromlouiensi sexdecim. In Comotouiensi nouemdecim. In Nouodomiensi viginti octo. In Labacensi quatuordecim. In Glacensi tredecim. In domo Brunensi quatuor supra sexaginta. In Residentia Turociensi octo. In S. Bernardi quinque. In Millestadiensi sex. In lincensi tres. In Missione Iudenburgensi totidem. In Zosuariensi, & Cassoniensi vtrobique duo. In Lictouiensi vnus. Alter in

in Brunouienſi. In Bilinenſi duo; totidem in Carinthiaca. In Tranſiluaniæ duplici Collegio Claudiopolitano, & Albano, cum Reſidentia Varadinenſi & ſua Miſſione Huſtienſi, viginti duo. Vita functi hoc anno ſexdecim; in quorum locum ſubrogati ſunt in Societatem viginti duo.

COLLEGIVM VIENNENSE.

VIXERVNT hoc anno in Collegio Societatis IESV Viennæ de noſtris quadraginta quinque. In reſidentia S. Bernardi quinque. Et Lincij in Miſſione tres. Quorũ Sacerdotes viginti duo. Præceptores quinque, Studioſi Philoſophię & Theologiæ tredecim; Coadiutores temporales reliqui; omnes in Domino benè, & corpore & ſpiritu, conſtituti. Conciones fiunt à noſtris, ordinariè, ſingulis Dominicis & feſtis binæ. In Aula Sereniſſimi Archiducis Matthiæ, gubernatoris Auſtriæ, vna. Altera in templo Collegij noſtri; non abſque notabili emolumento ſpirituali. Hiſcè accedit non rarò tertia, in ſumma æde. Doctrina Chriſtiana, poſt meridiem, Dominicis diebus, vt hactenus, coram frequenti auditorio, cum fructu traditur. Sunt Viennæ varij carceres, variis hominibus deputati; eos, inter ſe, tres Patres, ita diuidunt, vt ſinguli ſuam Prouinciam, ſedulò obire & viſitare ſoleant. Non tantùm ſpiritui, ſed & corpori neceſſaria ſubminiſtrant, à beneuolis emendicantes induſia, veſtes, cibos, non rarò prandia; ſubindè pœna capitali damnatos, liberant, prò ea quâ valent authoritate apud ſupremum

mum magiſtrum. Pauperibus etiam variis eleemoſynæ, & alia beneficia procurata.

SAGA quædam detenta in carcere, à malo dæmone ſæpe vexata, ac variè tentata, tandem per ſacerdotem noſtrum, carcere intus & foris conſperſo aqua luſtrali, & ſuſpenſo de collo eius agno Dei, à tentatore Satanâ liberata eſt. Eadem, cum in ſe, mortis ſententiam latam eſſe intellexiſſet, fruſtra, exiſtimans ſe mortis ſupplicium euaſuram, omnia quæ antea in tormentis, & extrà confeſſa fuerat, recantare ſtatuerat. Sed peractâ confeſſione, ſe ad mortem quàm promptiſſimè obtulit. Ad ſupplicium benè comparata conceſſit, & circumfuſum hinc indè populum, ſæpè & grauiter monuit, ne aſtutiis dæmonis ſe circumueniri pateretur. Ad locum ſupplicij vbi ventum eſt, voluit per ſacerdotem commitantem ſe, clara voce, coram circumſtantibus explicari, quomodo plures per annos, dæmonis artibus ad quędam flagitia nunquam pellici potuerit, quamdiu ſacras miſſas diligenter audiret, aqua benedictâ vteretur, & Catholico more ſacram Euchariſtiam, præmiſſa confeſſione, perciperet: diabolum verò hęc omnia tuliſſe quàm indigniſſimè, & comminatum ſummam inediam & paupertatem, præclarique nihil edoceri à ſe poſſe, dum his rebus incumberet. Tandem miſera mulier, præterito Paſchate morem diabolo malè ſuadenti geſſit, confeſſionem & communionem intermiſit, ſicque penitus dura ſeruitute dæmonis ſubacta eſt. His vbertim à ſacerdote explicatis, & ab illa ſublata voce confirmatis, iuxta rogum conſiſtens, verbis præeunte ſacerdote, liberiore quàm vnquam voce, abnegauit ab integro dæmonium; omnia illius conſilia,

&

& commiſſa eius inſtinctu opera, deteſtata, Catholicam profeſſa eſt fidem, veniam à Deo, ſanctis, & hominibus omnibus deprecata; facta denuo per confeſſionem reconciliatione, circumſtantium ſe commendans orationibus, ipſaque cum ſacerdote orans, ac tandem vltro carnificem adiens, collum plus quam virili conſtantia gladio carnificis præbuit. Corpus poſtea, in extructum rogum, comburendum proiectum eſt.

Dissidivm duorum haud vulgarium ciuium, quod annis fere duobus, non abſque ſummo amicorum dolore inueterauerat, ſublatum. Quidam propter inimicitias, ſeptem annis dilatam confeſſionem, cuiuſdam ex noſtris adhortatione apud moribundum, inſtituit & perfecit. Religioſus non vulgaris, reſtitutus eſt noſtrorum opera obedientiæ ac ſuo ordini, a quo abſque licentia diſceſſerat. Coniugum, & ab inuicem ſeparatorum, duo; & iam ad diuortium tendentium quatuor paria reconciliata, atque ad cohabitandum pacificè inducta. Matris & filiæ inueteratæ diſſenſiones, ad concordiam & vnitatem pertractæ; vnde matrem miſere aliena in domo decumbentem, filia prædicta, in ſuam recepit, & neceſſaria ſubminiſtrauit. Ab impudica vita ſtatúque peccati, plurimi traducti ad frugem. Itum crebrò ad ægrotos & moribundos, magno eorum emolumento ac ſolatio, nec non peculiari præſentium hæreticorum commendatione ac ædificatione. Quo in genere non rarò accidit, vt quidam non longè à morte diſtantes, ſacramentis ritè perceptis, repentè valetudinem receperint. Petitus ab amicis, defuncti cuiuſdam Doctoris medici hæretici, Academicus conductus ad funus proſequendum,

iam iam decreto omnibus studiosis publicandus, & penè concedendus, dissuasus & impeditus fuit. Cum Illustrissimus Dux Niuernensis, ex campo vulneratus huc aduceheretur, continuò cuidam Patri, confessus est.

Nobilis quidam confessionem procrastinauit & communionem, falso sibi persuadens, sic mortẽ accelerari: ei vnus ex nostris Patribus fit importunus, vt confiteatur; facta confessione, munitur omnibus sacramentis, & post tres horas moritur. Libri hæretici, abrepti nonnullis. Tres patres ex nostris, comitati personas Illustres, earundem rogatu, in Cellas Beatæ Virginis; in itinere persuaserunt quibusdam fidem Catholicam, atque inibi per duos penè dies, noctesque exceperunt confessiones: obruti adeò pœnitentium numero, vt ne decem ijs audiendis sufficerent, præter aliorum sacerdotum, magnam frequentiam. Euocati duo Patres ex nostris, ad pagum multos annos elocatum hæreticis, reconciliarunt ibidem Ecclesiæ Romanæ Catholicæ quinquaginta quinque colonias, siue familias; quas inter, nobilis quidam vir, sexagenarius, opulentus, & famosus, passim notus, & educatus hæreticus, non tantùm toti communitati, præclaro fuit exemplo, sed etiam pluribus, ab eo dependentibus vicinis, ad conuersionem incitamento. Quædam persona pia, ab infami accusatione opera Patris nostri liberata, & accusantes correcti. Hebræorum quidam, institutus & baptisatus in nostro templo, est adiutus tantisper in victu, & baptismali amictu, tandemque Catholico domino traditus. Adolescens quidam sexdecim annorum, parentibus natus Anabaptistis, non infimæ conditionis, mortuis

tuis illis conferens se Viennam, ad marterteram Catholicam :instructus in fide, nostrorum opera ac patrocinio, Christo per sacrum Baptisma incorporatus est. A Mahometismo ad Christum, conuersi duo. A diuersis hæresibus, partim per nostros instructi, partim etiam à pœnitentibus nostris adducti, in Ecclesiæ Catholicæ gremium recepti, viginti supra ducentos vt minimum. Inter quos non pauci fuerunt Illustres, generosi, ac nobiles, & quidem tres præcipui.

BARO Austriacus vnus, antiquissimę familiæ per annos quatuor de fide quidē perplexus, sed nihilominus pertinax in hæresi, cum iam octauum in Hungaricis expeditionibus meruisset, tandem vertente anno, grauiter vulneratus in oppugnatione Budensi, & correptus, ex vulnere, desperata medicorum iudicio febri Hungarica: voto emisso ad ædem sacram Lauretanam, ad fidem conuersus Catholicam, superatis maximis difficultatibus, & propriæ coniugis, & potentium amicorum hæreticorum; præmissa vni ex nostris confessione sacramentali, publicè coram Episcopo perpluribus Prouincię proceribus pręsentibus, ciuiùmque turma, hęresi abiurata, sacra synaxi refectus est. Alia illustris femina, quadraginta annos nata, adhuc Virgo, ab ipsis incunabulis in hęresi educata; cum qua, vbi diu multúmque egisset quidam è nostris Sacerdotibus, de mutanda religione; tandem se recepit, ad instantes etiam aliarum illustrium matronarum preces; post octo dies se Catholico confessuram ritu. Et ecce, præterlapso iam octiduo, necdum expleto proposito, non ità multò post, tacta semiapoplexia, in terrā concidit. Hoc ex casu Virgo vbi se collegit, recolit morā, dilationémque promissi,

quod

quod Patri, religonem vrgenti, fecerat; illicò eum accersiri rogat, petitque cũ Ecclesia Christi reconciliari. Reconciliata, à consanguineis & alijs hæreticis, calumnias dicteriáque, libens pro Christi gloria perpetitur. Redijt postmodum ad eam paulatim valetudinem, vt nullius ope nixa, pedes in Ecclesiam, vtcúnque longo viæ interuallo, procedere posset; non sine nota Sanctitatis vitam tran. sigens.

TERTIA è simili Baronum genere, adhuc innupta, decimum septimum agens annum, pertinacissima alioqui alitæ, cum lacte materno hæreseos, matri Comitissæ, à tutoribus & consanguineis Catholicis erepta, & paulatim per quendam in fide Romana instructa; adeò profecit, vt cum à duobus prędicãtibus Lutheranis, alioqui magnę apud suos existimationis, ad quos per aliquot milliaria, pro subsidio ad Papistarum fundamenta conuellenda, confugerat, sibi satisfieri non posset; cum publica eorundem Pseudoministrorum detestatione insciciæ ac peruersitatis, hęresi abiurata, ad nostram religionem, cum fremitu partis aduersæ, transierit; factáque confessione, & suscepta, cum Illustrissima quadam domina affine sua, peregrinatione, in Cellas Beatæ Virginis, octodecim Germanicis distantes milliaribus, Vienna abierit; sacram inibi primum sumptura synaxim. Generales confessiones, vltra septuaginta, exceptæ. Caluinisticæ sectæ quidam quadraginta quinque circiter annorum, in extremis constitutus, & catechizatus à Patre nostro, ad sanam fidem rediit, perceptaque sanctissima Eucharistia, adeò perfusus est gaudio, vt fateretur, nunquam se similem sensisse in animo dulcedinem; sicque paulò post, mortem pié obijt.

obiit. Famula quædam heræ ſuę pertimeſcens verbera, ad Danubiũ, ſe aquis præfocatum properabat: flumen ingreſſa, retracta interno numinis diuini inſtinctu, & Angeli ſancti ductu, ad confeſſionem venit, ac veniam temerarij auſus, pœnitendo digne, meruit. Vir primarius iàm pænè animam agens, facto voto ingrediendi Sodalitatem B. Virginis, conualuit, votumque compleuit. Miles quidam naualis Hollandus, habitus Caluiniſta, periculoſo morbo corripitur; eum Sacerdos ex noſtris caſu conueniens, cum eodem egit, vt peracta confeſſione, & ſumpta ſacra communione, piè in Domino obdormierit.

FEBRIS Hungarica facilè his in locis quoſque corripit, vt ad mentis alienationem, vt plurimum, redigantur, conenturque ſibi manus violentas adferre. Cum his noſtri dextrè agere conſueſcunt, vt ad tranquillitatem facilem reuertantur, & machinationes dæmonis euadant. Quidam in infantia à turcis captus & circumciſus, ab vno ex noſtris inſtructus, confeſſus eſt, & reliqua fidei Chriſtianæ præſtitit. Quidam hæreticus opifex grauiter infirmus, ſæpius admonitus vt reſipiſceret; tandem victus, confeſſus, & è veſtigio mortuus. Quædam perſona facta Chriſtiana, in rebus fidei non bene inſtructa, periculosè decumbens, videt ſibi dari occaſionem orthodoxæ inſtructionis capiendæ, quam & è noſtris vnus arripit: eam inuiſit, inſtruit, illa omnia ſacramenta, quæ ferè morituris dantur, accipit; & præter omnem ſpem conualeſcit. Cuidam ſuaſum, qui iam moliebatur in arenam duelli deſcendere, exiſtimans id licitum, & neceſſarium in honoris ſui conſeruationem, vt deſiſteret; deſtitit. Iuuenis annorum vi-

ginti quatuor, cum contra Lutheranos quosdam, religionem Catholicam impetentes, eam defendisset; tantum illorum odium incurrit, vt minis intentatis, certum aliquod discrimen timere cogeretur. Accessit aliquoties primarium, & deprecatus est inimicitias, sed nihil efficere potuit. Accidit vero, vt mox idem, cui fuerat facta frustra deprecatio, plenus iurgiis & indignatione, die sancto Ioanni Bapaistæ sacro depellendorum calorum causa, Danubium ingressus, implacabilis submergeretur. Sed neque sic odium euadere potuit. Erat illi socius, cui odium in hunc conceptum, tanquam manu traditum hæreditaria, reliquerat. Ergò eum quoque deprecatum adiit iuuenis, vt alienationem deponeret. sed prorsus, tunc, reconciliationem respuit. Posteà tandem humanitate & modestio deprecantis victus, vltrò coram honorato viro, deprecaturus veniam, iuuenem adiit, quam ille libenter donauit; & non tam illatas sibi iniurias & infamias, quàm miseram mortem submersi, in furore atque intestino odio, aduersarij doluit.

PERSONA Lutherana, anceps nonnihil in fide reddita, piè Deum rogauerat vt sibi dignaretur reuelare, vtra fides, Catholicáne an Lutherana, vera esset; cui sequenti nocte, persona quædam albis amicta vestibus apparens, brachiumque contingens, vt suam perfidiam deponeret, & Catholicam religionem amplecteretur, monuit: cui mox ipsa paruit, & ad Catholicæ Ecclesiæ gremium se contulit. Quædam ciuis, cum priusquam conuerteretur, animum fortè aperuisset suscipiendæ fidei Catholicæ; à Germano parente, stricto cultro sæpius petita, ac dire deuota, nihilominus,

lominus, non modo non fracta eſt, ſed magis, magiſque in ſuſcepto opere confirmata: vt breui expiationem peccatorum, cum gaudio ſpirituali perficeret; ita vt & vita, & hereditate excidere mallet, quàm vel latum vnguem ab ea diſcederet. Nobilis quidam mercator, & celebris hæreticus, vna cum coniuge Nobili, & alia quadam Magna Domina, egregie in articulis fidei inſtructa, in quos præcipui quique hæretici oculos coniecerunt, veſtigia eorum ſecuturi; per noſtros, in Eccleſiæ gremium recepti ſunt. Octodecim noſtræ diſciplinæ alumni, ad varios religioſorum hominũ cœtus inter quos octo ad Societatẽ, ſeſe adgregarunt: ex quibus etiã nonnulli prius, ad cognoſcendam ſuam vocationẽ, exercitiis ſpiritualibus, dies aliquot, deduxerunt. Præter duo dramata in ſolemnitate ſanctiſſimi Sacramenti, ac inſtauratione literarum; datus eſt in publicum Mundus, cum ſpectatorum approbatione.

Adolescens ſtudioſus ab impudica & procaci femina appetitus, quàm primum eius illecebras perſenſit, non ſolùm eam egregie abegit, ſed etiam domum paternam deſerere certò ſtatuit, ne amplius eiuſmodi iniuriæ foret obnoxius: quin & poſtmodum aliunde ſibi vim inferendam, eadem conſtantia & fortitudine depulit. In quo genere plura egregiæ Caſtitatis exempla, à Sodalibus B. Virginis ſunt declarata.

Pvella quædam Nobilis Viennenſis duodecimum agens annum, correpta ſpecie quadam paralyſis; miſerabili, & terrifica agitabatur corporis ac membrorum agitatione, non abſimilis obſeſſæ; cui cum quidam ex noſtris exiberet imaginem B. P.N. Ignatij, & appenſa ad collũ eius ſubſcriptione

ne eiusdem, recenseret coram assistente puellæ matertera matrona Catholica, patrata quædam à B. P. alibi miracula, post adhibitam Medicorum diuturnam curam, votum facit; si meliusculè cœperit habere puella, sistendi illam Domino, in sacro Missę officio, in quo futuram sperabat S. Patris commemorationem; & offerendi, in memoriam eius & gratiarum actionem, inauratum calicem. Voto facto, cœpit virguncula notabiliter in dies conualescere, & paucis interpositis diebus, deducta pedes, vtcunque longo viarum spatio, cum ante non posset firmum pedem figere, ad templum, celebranteque sacerdote nostro, calicem affabrè factum obtulit. Quo peracto, æquabili puella gradu domum reducta, confirmata magis ac magis valetudine, semper memor tanti beneficij, iam inter Catholicos passim diuulgati, in perpetuum sibi delegit patronum B. Patrem & quotidie eum, propria à se formata oratiuncula salutat, salutaturaque quamdiu super vixerit. Alius ciuis quidã extremè decumbẽs, valdè molestatus à Satana, adeò vt; etiam contra voluntatem, linguam moueret quàm celerrimè, loqueretur que idiomate incognito, quædam etiam satis Latinè, homo planè idiota, cum aliæ adhibitæ præcellentes reliquiæ non prodessent, per eandem supra memoratam reliquiam B. P. Ignatij, ab impetu illo Satanico, horrendoque liberatur.

AD Collegij rem temporalem accesserunt bis mille qnadringenti quinquaginta floreni à piis donati: Ad perficiendam quoque turrim templi amplius mille ducentis. Parthenicorum pietas maximè in eo enituit, quod perplures, in quadragesimæ singulis pænè diebus, aliquid præclari in honorem

norem Paſſionis Dominicæ; atque Chriſti paſſi,amorem præſtiterint. Alij cingulis cilicinis induti, alij flagris cædentes terga; alij myſteriorum roſarij commentationibus vacantes,ſimilibuſque pietatis exercitiis. In cœna Domini duodecim pauperibus in hoſpitali ciuico, à Sodalibus abluti pedes,& datum epulum. Venuſta oratione,& perbreui feſtiuo dialogo, Reuerendum Epiſcopum Tranſiluaniæ, multa cum grati animi ſignificatione reſpondentem,Congregatio excepit. Eiuſdem coëmpti ſumptibus plurimi libelli, de rectè inſtituenda confeſſione Sacramentali, & paſſim à Sodalibus inter domeſticos & notos, cum inſigni fructu diſtributi. Integram quadrageſimalis ieiunij,pænè hîc obſoleti,obſeruantiam, familiaribus ſuis, & cohabitantibus Parthenici perſuauerunt. Sodalis in obſidione Albæ Regalis captus à Turcis, & redemptus, cùm æger Viennæ decumberet, illud ſæpius inculcabat; ſingulari ſe ſemper erga B. Virginem Mariã deuotione fuiſſe, atque adeò ſibi certò perſuadere, eiuſdem ſe benignitate ac patrocinio, exiguo admodum lytro redemptum; & inter Chriſtianos Catholicos, omnibus vt muniretur Sacramentis, promeritum eſſe.

RESIDENTIA SANCTI BERNARDI.

CONCIO habetur in S. Bernardo à noſtro Patre, ſingulis dominicis & feſtis, & doctrina Chriſtiana, à prandio diebus Dominicis, in qua pueri adeò proficiunt, vt totumCatechiſmum paruum intra biduum memoriter recitare ſoleant.

Conuerſi penitus hic, & ad vnam reducti ſpeciem Sacramenti Euchariſtiæ, viginti tres. Septem ſubditi noſtri, ex hæretica Parochia ac faucibus mercenarij, erepti. Hæreticus Miniſter cum coniuge ad fidem tranſiuit. Catholicus Parochus noſtræ Societati nomen dedit. Ad accipienda ritè Sacramenta, à pluribus milliaribus, ad noſtros confugere conſueſcunt. Domini duo, biennium iam litigantes coram ſupremo tribunali, noſtrorum opera reconciliati ſunt.

RESIDENTIA
LINCENSIS.

PERSVASERANT aduerſarij religionis noſtræ Decano priori, eiuſque ſucceſſori moderno, ciues admodum velle ad templum Parochiale, & ad conciones venire, dummodo nemo ibidem Ieſuitarum, ſed ordinarius paſtor concionaretur. Migrauimus ergò à Parochiali templo ad aliud, quod noſtris Sereniſſimus Archidux Matthias aſſignauit. Iam totus populus confluit ad nos, relicta Parochia; & ciues, qui ſe vel maximè obſtringebant, non apparent in templo Parochiali. Quidam ruſticus moriturus, noluit communicare ſub vna ſpecie. Sacramentum igitur Sacerdos rurſus reportare coactus eſt domum. Vocantur noſtri, qui ruſticũ ita inſtruxerunt, vt & peteret Sacramentũ ſub vna, & ritu Catholico ſumeret, otthodoxuſque moreretur. Confeſſus quidã iuuenis noſtris, qui curſum Philoſophiæ Heidelbergæ abſoluit. In ciuitate vicina curatum eſt, vt Bibliopolis hęreticis, in publicis nundinis, libri prohibiti

h biti publicè erepti sint, quos antehac liberè vendebant; nec audebunt redire cum suis infectis mercibus ad nundinas. Pueri puellæque, bini binęque, per publicas plateas in magno numero ad templum veniunt, & capita doctrinæ Christianæ, more nostro, recitant; adducuntur autem opera Germanicorum Ludimoderatorum. Omnes scholæ Catholicos præceptores habent; quique vix sex, vel octo in initio, prope centum singuli iam numerant. Pœnitentes & communicantes, etiam redeuntes ad fidem Catholicam subinde visuntur. Episcopus quidam pro octingentis aureis, exemplaria Tomi primi concionum Patris Scherrer, in subsidium Parochorum comparauit. Quidam sacerdotes, ab aliquot milliaribus ad nostros, criminum expiandorum causa, veniunt. Post conciones de Missę ceremoniis habitas, totum ferè auditorium, flexis genibus, interest Missæ sacrificio. Missi ad nos plures libri hæretici, vulcano tradendi. Subditi huius residentiæ omnes reducti modo ad fidem Catholicam, qui antea (vno excepto) omnes erant hæretici. In hebdomada sancta speciosum sepulchrum erectum, ad quod propemodum tota ciuitas confluxit. Ab omnibus conatus nostri probati, & laudati; magnaque reuerentia feriis sepulchralibus interfuerunt. Non dissimili fructu laboratum in præepio per festa natalitia. Edita est concio funebris in exequijs Imperatricis; quæ multum commendata fuit. Dum hac transirent Serenissimi Matthias & Maximiliaus cum Patre nostro humanissime egerunt.

Cvm res poneretur in deliberatione, Essetnè confessio Augustana omnino ex Austria tollenda; adhibitus est Pater concionator noster. Ipse

tollendam pluribus rationibus asserebat, eæ omnes conceptis pænè verbis missæ sunt ad Cæsarem. Quid sentiant plerique de P. Schererij laboribus, vel vnius Episcopi Herbipolēsis & Franconię Ducis, clarum faciunt verba subsequentia, ad authorem Postillæ scripta. Labores operasque tuas, vir Reuerende ac nobis dilecte, quas in Homiliis ad populum, vt quondam. D. Chrisostomus, conscribendis ponis, tractandisque controuersiis, de rebus fidei; plurimum probamus. Nam si non vnus aut alter olim, sed quotquot fermè poterant, aduersus hæreticos, calamo pugnabant, dum vel vna duntaxat in Ecclesia suboriretur hæresis; quid nunc non faciendum, quando innumeræ pænè, vno eodemque tempore, grassantur, fœdissimeque Christi Ecclesiam lacerant? Egregiè D. Augustini sequeris sententiam, quam verissimam iuxta, & prudentissimam esse censemus. Cum nempe vigent hæreses, omnibus, qui aliqua scribendi facultate sunt præditi, elaborandum vt scribant; hacque ratione aduersarijs ostendant, non deesse in castris Catholicorum, qui intrepido animo decertare, & aduersa fronte cum ipsis congredi audeant. Perge vir religiose & literate, vt cœpisti, lingua & calamo hostes fidei ferire, militemque te ostendere indefessum. Ratione hac plurimos Christo filios, tibi rutilantem coronam, Societati verò IESV, nomen ac decus parabis immortale. &c. Quantopere verò placeat eiusdem P. Postilla, & passim per imperium desideretur, patet indè; quod & Ingolstadienses, & Monachienses, & Moguntini, & Colonienses Typographi literis petiuerint, vt eam recudere sibi liceat. Templum attributum ita ornatū, & in eam formā redactum est, vt admirationi sit.

ni ſit. Altaria quæ nuda accepta, ſuppellectili ſacra aucta; caſulæ aliquot, cum aliis ornamentis Eccleſiaſticis, templo noſtro dedicatæ. Varia donata. Explorata fuit caſula, cuius ſolummodò crux ducentis æſtimatur florenis: effectum vt ad templum poſtliminio redeat.

COLLEGIVM GRÆCENSE.

DEGVNT in hoc Collegio, cum iis qui in conuictu, octoginta octo, Patres viginti duo, Fratres ſexaginta ſex. Ex Patribus quinque docent in Theologia, duo D. Thomam, tertius ſcripturam, quartus Caſus, Linguam Hebræam quintus. Quatuor in Philoſophia occupantur, tres Ariſtotelem explicant, quartus Euclidem, vnus in Grammatica verſatur. Alij in aliis deſudant. Ex fratribus Magiſtri inferiorum ſcholarum quinque, vinginti nouem Theologi, Philoſophi viginti duo. Coadiutores vndecim. Vnum Patrem Michaelem Polt, quatuor votorum Profeſſum, amiſimus; vel in cælum potius, omnibus Eccleſiæ Sacramentis munitum, poſt vota renouata, præmiſimus: vbi iam vt ſperamus laboribus ſuis fruitur, quos per quadraginta annos in Societate exantlauit, tum docendo, (ab infima enim grammaticæ claſſe, ad ſupremum vſque Theologiæ culmen gradatim aſcenderat:) tum concionando, & confeſſionibus audiendis, necnon Miſſionibus caſtrenſibus, iiſque difficillimis. Eius vicem expleuerunt, in noſtrorum ordinem cooptati, alij ſeptem; ex quibus vir vnus quadragenarius

rius

rius, iuris cognitione, & causarum tractandarum, vsu ac fama clarus. Enituntur hic Patres & fratres, ad omne virtutis ac eruditionis decus, parique studio & in excolendo ingenio, & in frangendis affectibus, ac perfectione consequenda laborant. Et adest conatibus Deus, deprecante Beato Patre Nostro Ignatio, cuius cultui & venerationi, vltimam Iulij diem, qua ex hac luce ad meliorem migrauit, consecrauimus cantato inter domestici sacelli parietes Sacro de Spiritu Sancto, confessione, communione, & pridiana corporis diuerberatione, quemadmodum elapso anno incœptum fuerat. Hoc anno, initium quoque datum celebrandæ ritu pari secundæ Decembris, quæ sanctissimis duobus Societatis nostræ hominibus cœlum auxit, Iaponico Apostolo Francisco Xauiero, & glorioso Martyre Edmundo Campiano. Spectauit & illud nostram felicitatem, quod ex Theologis triginta quinque, quatuordecim viderimus Sacris initiatos, qui iam in agro Dominico operam gnauiter nauant, per varia Collegia diuisi.

Conciones diebus festis, habentur à nostris quaternæ, in templo domestico duæ, in arce tertia, quarta in Nosocomio ciuico; frequentiore omnes cœtu quam anteà. Atque vt ab arce ordiar; non surdis illic militum auribus cantatum. Excubiarum tempore, videas illos sphærulas precatorias religiosè voluentes, ac paucos reperias, qui non alternis mensibus, vtique ternis, diuina mysteria vsurpent. Hinc mirus fidei ardor, & pietatis effecit, vt aliquis vnus Nobilem quendam virum ad fidem perduxerit, à quo ad perfidiam hæreticam vrgebatur ipse. Alter longi itineris molestias sibi iucundas putauerit, quò sororem ex hæreseon flu-
ctibus

ctibus ereptam, in tuto Ecclesiæ portu collocaret. E concionibus verò templi nostri, vberem futuram totius anni messem, spem fecerunt Kal. Ianuariæ; quibus cum Concionator, post impertitam, de more, cuique hominum generi spiritualem strenam, mutuum ab auditoribus petijsset, vt strenæ loco ea sibi largirentur, quæ obicem ponerent, quominus annus illis felix, & secundus flueret; cuncta nimirum vel luxus argumenta, vel irritamenta lasciuiæ: plures salutare consilium amplexi, eiusmodi ludibria abiecerunt. Nec spem fuisse tantum, declarat religiosa Sacramentorum frequentatio; quanta hic in nullo hominum ordine antè visa. In Nosocomio fructuosior iam ponitur opera, in tradendis ex cathedra fidei elementis, quàm antè in explicando Euangelio: quoque facilius pauperes, animis suis medicinam fieri patiantur, corporum prius molestias & inopiam, remedijs quibus possumus, leuamus.. Non exigua vis æris alieni, quod fraus interuerterat, ad Dominos reuertit. Vxores reconciliatæ maritis; & reconciliati cum Deo, qui cum dæmone fœdus icerant, non pauci.

ADOLESCENS ex quotidiana familiaritate cum Mago, ne in sceleris etiam societatem veniret; propè miraculo est seruatus. Daturus ille specimen artis adolescenti, Genium familiarem certis verbis aduocauerat. Quærenti quid vellet? Vt Constantinopolim, respõdet, me deferas, quia Turcarum Imperatorem cænantem conspicere lubet. Hæc dicentem eleuat dæmon per caminum; sed cum in superiorem partem euectus, sanctissimum IESV nomen, periculi metu, seu consuetudine inclamasset: corruit illico miser, suoque casu eum

seruauit,

ſeruauit, quem perditum ibat. Exterritus enim adoleſcens, è veſtigio ad ſacerdotem noſtrum accurrit, nec prius animum metu, quàm conſcientiam noxis liberat. Quidam, ad menſam agni accedere conatus, pedem promouere nó potuit prius, quàm capitale crimen, quod ſciens in confeſſione reticuerat, detexit. Fecit cuiuſdam Patris cohortatio, vt grauis inter duas familias diſcordiarum tempeſtas deſineret in lacrymas; quæ in cædes & ſanguinem ne deſineret, magnoperè timebatur. Exhauſta iam erant in illis componendis propinquorum ſtudia, fatigatę amicorum allocutiones, ad extremum, cum omnibus tentatis nihil procederet, adit vnus vtriuſque partis amicus dictum Patrem, rogat, vt Pacis conſtituendæ laborem, ſuum eſſe velit. Ille, vt qui probè noſſet non humanarum eſſe viriũ, tàm exulceratas mentes placare, ad diuinas, oblato in hunc finem ſacrificio, recurrit; quibus fretus, cum eò eos ſe contuliſſet, & vnum omnes in locum conuocaſſet, tam efficacem habuit orationem, vt madentibus vtrinque genis, in mutuos complexus ruerent, & poſtridie apud eundem, omnes ſimul peccata deponerent, quo pridie arbitro, depoſuerant odia. Actum à quodam è noſtris, cum parentibus filij ad Capucinorum familiam adſpirantis, vt eius conditionem gratulatione, & pia quadam inuidia proſequendam, adeo non, quod faciebant, impediendam ducerent; quæ res, propenſam in nos religioſorum patrum, mirifice auxit beneuolentiam. Ex hæreticarum opinionum ſalo, erepti noſtrorum opera tredecim ſupra ducentos: in iis præter egregios viros, tres ſunt è prima nobilitate feminę. Duarum conuerſionem ſubijciam.

ALTERA

ALTERA illarum, Lutheri filia passim audiebat; quem titulum, trium millium florenorum summa, emerat. Tantam enim mulctam subierat ob tres prædicantes, domi suæ contra Principis edictum habitos. Verum nihil æque illi saluti fuit, ac flagrans illa Lutheranæ doctrinæ pernoscendæ, & perbibendæ sitis. Vt scrupulum ex animo eijceret, quem fortuitus cuiusdam nostri congressus aliquando iniecerat, duos Prædicantes adierat, sed eo euentu, vt anxia magis discederet ab vtroque; quod eorum responsa, à suis opinionibus aliena, secum ipsa pugnantia cerneret. Hæc prima machina mulieris animum concussit. Accessit opportunè alia, quæ concussum salutariter infringeret, & conceptam de illorum eruditione existimationem demeret, pariter & amorem. Iidem enim consulti de mancipio Turcico, sacris vndis expiando, in oppositas planè abierunt sententias; cum alter probaret, acerrimè contra alter, pręcipuus habebatur, cótenderet; nisi Christianis edito parentibus, aditum ad salutem patere nemini, proinde nec ad Baptismum. Hęc cum illa tacito secum animo reputaret, planè statuebat extremæ esse dementiæ, à quibus concordia exularet, ab eorum verbis, suspensas habere fidei rationes. Igitur desperatam apud suos veritatem, apud nostros quærere instituit. Trepidè primum, nec nisi velata facie, conciones nostras aliquamdiu obit; demum formidine omni deposita, Patri in arcem suam euocato, se dirigendam vltrò tradit. Quid multis? Redit cum Deo & cum Ecclesia in gratiam; insigni perinde Catholicornm gaudio, & hæreticorum exemplo.

EGREGIE vtrumque cumulauit alia vidua, æquè genere, & hæretica perfidia nobilis. Actum cum

cum illa fuerat à pluribus,sed profectum nihil;nulla ergò iam amplius cum illa verba, sed preces pro illa, & lacrymæ fundebantur. Emollierunt illæ cor saxeum mulieris, vt diuini verbi sementem admitteret. Mirum dictu! cum interest actui, quo duæ Virgines in Diuæ Claræ cænobium transcribuntur, sic repentè permouetur, vt cogitare incipiat, quomodo in coetum ipsa orthodoxorum referatur. Aderat fortè Pater cuius toties studia eluserat, & industriam in hoc genere felicem;eum perhumaniter salutatum rogat, se conuenire ne grauetur. Enimuero nihil Patri accidere gratius, subodorato id quod erat. Ne tamen festinatione offenderet, prudenter in aliud tempus protelat, dum occasionem nactus, per alium Patrem ei denunciat; si de religione agere animo sedeat, diem vt dicat, & locum;libentissimè se adfuturum. Incredibile est quantum Patris illius aduentus,huius mulieris duas filias, eodem Lutherano spiritu possessas, consternauerit; quod vererentur immutatum matris animum. Quare ne parùm religiosæ viderentur, si tacerent, non parum modestiæ terminos egressæ, Patrem contumeliosè domo eijciunt; illud identidem repetunt, abiret; ageret res suas; nec, nisi accitus, reueniret. Intereà morbus mulierem lecto affigit: Ille visus Patri, cum quo prius egerat, opportunus; per quem animo sanitas afferretur. Non erat nescius, omnes esse aditus obseptos à filiabus, & hæreticis aliis amicis, per quos ad eam accedere non licebat. Quare vt obstacula tollerentur, Serenissima mater, semper pro solita sua in Deum & proximum charitate, in animorum conuersionem imminens, dictam Dominam inuisit, nostrumque Sacerdotem comi-

tem

tem aſſumit. Sic effectum, vt dum remotis arbitris, Sereniſſima Princeps cum iacente ægra loquitur, Pater ad horas aliquot ſermonem de fide traheret; nec irrito labore. Abeunti Sereniſſimæ ſanctè adpromittit; ea ſe nocte, ardenter cœleſte numen imploraturam. Redit poſtero die Pater; filiabus abſentibus (nam Sereniſſima illas de induſtria, à quadam Domina inuitandas curârat:) diſputationem pridianam proſequitur, eóque breui rem deducit, vt confeſſionis remedio, cum hæreſi peccata expiet. Cæleſte epulum reſtabat; id ipſa, ne ex tam repentina mutatione nimbus aliquis oriretur domi, differendum iudicat. Noſter periculũ mortis & peruerſionis ingeminat; de ſententia tamen Sereniſſimæ, dilata res eſt. At ne improuiſus quiſpiam caſus illam vel à vita, vel à mente auferret, duæ nobiles matronæ ſunt à Sereniſſima deſignatæ, quæ apud illam excubarent; & Patrem, ſiquid periculi eſſet, accerſerent; qui ex aduerso in hominis Catholici ædibus pernoctabat.

MANE ſequentis diei, aduolat Sereniſſima Mater, hortatur panem vt Angelorum ſuſcipiat. Cum annuiſſet, mittitur continuo, vt Venerabile Sacramentum adferatur. Id vti filiarum intellexit vna, tum verò illa non iraſci, ſed furere; queritari, inconditis vlulatibus ædes complere; perditam matrem, ſeductorem Ieſuitam inclamare; nec ſui memor, nec Sereniſſimæ, quę eam verbis tranquillare fruſtrà conabatur: ac nihil propius factum eſt, quàm, quod poſt hæc fatebatur ipſamet, certo illo magno furore impulſa, Sacroſanctam hoſtiam è manibus Sacerdotis excuteret. Sed generoſæ matris conſtantiam, illuſtrarunt hęc filię lamenta, non fregerunt; & accenderunt, non reſtinxerunt pie-

pietatem; cuius mirifico ſenſu, beatas illas dapes deguſtauit. Impertitus animę vigor, etiam in corpus deriuauit. Satis conſtat, ex eo tempore melius habere cœpiſſe, & breui omnino conualuiſſe. Vrgebatur etiamnum furijs filia, & amentis in morem diſcurſabat; matris loco, eam nunquam futuram dictitabat, quę infando deſertę religionis crimine, ſupremi in ſe numinis iram prouocaſſet; & collectis iam reculis, ne vel ipſa ſceleris contagione læderetur, abitum & fugam meditabatur; prorſus initura, ni noſtris, aliarúmque nobilium feminarum, precibus flexa, cœpiſſet opem intentius efflagitare, quam præſententiſſimam experta, lucem aliquando veræ fidei aſpexit. Denique is fuit etiam cum filia exitus, vt quo die Lutheranum panem ſumere decreuerat, eodem prorſus ipſo, magni Patris familias cœnam, in noſtro templo inierit, pari ſua voluptate & admiratione aliorum. Cum hæreſi reiecit vir quidam à ſe cacodæmonem, à quo variis ſpectris infeſtatus, nullam quietis partem capere poterat. Puellam quindennem, ab horribilibus clamoribus, quibus noctu arcem complebat vniuerſam; liberauit appenſa ad collum agni cærei imago. Fuerunt nonnulli quibus valetudinem, quam votarum pegrinationum neglectus ademerat, renouata earundem promiſſio reſtituit. Afflauit & hanc Prouinciam, propitia B. Ignatij aura; quâ recreatæ, ſalutem & vitam iam deſperatam receperunt perſonæ duæ, quę impreſſam in æreo nummo eius effigiem, fuerant veneratæ; altera cui iam moribundæ cereus, & Chriſti è cruce pendentis imago, more Catholico exhibebatur; altera de cuius vicino obitu tam certus erat medicus, vt quinquagenos florenos Sacerdoti

cerdoti nostro sponderet, in pauperes adolescentes tribuendos, si reualesceret.

MEDITATIONIBVS Societatis fructuosè exculti in collegio sex; in conuictu totidem. Nec his finibus circumscribi se passa nostrorum industria, excurrit nonnunquam, præsertim circa dies Christo nascenti & resurgenti sacros, in remotas arces & pagos, & retulit lucra animarum, quæ, quia cum aliis annis sunt communia, æstimari potius debent, quàm narrari. Illud peculiare, quod sub ferias vindemiales, euocatus quidam Pater ad celebre Austriæ monasterium, Abbatem obnixè rogantem spiritualibus exercitiis imbuit. Fuit illud, tum optimo Pręsuli iucundum, tum cœnobitis fructuosum; qui eius exemplum secuti, idem præstiterunt, præter quendam morbo impeditum, omnes. Solemnem peregrinationem ad Diuæ Virginis in Cellis, obiit bona ciuium pars; quibus etiam atque etiam obsecrantibus, quod non viderentur sibi speratum emolumentum reportaturi, nisi nostros haberent comites, duo sacerdotes adiuncti: qui occasione vsi, religiosis primum colloquiis solatio fuerunt, confessionibus deinde excipiendis, etiam saluti. Redeuntibus, ciuitas cum Senatu & Clero obuiam se effudit. Tempore illis & exemplo præiuerant Serenissimi nostri Principes, qui cum Nuncio Apostolico & Episcopo Lauantino, quatuorque nostris sacerdotibus, & aula vniuersa; ibidem vota sua paulo ante persoluerant: vbi per nostros à culpis absoluti, & cœlesti alimonia recreati, quinque ipsas horas continenter in oratione perstiterunt, positis humi genibus. Ita nempe eorũ pietatem & religionem auget, quę cetera omnia imminuit dies. Quid verè de incredibi-

li eorum in nos beneuolentia dicetur? Riuum hunc esse, ex illo pietatis & religionis fonte deductum, inde euadit manifestum, quod pari incremento augescat. Hinc est quod frequentius munera nobis ex aucupio, & venatione miserũt, cibumque nobiscum partim in Collegio, partim foris in villa nostra sumpserunt, nosque suæ mensæ adhibuerunt. Dicas illos, curarum & solicitudinum agitatos vndis, in nostro Collegio, tanquam in quietis & tranquillitatis portu conquiescere. Sed hæc perscripta sæpius. Illud certè præteriri non potest.

DONAVERAT Serenissimus Ferdinandus Collegio vineá, ex qua collegimus octodecim dolia. Pro ea, cum Reuerendus Pater Rector gratias, vt par erat, ageret: rem esse exiguam respondit optimus Princeps, & quæ gratiarum actionem non reposceret; se dum viueret, & aliquid haberet, nobiscum partiturum. Dignam profectò summa laude vocem dicerem & admiratione, nisi esset à Ferdinando profecta. Scholas nostras adeuntium multitudo, quanta nunquá ante; Profectus, qui magistrorum labores consoletur. Illi augendo produximus duas fortissimas heroides in Orchestrá, Iuditham & Cæciliam, ambas nobilitatas gladio; quem in Holophernis collum adegit altera, altera excepit suo. Atque illa quidem intra aulæ Academicæ parietes exhibita, vnum Bacchanaliorum diem extraxit, hæc in Collegij area duos ante studiorum instaurationem; vtraque punctum tulit, ita & delectauit & profuit. In triplici sodalitio, B. V. vtroque, & Sancti Spiritus tertio, vnum cernitur virtutis studium. Eluxit illud maxime solemnibus quadraginta ieiuniorum diebus,

quibus

quibus alii inediam, alij minimùm quartam horæ partem, in Christi cruciatibus perpendendis posuerunt, quos etiam, qua licuit, tolerandos sibi putauerunt, ciliciis in se, & flagellis pié sæuiendo. Verum vt quæ cuiusque sunt propria, singulatim exequar, aucta est S. Spiritus congregatio pecunia & supellectile sacra; vt si legatorum & donatorum rationes conficias, octingentorum florenorum reperias summā. Ex ea, mors vni aditum ad immortalitatem patefecit. Fidem faciunt tum casti eius mores, & incredibilis dolorum in morbo tolerantia, tum mirus quidam concentus sub ipsum, quo expirauit temqus, à persona religiosa exauditus. Congregationem B. Virginis maiorem illustrarunt hoc anno cum viri primarij multi, & Barones aliquot, tum quinque in eam adscripti Episcopi, inter quos Nuncius Apostolicus, cuius liberalitate accessit eidem Sodalitati vmbella operis Damasceni, cui effigies Deiparæ arte Phrygia perenustè est intexta. Aliorum etiam nobilium virorum muneribus, accesserunt similis operis vexilla duo, & insigne altaris ornamentum, prętereà Organum & pecunia, pro nouo altari, cui iam prima manus imposita.

Per sacrum quadragesimę tempus, accendendę Sodaliū pietati, petiit & impetrauit Rector eiusdē congregationis; vt sub vesperum latina concio haberetur feria sexta, à pręcipuis aliquot nostris Patribus, quā & magnus audientium numerus, & ipsi Religiosissimi Principes Augusta sua pręsentia celebrarunt, qui & eorum conuentibus sępius interfuerunt, & sacram ibidem Synaxin, magno religionis exemplo, publice (quod alioqui priuatim sępius in mense faciunt) perceperūt. Proximo

post festum corporis Christi die, voluit Serenissimus Ferdinandus à Congregatione eandem honorariam pompam iterari; quod & fecit, non nisi suis vsa ornamentis. Minor Congregatio id agit, vt sola appellatione sit minor, vix vnum des inter octoginta sex (tot enim numerat) qui non animæ labeculas, per sacram confessionem eluat, quot hebdomadis. Ad Pascha, præsentibus Archiducibus, drama dederunt de Beato Hermanno in pueritia; illa venustate, vt spectatoribus lacrymæ manarent. Serenissimus Carolus huius Congregationis primus Rector, misit Iudenburgo elegantem tabulam; insigne suæ in eam voluntatis testimonium. Vniuersa claudat Ferdinandæum, id est, Seminarium studiosorum adolescentum, à Serenissimo Ferdinando Principe nostro exædificatum. Aluntur in eo eleemosynis, quas etiam hæretici liberaliter conferunt, iuuenes egregij septuaginta, qui, vt spem de se conceptam tueri aliquando possint, pietatis iam, & doctrinæ stadium pari passu decurrunt. Alterum testatur Sodalitas Deiparæ, in cuius albo pænè omnes; alterum nupera studiorum renouatio, in qua potiora præmia retulerunt. Addit incensis faces, Serenissimi Ferdinandi in eos propensio, qui non committit, vt domus illius patrocinium & tutelam, suscepisse ardentius videatur, quàm constantius.

RESIDENTIA MILLESTADIENSIS.

SVNT in hac Residentia Sacerdotes tres, Coadiutores totidem. Cathechismus tenet suum cursum. Ab hæresi conuersi quinquaginta. Salutaris mos inductus; vt feminæ cum vterum ferunt, ad partum feliciter enitendum, sacris Pœnitentiæ & Eucharistiæ mysterijs, se comparent. Quidam, cuius vxor in vndas, seu leuitate ingenij, seu malorum acerbitate, se proiecerat, noctes patiebatur molestissimas; nunc rigentibus gelu manibus contrectabatur, nunc è strato præceps exturbabatur, cum lugubres interim illæ voces, aures simul animúmque conuulnerarent; Eheu, cur mihi miseræ licere voluisti omnia, quæ lubebant? O crudelem indulgentiam! O impium amorem! Is de nostrorum consilio aqua lustrali vsus, sibi quietem, sacris illis rebus authoritatem apud alios conciliauit, & cultum.

MISSIO IVDENBVRGENSIS.

IN hac versantur tres Patres, quorum primus, vtrique Serenissimo Principi, Leopoldo & Carolo à cõfessionibus & concionibus est, ac reliquorum Superior. Alter Philosophiæ professor. Tertius Grammaticæ. Præcipuus fructus est, quòd istos Serenissimos Principes, institutis suis ad pietatem, ad virtutem, ad sapientiam erudiant, in

ad virtutem, ad ſapientiam erudiant; in quibus, illi non vulgarem progreſſum faciunt. Excipiunt & in aula, & extra aulam confeſſiones, pluréſque eorum opera, & perfidiam cum fide, & improbitatem cum probitate commutarunt.

COLLEGIVM PRAGENSE.

HOc anno numerauit Socios triginta nouem, è quibus duo Theologiæ Profeſſores, vnus humanitatis, catecheſeos vnus. Ex fratribus, quatuor reliquis Scholis præfuerunt. Duo Theologię, tres Philoſophiæ ſtudioſi, ceteri rei domeſticæ adiutores. Admiſſi ad probationem quatuor. Laboratum hoc anno, non minus quàm præteritis, impigrè à Sociis, tum in perfectione propria, tum in ſalute aliorum promouenda. Ternæ conciones habitæ Dominicis feſtiſque diebus, idiomate Germanico, Bohemico, Italico, è quibus Bohemica, auditorum copia maiori, quàm hactenus vnquam celebratur. Confeſſiones exceptæ plurimorum, quorum nonnulli, aut toto fere vitæ tempore peccatis fuerunt obſtricti, aut multis annis, aut certè, quæ manifeſtata Sacerdoti piè oportuit, ſacrilegè celauerunt; generales fuerunt ſupra centum. Hæretici ad fidem traducti ad centum quinquaginta: ab vtraque ſpecie ad vnam, plures quam triginta. Quidam ex illis cùm fidem Catholicam cogitaret, multum improbo vxoris conatu retardatus fuit. Obſiſtebat illa marito, omnia tentabat vt pium eius conſilium turbaret. Cum nihil agere ſe videret, reſtim coëmit, in oculis mariti è paxillo ſuſpendit;

pendit, Hac inquit, marite, mihi fauces elidam, vbi primum ad Catholicos transieris. Contempsit minas mulierculæ vir; confirmatus à nostro, sanctum propositum executus est; fœlici successu & insperato. Non impium, quod iactauerat, propositum perfecit coniunx, sed abiecta ipsa quoque perfidia, mariti exemplo, Catholica sacra suscepit. Alius verò cùm primò ad Hussiticam adhæsisset, deinde ad Lutheranam, tum Picarditicam, tandem Anabaptisticam hæresim; Catholicus factus Sacerdoti nostro confessus est, & sanctissima Eucharistia refectus. Partui vicina matrona quædam, monita est, vt quando ancipiti in discrimine versaretur, animæ consultum saluti vellet. Nec frustra. Audiit monitum; peccata, quæ nunquam antea, Sacerdoti detexit, panem cœlestem ritu Catholico sumpsit. Quidam cum totum fere vitæ tempus in peccati mortiferi statu, sub seruitute diaboli traxisset; recte monenti nostro paruit, & disruptis peccatorũ, per sacram exomologesin, quibus tenebatur vinculis, in libertatem Christianam transiit. Festa Paschalia, viri cuiusdam illustris Austriaci, domi militiæque clari, ad Ecclesiam reditus, celebriora reddidit. Puella Zuingliana cum mores parentis asperiores non ferens, instinctu dæmonis submergere se cogitaret, mutato instinctu, meliore Dei consilio, fugam arripuit; huc venit; animæ salutem cum fide Catholica inuenit. Nec peruersorum dogmatum Præcones, quos Ministros vocant; expertes diuinæ misericordiæ, nostræque industriæ fuerunt. Annum ex illis quidam iam tertium & decimum, perfidiæ Lutheranæ signum populo præferebat; cum oborta cælitus lux, miserum circumfulsit, caliginem depulit, ve-

ritatis dicipulum effecit. De Catholicæ enim fidei dogmatis benè edoctus, totius vitæ culpas Sacerdoti ritè aperuit; quam docuerat, hæresim eiurauit; in suscepta fide constantiam, contra impugnantes probauit; tandem Ordinibus initiatus & creatus Sacerdos, vitam suo statui conuenientem degit, piamque. Alius etiam ex eodem buccinatorum Lutheranorum numero, puer olim in nostris scholis institutus nonnihil, erroribus agnitis, & peruerso vitæ statu, post acres & diuturnas cum seipso pugnas, tandem peruincente Christi gratiâ, Sacerdotem nostrum adiit; Per Christi, inquiens, ego te vulnera obtestor Pater, vt ad animæ meæ salutem consequendam, mediis diuinitùs præscriptis dirigere non dedigneris. Petitum, impetratum, direxit Pater, secutus est ille; fidē Catholicā suscepit, promotusque ipse ad honestam conditionē, Catholicè viuit, Dominis, quibus fuerat perfidiæ doctor, nequicquam frementibus. Eius porro secutus exemplum socius, Minister item hæreticus; instruendum se, aggregandumque ad Ecclesiam, Sacerdoti commisit. E familia Baronum, virgo quædam morbo correpta, cum periclitaretur de vita, fratris Catholici suasu, Sacerdotem nostrum, acriter quamuis matre non Catholica repugnante, admisit, eique animam suam suppliciter commendauit. Eam noster, in fidei sanctæ mysterijs sufficienter instructam, expiauit, epulóque cœlesti refecit. Quæ, recuperata non multo post valetudine, quam ægra susceperat, Catholicam religionē, ac præsertim sub altera tantum specie Sanctissimæ Eucharistiæ vsum, contra matrem propugnauit. Senicula, simplex illa quidem, sed dedita pietati, & confessarij sui prudentiæ innixa,

afflicta

afflicta grauiter morbi vi, discrimen vitę iam adierat; cum ecce tibi, spectandam, solis instar fulgens Angelorum Regina, cum puellulo ei se præbuit. Qui aspectus, & insolitam animo decumbentis infudit lætitiam, & sanitatem corpori peperit. Contra quendam, peccatis & litibus implicatum, dæmonis eò vsque processerat audacia, vt sensibiliter etiam, subindè hominem impeteret. Datum consilium homini, vt frequenti Sacramentorum vsu, exercitationibúsque pietatis, se contra hostem muniret. Munijt, simul importunum vexatorem abegit.

Feminæ quoque cuidam prænobili, idem nequissimus animarum prędo, vt leuamen doloris & infamię, ob vitam olim actam, peteret à laqueo, semel iterúmque humana specie apparens suasit. Parere impostoris consilio misera voluit: sed miserante Deo, interuentu aliorum impedita, nostri postea Sacerdotis opera, salutarem pœnitentiam, erepta dęmoni est, reddita Creatori. Nobilis matrona, valetudinis curandæ causa, huc vt veniret à marito impetrârat; Vt venit, è Lutherana facta Catholica, domum ad maritum non Catholicum redijt. Aliam quandam mariti, Orthodoxorum ferè librorum lectione, non ita pridem ad Christum adgregati, exemplo stimulatam, verę religionis suscipiendę desiderium e Silesia huc ad nos adduxit. Quod sequitur, hæreticorum in Catholicos odium ostendit. Virgo quædam, auitę religionis amantissima, cum illustri cuidam feminę, suam in domestico famulatu operam locare vellet; Christiani hominis officia ritu Catholico, statis temporibus obeunda excepit; qua in re, cum annuentem heram habuisset, nihil solicita, eam sequitur ad

arcem. Sed nihil priſcæ religionis inuenit. Ergo deluſam ſe intelligens puella, prima dolorem animo cœpit, deinde tam diu premit, quoad conſtitutum anni tempus euolueretur, tum verò intrepidè heram adit, in hanc ſententiam locuta. Meum huc vſque fidele, opinor, & ſedulum tibi obſequium, non defuit hera; nunc miſſionem peto; aliò migrare ſtat ſententia, vel eo nomine, quòd quo tempore in tuo famulatu fui, famulari Deo rectè non potui; quin nec Eccleſiam Catholicam videre, nec audire quicquàm, niſi in Deum, in Sanctos, & in religionem auitã blaſphemias. Dixit, & dicendo in rabiem feminam hæreticam vertit: quæ vt iram odiúmque conceptum effunderet, ſic egit. Sublatæ furto pecuniolę innocentem arguit; negantem & pernegantem, per conſanguineum ſuum primum baculis, dein toto corpore nudatam virgis acerrimè cædit. Nec ſatis; in terrum carcerẽ hyberno tempore, male veſtitam fune demittit, vbi quatuor ipſos dies, ne pane quidem dato, deliruit; à notis tandem quibuſdam, quibus res innotuerat, liberata. Sic rectæ fidei amorem famula, ſic odium hera declarauit.

Ita vir in hæretica degens ciuitate, ſtatim vt lumine fidei colluſtratus hæreſim abieciſſet, conciuium omnium graue incurrit odium. Quamobrem ab ijs inſignes perpeſſus moleſtias, in frequenti etiam Senatu grauiter obiurgatus eſt, ac monitus ſeriò vt deſertam perfidiam reſumeret deinceps colendam, iuſſus denique in carcere luere pœnas, abiectæ eiuſdem perfidiæ. Quæ omnia perpeti maluit, quam ab agnita ſemel recedere veritate, imò & ſolum vertit, & illuſtri Domino Catholico ſe ſubiecit, vt vera animi libertate frui poſ-

ſet.

ſet. Quidam alius, in eadem illa ciuitate ſimilia multa patitur, Catholicæ religionis nomine, qui ſæpius in anno ſacræ communionis & confeſſionis ergo, vnà cum filiabus ſuis, ad nos venire conſueuit, vti multi alij, ex remotioribus locis. Ciuis quędam picarditicæ ſectæ addicta, ſed à quodam ex diſcipulis noſtris Catholicam veritatem vtcúnque edocta, ſæpius etiam ab eo admonita fuit, vt abiecta peſtilenti hæreſi, fidem ſalutarem amplectaretur. Non nihili illa quidem fecit pias adoleſcentis admonitiones; noluit tamen ijſdem ſtatim obtemperare, timens ne forte ideò, correptus ira maritus hæreticus aut diuortium faceret, aut ei, (quod ſæpius minabatur) crura frangeret, necémque inferret extremam. Tandem ob grauem morbum, quem forte incidit, timore mortis perculſa, diutius conuerſionem differendam nequaquam putauit: vocat igitur noſtrum ſacerdotem clam marito; deteſtatur hæreſim; Catholicam profitetur veritatem; confeſſione purgat animum; valetudinémque ſubitò recuperat & mentis, & corporis, viuitque Catholicè, non inſcio marito, liberrimè.

E flagitiorum etiam cœno, erepti nonnulli, Dei beneficio. Sextum iam annum, hæretici cuiuſdam hominis vxore quidam abutebatur. Quod cum maritus tandem reſciuiſſet, dolore ſtimulatus, vxorem adulteram vix non ſuſtulit; necem etiam adultero machinatus. Actum tamen Dei beneficio per noſtrum, vt in gratiam omnes redirent; ſuaſúmque marito, vt Catholicæ religioni vnà cum vxore nomen daret, & Catholicis eam imbutam moribus, ad crebram ſacramentalis confeſſionis vſurpationem adduceret; ſic fore vt Deum propitium,

tium, ſic vt fidelem coniugem experiretur. Mulier fuit, quæ conſcio marito, ſe proſtituebat; domi etiam adulterum habebat; eóque iam progreſſa improbitatis erat, vt venenum marito iam tertiùm præbuerit. Traducti omnes ad frugem meliorem Dei deneficio; ritéque expiati, occaſionibus ſublatis. Alij præterea coniuges, diuortium cogitantes, noſtri ſacerdotis opera, ad meliorem mentem reducti ſunt. Læſa quibuſdam verbis à marito vxor, laqueo ſibi vitam eripere ſtatuit; ſed confeſſario malum aperuit propoſitum; qui, Deo iuuante, ita cum vtroque egit, vt extinctis ardentis iræ flãmis, in mutuam lubentes conſpirarent beneuolentiam. Religioſa perſona graui morbo laborans, id à ſuis vnicè petiuit, vt liceret ſibi vti Sacerdote hoſtro ad confeſſionem; quod cum ei conceſſum eſſet, tanta animi conſolatione eandem confeſſionem ſuam peregit, vt leuatis in cœlum & oculis & manibus, ardenter Deo gratias egerit; quod ſemel voti compos effecta, Sacerdoti Societatis conſcientiam ſuam aperire potuerit. Illuſtris perſona, valde ex morbo ægra, cum de vita actum putaret, ad remedium, quo ſuperiore anno, in ardentibus febribus feliciter vſa eſt, confugit. Confeſſionis & ſacræ communionis illud erat; quo adhibito per miniſterium noſtri Sacerdotis, ſtatim meliuſcule habuit, & paulo poſt ex integro conualuit. Vt morientibus in lecto, ſic ſub patibulo opera noſtrorum præſto fuit. Nimirum, rei in carcere viſitati, inſtructi, peccatorum vinculis ſoluti, contrà dæmonis impugnationes muniti, ad mortem homine Chriſtiano dignam comparati. Ex hoc genere illud viſum commemoratione dignum.

Dvæ mulieres, lena vna, altera adultera, vtraque Hussiticam sectam professa, in carcere detinebantur, capitis pœna mulctandæ eodem die; quæ cum nostrum, cum aliis duobus reis eodem die laqueo necandis, de Christiani hominis officio in articulo mortis, de confessionis Sacramentalis necessitate & modo, differentem audiuissent, longéque aliam Catholicorũ Religiosorumque sacerdotum, quàm rabularum hæreticorum animę iuuandi rationem esse perspexissent, vsque adeo diuinitùs permotæ sunt: vt licet, triduo ante, Hussitico more communicassent, hæresim nihilominus Hussiticam detestarentur, fidem sanctam amplecterentur, omnes animi recessus, totius vitæ errata, sacerdoti detegerent; communicaturæ sub vna, ni eadem dies, quæ iam media præterierat, extrema illis fuisset; adeò constanti fortique animo, vt Hussitici ministri, qui impensè se insinuabant, suggestiones despicerent, blandimenta repellerent. Cumque iudicum auctoritate, nimirum id agentibus ministris hæreticis, quemnam ad locum supplicij comitem, solatij causa expeterent, interrogatæ essent, ministrum Hussiticum an Iesuitam? palã protestatæ sunt, nihil iam cum animarũ deceptoribus rei sibi esse, Iesuitas se cupere, his velut Angelis Dei, animã suã concredidisse. Magna doloris pietatisque indicia, quâ veniã petendo, quâ Christi pro nobis suffixi in cruce imaginẽ, plagasque sacras exosculando, ediderũt, frendentibus Ministris & multitudinę Hussitica; quodam etiam plebem, quãuis frustra, in nostros concitantem, quod feminas seduxissent, & abductas ab Hussitica perfidia, ad fidem Catholicam traduxissent. Valuit illa res, tũ ad morum emendationẽ, tum ad incrementum

Ecclesiæ,

Ecclesiæ. Septem & decem eo exemplo permoti, statim turpem, cum honesta, vitæ rationem; & in his duo, perfidiam cum fide, commutarunt.

Hinc odia dissidentium, & discordię virorum, & Nobilium quandoque, sedata. Suasum cuidam sæpius, vt abiecto, quod animo tenebat, odio, cum inimico rediret in gratiam. Sed frustra. Non vita, inquit, me citius, quàm odiũ hominis illius deseret. Tandem opportune, Deo nimirum id agente, persuasum; simul monitus fuit, simul nostrum secutus ad Collegium, pestilens virus cum multorum annorum noxis expuit, & reconcilians sibi inimicum, reconciliatus ipse est Deo. A rerum caducarum cupiditate, ad amorem cælestium excitati nonnulli, inter quos nõ defuerunt qui spiritualibus commentationibus, quas exercitia vocamus, excolerentur. B. Virginis assumptæ Sodalitas Italorum, vt numero, sic pietatis exercitationibus floret; crescitque Nosocomium, quod pia liberalitate institutũ: non corporum id magis videtur ægritudinibus pellendis seruire, quàm animorum. Vix illud contingit quisquam ægrotorum, quin animæ saltem indè referat salutem. Vestis etiam sacra eiusdem Sodalitatis, piorum benignitate creuit. Ad crimen pellicentem impuram feminam, adolescens verbis minisque abegit. Alia Congregatio Beatæ Virginis studiosorum, non minus pietatis studiosa fuit hoc anno, quam alijs superioribus. Die cænæ Domini, ex more duodecim pauperes lauta excepit mensa, eorúmque lotis pedibus, donatos eleemosyna dimisit. Nobiliores eiusdem Sodales, illa eadem die, & alias crebrius, publicis carceribus detentos recreârunt tum eleemosynis, quibus eorum subleuarunt miseriam; tum pijs, de pietate &

religione

religione ſalutari, colloquijs, quibus nonnullos ad fidem Catholicam amplectendam induxerunt. Erat etiam in his adoleſcens, qui procacem mulierculam & contempſit, & repulit à ſe fortiter. Scholę auditorum & numero florent, & nobilitate, qui more bono Societatis ad litteras iuxtà & pietatem inſtituuntur diligenter.

PARENTATVM hoc anno Imperatrici, more apparatûque Academico, ſolemniter. Apparatus non vulgo tantum, ſed nobilibus etiam, pręſertim eruditis, admirationi fuit. Videre enim erat totum templum, vt eſt longiſſimum, carmine multo, & vario refertiſſimum; Emblematis, ſcitè & pereleganter effictis, necnon Anagrammatiſmis ingenioſè compoſitis, alijſque hoc genus artificijs, quę ab Academicis deſiderari poterant, valdè exornatum. Parentatum item Illuſtriſſimi Nuncij Apoſtolici, Philippi Spinelli, fratri & nepoti; quorum vterque rebus humanis Pragæ exemptus, in templo noſtro depoſitus eſt, perorante noſtro, non ſine laude, in nobiliſſima Legatorum & Procerum corona. Nec domi tantum laboratum, foris etiam opera poſita fructuoſè à duobus. Vnus ſextum iam menſem, magno cum fructu, in oppidi cuiuſdam conuerſione, concionando laborat; alter vt copias Morauicas ad bellum Turcicum, concionibus habendis, excipiédiſque confeſſionibus proſequeretur, à ſupremo eiuſdem Prouincię Capitaneo, viro illuſtri & amico Societatis impetratus; qui dũ muneris ſui partes ibi obit, morbo correptus, aliquot menſiũ interuallo, necdũ omnino recuperata valetudine, rediijt. Peregrinationibus ad Sanctum Iuanum, & ad Beatã Virginem Boleslauienſem, vt excitaretur pietas populi, conciones habitæ ſunt à

sūt à noſtris, & aures datæ cōfitentibus. Illa, hominū frequentia, celebrior hoc anno quam præteritis, miraculo etiā anni ſuperioris illuſtrior. Amiſſum enim manuum, pedúmque, ob neruorū contractionem, vſum, anno ſuperiore Virgo quædam recuparauit; ſimul vt religioſæ peregrinationis, nudis pedibus, ad eum locum obeundę votum concepit; quod quidem anno præſente, qua par eſt pietate perſoluit. Hominum in Societatem, laboréſque ipſius, voluntatis, hęc argumento eſſe poſſunt. Illuſtriſſimus Cardinalis Franciſcus à Dietrichſtein dum hic moraretur, conteſtandi perpetui ſui in nos animi cauſa, ſolemni Circūciſionis Chriſti die, maxima hominum frequentia, verba fecit è loco ſuperiore, idiomate Germanico, in templo noſtro; lautóque noſtros prandio excepit. Illuſtriſſimus verò Nuncius Apoſtolicus ſuprà nominatus, prius quàm hinc abiret, Beati Patris Noſtri Ignatij effigiem in templo nouo erexit, tum ſuę in Sanctum Patrem pietatis, tum propenſi in noſtrum Ordinem, animi monumenta. Templum nouum, ſupremi Regni liberalitate Præfecti, ornatum cathedra pereleganti & ſumptuoſa. Sex etiam ſacri calices renouati; in quibus duo lapillis pretioſis, ab homine nondum Catholico, ad eum vſum donatis, viſendi. Viris primarijs & illuſtribus freqnentatur Collegium.; qui & verbis operam nobis ſuam deferunt, & cum ità res fert, facto; eleemoſynis etiam, noſtram inopiam ſubleuant interdum.

COLLE-

COLLEGIVM OLOMVCENSE.

HABVIT ex nostris hoc anno Collegium Olomucense vt plurimum triginta & vnũ, iam vero septem & triginta; Sacerdotes sexdecim, & in his, præter Concionatores tres, Germanos duos & vnum Boemum, sex etiam lectores: Casuum & controuersiarum, duos; totidem Philosophiæ. Magistros inferiorum scholarum sex, Auditores quà casuum & controuersiarum, quà Philophiæ omnino octo; Reliqui nouem, fuerunt rerum domesticarum curatores. Abijt à nobis in cœlum, vt speramus, sacerdos vnus Pater Crispinus, qui in Societate annos viginti duos partim studendo, partim docendo in scholis, partim etiam concionando ad populum, & sua commendatione, & proximorum fructu, & nostrorum exemplo laudabiliter posuit. Et quanquam à sex ferè annis, doloribus colicis, alijsque morbis propemodum manibus captus fuerit, vix tamen aliquando vehementia morbi, ab officio Ecclesiastæ, non sine admiratione & commendatione populi, conquieuit. Confessionibus excipiendis, ità studiosè vacauit, vt testimonio sint pœnitentes illius Confessarijs cæteris, ab illo se exactè ad confessionem peragendam instructos. Diuturno ad mortem dolore sic comparauit sese, vt extremùm extremos colicæ dolores patiens, pridie quàm moreretur; præter pauculos ex hymno Aue maris stella versiculos, & illam diui Pauli sententiam, Cupio dissolui & esse in Christo, aliud non habeter in ore. Sepultus est.

magno populi, ad ei parentandum, concursu & comploratione.

Habitus est istic Patrum Professorum Prouinciæ Conuentus, quem pro sua aduersus Societatem humanitate, Illustrissimus Cardinalis cum viseret, oratione ab vno ex Professis Prioribus salutatus, & resalutauit humaniter, & sua studia illi prolixè ampléque spopondit. Et verò sponsioni fidem fecit præoccupata in Collegium eius liberalitas, qua illud, ad tolerandos Congregationis tempore sumptus, non solum centum tallerorum collata pecunia, sed etiam vino, frumento, auena, & his similibus, ad vsum necessarijs, liberaliter instruxit. Munificentiam Pastoris, imitatæ sunt oues, quo in genere secundas ab illo, iure suo, sibi poposcêre ciues Olomucenses; nec tamen Capitulum nullum in nos beneuolentiæ signum dedit. Ad reliquam in Patres humanitatem, illud adiecit Cardinalis, vt cum semel atque iterũ domi nostrę cum illis edisset frugaliter, & semel etiam atque iterum eos suæ domi mensæ adhibuisset, discedentes, Cremsirium omnes omninò inuitaret. Vnde Regie planè habitos, non sine singulari erga Societatẽ propensionis significatione, illos dimisit. Singularis quoque illa fuit in Collegium beneficentia, qua vacuum ante hos annos, instructum prædium, ouibus centum expleuit. Cuiusdam etiam Canonici liberalitate, trecentorum florenorum condonatum nobis debitum; suis quadantenus, Collegium difficultatibus subleuauit. Eiusdem quoque munificentia vrceoli duo argentei, & crux itidem ex argento inaurata Diui Laurentii reliquias continens, templo accesserunt. Fuit item qui, ornatu atque munditia nostri templi pellectus,

annuú censum, ad fouendum, perenni oleo lychnuchum, munificè templo offerret; pollicitatione addita factorum, quæ ampliori eius in nos voluntati responderent. Alius verò, qui ad ornandum aram sericum contulit pannum. Reperti Domini, qui vino Collegium, pecoribus prædium, donatis adiuuerunt.

STVDIA nostra Academica floruerunt hoc anno vt cum maximè. Argumēto sint sexdecim iuuenes, quâ nobilitate generis, quâ literis & Philosophia insignes, prima in eadem Philosophia & artibus laurea, Illustrissimo Cardinale præsente, venerabilis Capituli, nostrorúmque Patrum Professorum frequenti conuentu, donati; & Tragicomœdia de extremo iudicij die, in celeberrima Procerum Prouinciæ, ad iudicia publica congregatorum corona, in scenam data; ea Academiæ nostræ commendatione, vt repetitam magnis principum virorum precibus, non par modò, sed multò etiam maior applausus fuerit consecutus. Datus præterea, ad instaurationem studiorum, cum præmijs dialogus, haud vulgariter Actores studiosos commendauit. Pietatem eximiè colunt omnes scholastici nostri, cuius non vulgaria dederunt inditia plures, qui vel commentationibus spiritualibus, domi nostræ exculti sunt; vel ad nostram, aliásque Religiosorum familias, ex nostris scholis transierunt. Digna omninò, quæ non taceatur, Poëtices auditorum, in nostrum Beatum Patrem Ignatium, religio fuit. Hi enim omnes, quo die transitus eius e mundo in cælum, annua quidem illa & religiosa, sed tamen tacita à nostris hominibus memoria recolitur; prius quàm ad Gymnasium se conferrent, exomologesi peracta, cælesti conuiuio

pasti sunt. E quorũ numero fuit, qui diu quartana conflictatus, cum morbo remedium non inueniniret, Magistri vsus consilio, eodem die, quo inuocato Beati Patris Nostri Ignatij nomine sacram percepit synaxin, ab diuturno morbo est liberatus.

Et quanquam, vt dictum est, omnes scholastici nostri pietatem mirificè colant, primas tamen reliquis in ea colenda, Virgini matri, duobus in Sodalitijs, altero Conuictorum, externorum studiosorum altero, deuoti Sodales omninò præripiunt. Externorum studiosorum Sodalitium, hoc anno augustiori solita, assumptam Virginem pompa celebrauit, inuitato Illustrissimo Cardinale ad sacra mysteria peragenda. Is vt est ad promouendum Virginis cultum ardenti planè desiderio, habita prius ad Scholares in nostro templo concione, solemni ritu, non sine grato symphoniacorum concentu, operatus est sacris: & prolixissima corporis Domini communicatione, quę benè recentẽ & integrum, nèdum concione & sacro cantato delassatum, fatigare poterat; non minus religioso, quàm forti animo Pontifex, celebritatem omnem conclusit. Idem iam antea, pari quidem in Beatam Annam Deiparæ matrem studio, sed nouo omninò exemplo inuitatus ab Sodalitate, sub auspicijs Beatæ Annæ ex ciuibus in templo nostro collecta, religiosus in Diuos Princeps præstiterat. Quamquam cum in colenda Sancta Anna, tum in eius ad pietatem Sodalibus prouehendis, ea ex parte amplius aliquid fecisse videatur, quod, vt destinatam ad Sanctam Annam peregrinationem, quarto ab vrbe lapide, pręsenti populi concursu, & pietate celebrem, ipso

ipſo Diuæ feſto (quod fortè in Sabbatum inciderat) non intermitteret : indicta Congregationi in ſequentem diem, qui erat Dominicus, celebritate, Sodalium in Patronam obſeruantiam, continuo duorum dierum cultu duplicârit. Peracta celebritate, vt aliquod ſuæ in Congregationem munificentię monumentum extaret, in ornatum aræ Diuæ Annæ ſacræ, centum taleros dono dedit. Conuictorum contubernium, mirifice hoc anno floruit. Sex omninò ex alumnorum numero ſacerdotes, ad vineam Domini excolendam prodierunt.

Ex concionibus ſacris, & lectione Catechetica, quæ, pręter ordinariam, diebus Dominicis haberi ſolitam in noſtro templo; habita eſt diebus ſingulis per Quadrageſimam, in Parochiali Sancti Mauritij Eccleſia: ſicut ex confeſſionibus ſacris, ex mutua cum populo conſuetudine, aliiſque, ad animarum lucra, Societatis exercitationibus, illud in vniuerſum prouenisse habeo dicere: ab vſu calicis ad vnam ſpeciem amplius centum quadraginta tribus reuocatos, ab hæreſi verò, non pauciores ducentis & quinquaginta vno; in quibus non nemo, qui non niſi poſt viginti annorum, cum Catholicis concertationes, veritati victus dedit manus. Alij item triginta tres, oppidi haud ignobilis, fuerunt ciues, grauiuis vtique ob diuerſas hæreſes animo, quàm, neſcio ob quam, in ſuum Dynaſtam, noxam infeliciter admiſſam, corpore in publico iſtic carcere impediti: quibuſcum multis quidem, ſed aſpirante Domino, tam feliciter per vnum è noſtris actum eſt; vt inſtructi in fide, damnata & abiurata hæreſi, ſub ferias Paſchales ſpiritualibus animum vincu-

lis expedirent. In excipiendis eorum confessionibus cum dies non sufficeret, nox illis in carcere est impensa; quo etiam in loco, exaggerata ex tempore ara, die sequenti, post concionem ad Diui Mauritij habitam, Illustrissimus Cardinalis illis primus omnium, sacrum Missę officium celebrauit; & post spiritualem omnium refectionem, vt spiritualis, ità & corporalis admodum sumptuosi conuiuij administer, vna cum nostris Patribus esse voluit, non minori Christianæ submissionis, quam Principe dignæ liberalitatis exemplo. Cumulauit hanc bonorum hominum, cùm de perfidia abiurata, tùm de Illustrissimi in se pietate conceptam lætitiam, optatus in alterius, eiúsque Catholici Domini, potestatem ac ditionem transitus; qui vinculis animi expeditos, etiam carcere quo concludebantur, indemnes omninò, sua apud iudices intercessione, nuperis iudicijs expediuit.

Aliis quoque captiuis, non rarò solita Societati officia, summa Societatis commendatione impensa. In his fuit, qui horrore ac mœrore imminentis supplicij, continua quinque dierum inedia, vix se non confecit; qui tamen per confessionem eluta conscientia, sacra synaxi, & appenso ad collum agno Dei confortatus, non æquo solum, sed etiam forti animo, supplicium luit. Vni qui vitã furto trecentorum florenorum, Domino obligauerat, non aliter, quam post abiuratam hæresin sumptámque Eucharistiam, & furtum & suspendium, nostro interueniente, condonata. Ab alio iniquo possessore, res ad proprium herum remissa. Confessiones & communiones, circà natalem Domini, ferias Paschales, & Pentechostes, solita sunt

auditæ

auditæ & exhibitæ frequentia. Alijs quoque festis, etiam solito frequentiores, vt confitentium numerus in assumpta Virgine, ad consuetam in ferijs Paschalibus frequentiam visus sit accessisse, vt interim de templis sileatur alijs; in quorum vno, vbi noster verba facere solitus, eodem Deiparæ festo, quòd vsque inuisum, ducenti sub altera duntaxat specie communicarunt. Cui sane multudini non minima quoque causa extitit, sublatus ab Illustrissimo Cardinali, quinquaginta propè annis concessus calix. Eiusdem itidem voluntate, matrimonium inire volentibus, ijs non nisi qui Catholico ritu Sacramenta perceperint priùs, impendi solita à sacerdotibus benedictio. Salutaria omninò ad conuersionem ciuium inuenta, & quæ ad posteritatem transmittantur digna. Porrò quam religiosè tractanda sint diuina mysteria, docuit, bono animalo suo, sacerdos, qui apud nostrum factus est, se cum in peccato esset, quantumuis connitentem in sacro Missæ officio verba consecrationis edicere, occulta & suprema vi impeditum fuisse. Vt verò tractatorum religiosè mysteriorum, religiosè fierent participes, à plurimis perperam factæ confessiones, correctę; complures feminæ, ab inhonesta vita ad honestam traductæ.

QVATVOR personæ à Magia, cui adhæserant, sapienter ereptæ; duabúsque de venia peccatorum propè desperantibus, salutaris de misericordia Dei spes iniecta. Denique nostrorum operum, hoc etiam anno extra ciuitatem, precium stetit. Cremsirij enim Illustrissimi Cardinalis voluntate, totis Paschalibus ferijs, vnus ex nostris est versatus, obitis strenuè omnibus etiam Parochialibus, nedum Societatis muneribus. Vbi

(vt sigillatim ponantur aliqua) quosdam ab occulta hæresi, alios à superstitione, qua laborauerant, abduxit, & discordes principum virorum in ciuitate animos, exoptatæ amicitiæ fœdere copulauit. Alius vel in ipsam Silesiam, à duobus proceribus euocatus, quâ concionibus habendis, & confessionibus excipiendis, quâ dandis ad extirpandas hæreses consilijs, operam suam adeò vtiliter posuit, vt eorum alteri persuaserit, Senatores, quoad per paucitatem Catholicorum liceret, amotis hæreticis, substitueret Catholicos, & ciuibus egressum ad vicinum prædicantem, diebus festis, grauiter interdiceret. Alterum, expurgantem iam suum ab hæresi Dominium, etiam vehementiùs incitaret, nedum in pio ac religioso hoc studio confirmaret. Quo in itinere, actum quoque cum Dynasta quodam de religione non infructuosè: quippe qui fidei amplectendæ, spem non leuem de se præbuit; Patrem, vbi rediret, ad se inuitando, & liberos suos non prædicanti suo, sed sacerdoti Catholico ad Baptismum offerendo. Euocatus postremò in Bohemiam, qui matronæ cuidam nobilissimæ, concione funebri parentaret. In his verò, & similibus Societatis nostræ officijs, etsi se Societas, suósque Proceribus magnopere probet; longè tamen maxime ijs sese probare videtur abstinentia munerum, quæ sæpe, pro muneribus obitis, nostris hominibus deferuntur.

MISSIO

MISSIO BRVMOVIENSIS.

INITIA Miſſionis Brumouienſis, anno ſuperiori perſcripta ſunt: quibus abundè, currentis anni reſpondet progreſſus. Nam eorum, qui ab hæreſi ad fidem & Eccleſiæ gremium, per noſtros reuocati, cenſa ſunt ſupra duum millium, capita octingenta. Hos omnes, vnus duntaxat ſacerdos ex noſtris expiauit; quicum, reliquo quidem toto anno cùm Brumouij, tum verò in vicinis Parœciæ Brumouienſi ſubiectis ſeptem pagis, vnus; ſacro verò quadrageſimæ tempore, etiã tres alij Societatis noſtræ tyrones, pro ſua virili, laborarunt. Itaque quod ad hanc quidẽ huius Dominij Parœciam attinet, videtur ea Deo, & Eccleſiæ reſtituta; reliquæ tres, ad quas, in ſua bene occupati, non pertigerunt noſtri, quanquam Catholicos habeant Parochos, incultæ iacent; excolendæ & ipſæ, cum tempore, per noſtros, Brumouienſi in fide confirmata. Solitis verò Societatis noſtræ muneribus, Brumouium ad fidem reductum. Nam & publicè quâ concionibus habendis, quâ tradendis doctrinæ Chriſtianæ capitibus, & priuatim familiari congreſſu; ità ſunt ad fidem inſtructi, vt non ſolum maturiores edocti ſint, quæ Chriſtianum ſcire & facere oporteat; ſed & pueri non pauci, totum Patris Caniſij Catechiſmum, vulgari lingua memoriæ mandarint; quem frequenti populo, per Dialogiſmum, non minori fructu, quam grata circumſtantium admiratione, diebus feſtis in templo pronunciant. Habiti ſunt diebus natalitijs Chri-

sti Domini, Paschæ, ac Corporis Christi festis, Dialogi aliquot vernacula lingua; vt vel hac ratione rudi huic populo, fidei nostræ mysteria, & clarius proponerentur, & altius imprimerentur. Mirum verò, quam grata illis eiusmodi spectacula obueniant, quæ, vt maiori cum vtilitate excipiantur, apposita ad rem cohortatione, solent concludi.

CVLTVS, ac veneratio Sanctorum, & in primis Deiparæ matris feliciter introductus, adeò, vt edocti per cantus Deiparam celebrare, passim illam & pueri & puellæ, magno audientium animi sensu, deprædicent. Dedocti sunt, sacrosanctæ crucis & imaginum honorem, idololatriam & dicere & opinari; imò quas inhonorassent hactenus, eo studiosius imposterum colere. Probauit verò nostros, ea in re non inutiliter laborasse quiddam, quod natalitiis festis accidit memorabile; vt scilicet nec Brumouii, amplo satis oppido, nec in septem circumiacentibus pagis, quos Pater noster armata manu venerabilis ligni, & ex illo dependentis Christi effigie, obibat; plures sex reperti fuerint, qui illam venerabundi, non exoscularentur. Ex illis autem fuit non nemo, qui ex concione, quam sequenti festo in crucis inimicos habuit Pater, compunctus corde, illum domi conuenerit, petitaque suppliciter venia de peruicacia, & in crucem Dominicam iniuria, pollicitus fuerit, sanctam crucem meliori apud se loco futuram imposterum. Supplicationes, ex more Ecclesiæ, sic restitutæ, vt istic ab hominum memoria, pari dignitate celebratæ non fuerint, atque in his præsertim quæ ad D. Marci per agros, & Corporis Christi festa per ciuitatem, consueuerunt institui. Denique vt verbo dicam nihil præteritum,

teritum, quo fides hoc loco ad priſtinam, & auitam maieſtatẽ rẽfloreſceret. In eam rẽ, haud minus exemplo ac liberalitate, quã authoritate ſua, contulit loci Dynaſta; qui nihil non agit, vt ſibi à Deo ſubiectos, Deo & Eccleſiæ per religionẽ ſubiiciat. Hinc eſt, quod non ſolum templum, anno ſuperiori expiatum, exornârit mirificè; ſed etiam, ad exædificandum amplius, quod multitudini tantæ ſufficiat, adiecerit animum: & Parochi domum, à fundamentis excitatam, propemodum ad faſtigium perduxerit. Synagogam verò Pichardîtarum quam expulſo miniſtro, nequicquam in contrarium nitente ſuis interdictis Domino, frequentabant pagani, & in ea mutuis ſe colloquiis in hæreſi obfirmabant, omninò funditùs euertit. Euertiſſe videtur vnà, pertinaciam ruſticanorum hominum, qui ab eo tempore ad noſtras conciones & ſacra congregati, ad fidem à perfidia diſponuntur.

COLLEGIVM
SELLIENSE.

VIxervnt in hoc Collegio hoc anno viginti ſacerdotes, non ſacerdotes duodecim; quamuis peſte, per totam ferme æſtatem graſſante, in Reſidentiam Turocienſem, vnde menſe primum Ianuario reditum fuit, nos receperamus. Ad Societatem admiſſi duo. Qui ſalutarem caſtrenſibus impenderet animorum induſtriam, fuit vnus. Nec corporum cura intermittitur. Nam pauperum ſeptuaginta ſtudioſorum indigentiæ, quotidiana largitione ſubuenitur liberaliter. Multis damnorum à militibus, & iniuriarum vexationibus

bus, exagitati fuimus à vicinis nostris; qui fines nostros, quos nullo iure possunt sibi vendicare, aliquoties armati inuaserunt; terminis, quos iudices à sua Maiestate delegati præfecerant, suo loco motis, & plane disiectis. Quin & fœnum, quod bona copia in iis collegeramus, per vim auectum est; parumque abfuit, quin & nostros colonos, in horum bonorum defensione occupatos, male acciperent. Verum hanc, qua strenuè exerciti sumus, bonorum fortunæ iacturam, diuina bonitas consolata est lucro spirituali, solito abundantiore atque lætiore. Fabrica suum incrementum sumpsit, vt cubiculis pluribus, & commodioribus iam vtamur ad habitandum; & turris lamina contecta, contineat horologium recens comparatum, cum duabus campanis, ad ornatum & necessitatem. Cœmiterium etiam, extra oppidum erectum & consecratum, in eum vsum, vt quoniam domesticum, templo nostro vicinum, pestis contagione correptis funeribus impletum est, alius sit locus hac necessitate opportunus, & ad futuras temporis iniurias necessarius. Amplum etiam prædium, domestico penuario opportunum & percommodum, erectum est.

Miles quidam ex liberis Haydonibus, ferocitate & temulenta ebrietate impulsus ad flagitium, nocte intempesta patrandum; cum in eo ita esset liquido deprehensus, vt in sequentis diei iudicio publico, negare non posset; prudentum consilium secutus, pœnæ & gratiæ magistratus sui se commisit. Eum itaque iussu P. Rectoris in compedes compactum, ad fodiendum in horto nostro, adhibuerunt. Subiit ille pœ-

pœnam ſuam patienter vt debuit, & octiduo non dum elapſo, confeſſione ſuum erratum expiat. Liber ergo dimiſſus, eiurata feroci morum antè actorum diſſolutione, ad tantam frugem peruenit; vt omnibus ſuis repente, non tantum exemplo, ſed etiam admirationi eſſet. Idque eo mirabilius fuit; quod cum compedibus illis ferreis, benignè & ex indulgentia Patris Rectoris, de pœna multum remittentis ſolutis, compedes etiam hæreticas, quibus ab ineunte ætate ſemper fuit conſtrictus, excuſſiſſet: atque ille idem cùm aliquanto tempore poſt, vnà cum ſuis gregalibus ebriis, ipſe ſolus inter omnes ſobrius, in aliquos incidiſſet, quos nefario homicidio temulentia ſuaſerat interimendos; ipſe, qui ſobrietatem vſque ad voti religionem, propter illam ſalutarem compedum pœnam promiſerat, omnibus obſtitit; & ſe pro innocentibus oppoſuit, atque obiecit; adeo vt quos alij temere perdidiſſent, ille opportune ſobrius, ſua ſobrietate conſeruaret. In confeſſionibus excipiendis, noſtri plurimum induſtriæ poſuerunt. Nam præter mille ducentas ex communioribus, exceptæ ſunt eorum, qui recens ad fidem Catholicam acceſſerunt, generales centum quindecim; aliæ Catholicorum numeratæ generales centum viginti quatuor; ex quibus aliæ, collectam â decem, viginti, triginta annis, materiam continebant; non paucæ ex his copioſi pretij reſtitutionibus obnoxiæ. Qui impium ſacrilegæ reticentiæ abuſum, religioſa & integra confeſſione expiarunt, plures inuenti ſunt. Exercitijs ſpiritualibus, duo perquam vtiliter exculti.

QVÆDAM persona impensè Catholica, vt apud nostros pietati vacaret, abúsque Nandor alba, quam quidam Belgradum seu Albam Græcam nominant profecta est. Quidam ex his cum præ multitudine peccatorum confessione expiandorum, & terrore corporis, & vertigine capitis, adeò corriperetur, vt manifestas dæmonis illusiones animaduertere videretur; per sacram confessionem, generosa sui victoria, altam corporis & animi tranquillitatem consecutus est. Confessione etiam acceperunt tres singulare beneficium, quorum duo eiurata hæresi, infirmitate admodum desperati, sanitatem receperunt; tertius post expiatas sordes animum iam iam ad mortuos properantem, inter viuos retinuit. Iuuenis quidam instinctu alterius persuasus, vt sacrilego furto, res quaspiam è templo surriperet; cum iam in sacrum locum pedem intulisset, fluente è naribus sanguine, à scelere reuocatus est; sed sanguine à fluxu desistente, dum impium propositum reuouat, stillantis denuò sanguinis admonitione se continet: ità vt resilientibus à sacrilegio pedibus, sanguis in venas reflueret, & leuato ad sacrilegium corpore, sanguis itidem è naribus proflueret, idque ternis vicibus; donec intellecta sceleris grauitate, diuinam vltionem, sacra confessione præuerteret. Hæretica Ecclesia multis annis prophanata, à nostro Patre expurgata fuit. Concione habita, magno Catholicorum solatio & hæreticorum mœrore, illis conciones nostras cum admiratione approbantibus, his suam infelicitatem deplorantibus. Ex hac Ecclesia, cœnę prophanæ mensa eiecta, tam sordidę fœditatis; vt vel infimus ex hara productus opilio, in casa sua mensulam haberet mundiorem, digna scilicet sacrificio

crificio ara, & tali triclinio non indignus abacus. Cathedra etiam ibidem exturbata, ex tabulatis altarium vetuſtate iam corroſis & corruptis, turpiter compacta, ne pulchrior eſſet ſuggeſtus, altari. Agno Dei adiutus quidam, qui in ſomnis ſurgere & obambulare, ſimilis lunatico, ſolitus. Sacris reliquijs, duæ feminæ extraordinaria partus pifficultate laborantes: partum perquam facilem conſecutæ ſunt. Duo fuerunt, qui infamiæ & mortis periculo ſubiecti, cum libertate ad vitæ honeſtatem reducti. Pax inter nobiles viros conciliata, quorum diſcordia præter damnum non leue, grauem & periculoſam, cum publico ſcandalo, coniunctam habebat infamiam.

MILES quidam Germanus, graui egeſtate eò redactus vt catenulam auream, quam theſauri loco recondiderat, noſtris venderet; cum eam in honorem venerabilis Euchariſtiæ ad ciborium appenſam videret, confeſtim ad Collegium accurrit, precium catenæ noſtris reſtituit, veritus ne Deo potius, quam Collegio vendidiſſe videretur; ſponteque proteſtatus, ſe eam donationis titulo, ſine ſpe pecuniæ noſtræ, offerre Deo; cui nihilominus, accommodata ratione, ſubuentum fuit: vt exiſtimaret ſe nihil Deo vendidiſſe, & tamen nullum indigentiæ ſuæ ſolatium amplius requireret. Reuerendiſſimi Agrienſis munus Epiſcopale, in Sacramento Confirmationis impendi ſolitum, noſtris etiam ſubditis perquam ſalutare accidit. Ex ijs enim vtriúſque ſexus non ſolùm adulti; ſed etiam bene ſenes, in vniuerſum omnes prope trecenti, magno ſui ſolatio, & Sacramenti veneratione, communiti. Memorabilis fuit duorum, è præcipua Baronum Hungariæ nobilitate, conuerſio,

cum

Cum quorum altero, postquam Pater noster sæpè ita ageret, vt ad fidem Catholicam inuitari se, atque adeo, non sine diuino instinctu, pertrahi animaduerteret; ideò remissiorem se paulatim, & molliorem in hæresi gereret: inueterata tamen, & à teneris hausta Caluiniana paradoxa, arctius & altius detinebant miserè perditum animum. Cuius enim pectus Caluinianum dogma ita dementasset, vt blanda illa deliramenta tanquam diuinitus responsa oracula, & calleret ad vnguem, & ad verbum Caluini institutiones teneret memoriter: is nullum, ad fidem Catholicam recipiendam, locum reliquum fecisse videri poterat, nisi auxilio plus humano adiutus, in salutem erigeretur.

ITAQVE tempore Comitiorum Regni, Posonij celebrari solitorum, in morbum incidens, cum non solùm officij causa à nostro sacerdote inuiseretur, sed ægritudine in peius vergente, vnà cum Reuerédissimo Episcopo Nitriensi fratre suo germano, circà mediam noctem salutatus admoneretur, vt seriam de animæ salute curam suscipiat; videat ne tam propinquus sit animæ, quam corporis morti; hæresin suas sibi res habere permittat; sapiat tandem, neuè committat, vt cum omnia illi à Deo sint suppeditata, ne sibi ipsi deesse videatur. Quibus ille, sibi necdum Catholicam liquere veritatem causatus, perstitit in sententia. Verum vix aliquantulum quiescit, cum repentino perculsus terrore, tremere primum, dein clamare; toto postmodum corpore, agitari cœpit in lecto; ibi tum aliis præ metu diffugientibus; Reuerendissimus Episcopus Nitriensis, & noster, ægrum leniter prehensum, manibus & brachiis,

com-

plectuntur; in genua prouoluuntur, ad nota Deum precandi pręsidia conuertuntur. Quibus æger sibi redditus, quasi ex profundo veterno excitatus, Prô! in inferno eram inquit; confessionem, confessionem ingeminat: confessione Catholica expiari se velle vehementius vrget. Itaque tantopere petito absolutionis beneficio potitus, cum lacrymis Dei gratiam extollit; fratrem Episcopum arctissime, tanquam Patrem, (ab illo enim se genitum illacrymans affirmabat) amplectitur; fratrémque alterum præsentem, vt Catholicum se malit quam hęreticum, tam efficaci exemplo commonefacit. Quibus rebus facilè animaduerti poterat, non vulgari conuersionis genere, animam illam è faucibus inimici ereptam; eóque magis, quod non eam noctem tantum, sed diem etiam sequentem totum, in Dei laudibus consumeret; quòd felicitatem sibi suam gratulari satis non posse videretur; quod infelicium Caluinistarum miserabilem statum & detestaretur, & deploraret. Videbatur totus in Deo & rebus diuinis absorptus, orationi intentus assiduè, & nostri Patris, quem toto illo tempore semper pręsentem esse volebat, absentiam continuis precationibus compensabat. Si quid esset ritu Catholico præstandum, vt maturè perageretur, nec quicquam omitteretur, sollicitè monebat; & quasi obitum præsagiret, postmodum non fore tempus, atque ideò properato opus esse aiebat. Professionem publicam fidei aliquoties, præsertim de veritate Corporis Christi in Eucharistia, emittebat. Communionem summis votis expetijt, sed ad se quidem delatam, præ faucium ariditate, & stomachi languore, sumere nequijt. Tertio ni-

nihilominus die, extrema vnctione delibutus, piè obijt, Catholicè sepultus. Bono exemplo fuit hæc conuersio multis; eò quòd doctrinæ ipsius, quam in omni genere literaturæ, vltra mediocritatem etiam reconditam habuit, opinio, prudentum animis insedisset, & ad eosdem permouendos magnum stimulum addidit.

ALTERIVS Baronis, cuius familia nulli inter Hungaricas facile cedit, non minus fuit singularis. Is cum diu multúmque salutis negocium considerasset, & tractasset, & fructuoso euentu ostendisset, non inanes præcessisse consilii cogitationes; statuit relicta, quam à teneris penitus imbiberat, hæresi Lutherana, Catholicæ veritati, omnino se addicere. Tum, post tempus vtrinque constitutum, Patri nostro accersito, ieiuniis, alijsque pijs exercitijs præmissis, sacra confessione animum expiat; vt in ea ciuitate, quæ à triginta annis nulla sacra Catholica viderat, eos ad optimi facti imitationem inuitaret, quos antea pessimæ hæresis exemplo, in praua opinione confirmarat. Altare primum propria manuum industria adornat; deinde in Missa organorum, tubarum, & vario symphoniæ genere, à nostro Patre solemniter celebrata; Venerabilis Eucharistiæ epulo reficitur, tanto pietatis sensu, vt omnes intelligere possent, eum cœlestibus pastum delitijs. Denique, pro concione, rei gestæ causas explicat. Quod, quo maiore ipse peragebat gaudio, eo vehementiore dolore ministri hæretici, attonitis similes, & suam sectam deplorantes, spectabant. Ab iis autem, quos propter magnas affinitates & clientelas, intimos & bene coniunctos habebat, amicis cum à cœpto proposi-

to absterrentibus; tam parum se persuasum ostendebat, vt etiam fratrem germanum, pari nobilitate Baronem, à Catholica fide abstrahere conantem, minimè audiret. Afferebat ad persuadendum, notam grauissimæ infamiæ, familiæ nobilissimæ inurendam; aliaque, quæ hæresis malè disertæ facundia suppeditare solet, depromebat, quæ ille Catholicus, omnia constantissimo animo facile elusit. Atque vt omnem amicis spem immutandæ sententiæ adimat, Catholici exempli, illustria, in dies prodit, indicia.

PRÆTERQVAM enim quod priusquam publicam illam conuersionis celebritatem perageret, eos mitteret qui conciliatæ gratiæ ijs, quibus offensus erat, nunciarent amicum nuncium; eos etiam ipsos, quos olim maximè domesticos aulicos aluerat, rogauit; vt si quam fortè commisisset offensionem, eius veniam non inuiti darent; quos ille vicissim, libens in gratiam receptos, affirmabat. Quæ omnia, veræ religionis indicia, quanto minus apud sectarios sunt consueta, tanto magis apud eosdem nouatores, erant mirabilia. Et quamuis admiratio, cum indignitate coniuncta, diuturnius videbatur duratura, eam tamen optimus Catholicæ veritatis tyro, creatus jam à Cæsare Comes Sepusiensis, ita fregit; vt multis veteranis, documento esse posset: maximè cum nostrum subinde Patrem, vt sæpe ad se excurrat, roget. Hoc præclaro facto, aliorum plurimorum è prima nobilitate animi, ita emolliti in spem nos erigunt; vt sicut hic aliis admirationi est, ita admirantes alios, afflictæ huic nostræ patriæ, salutari cum admiratione, futuros iucunditati.

Cœpta eſt etiam viſitari, noſtrorum opera, Reuerendiſſimi Nitrienſis Epiſcopi Diœceſis; quæ, quia abſolui non potuit, ob Reuerendiſſimum à ſua Maieſtate Pragam euocatam, Parochiis tamen aliquibus ſalutariter conſultum. Ipſe Reuerendiſſimus vel in gratiarum actionem, vel in comfirmationem optimæ, quâ erga nos ſincerè & vnicè fertur, affectionis, Nitriæ in ſua reſidentia, optimam domum, hoſpitantibus noſtris in itinere Turocienſi perquam commodam, noſtro Collegio donatam, & poſſidendam tradidit; vnà cum agris, pratis, vineáque adiunctis. Iochoata etiam eſt reparari, & dilatari Eccleſia noſtra, in vno è pagis noſtris. Iam fundamenta pro ſacrario, ſacriſtia, & turri iacta; ſumptus ad eam fabricam, ex piorum eleemoſyna ſuppeditantur, cum theca reliquiarum, vnà cum ſacris reliquiis, affabre polita & compoſita. In eius etiam vſum. Caſula eſt collata, elegans & precioſa, liberalitate Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi. Scholæ noſtrę, numero diſcipulorum, diligentia, pietate; & ſolitum ſuum curſum, & expectationem ſuperant; ità vt peſtis interrumpentis turbationes vix animaduertamus. Progreſſum in ſtudio pietatis, quo priuatis quiſque exemplis cæteros inflammabat, eum fecerunt, vt publico documento, dum acri ſui diuerberatione in ſe deſæuirent, pietatem, & pœnitentiam omnibus facile perſuaderent.

RESI-

RESIDENTIA TVROCIENSIS.

HOc, anno ſedata peſte Selliæ, poſt diſceſſum ſociorum ad Collegium, decem habitauimus Turocij, aliquando pauciores; ſex Sacerdotes, quatuor ſocij laborum temporalium: ex his Michaelem Machmayr vigeſimo tertio Maij, Deus ex hac ſtatione in æternam vitam euocauit. Erat hic in omni genere officiorum ſui gradus excellens; præcipue verò, in obſequio infirmorum, curam & charitate ſingulari. Procuratorem ſex annis egit, ea induſtria, quam & coloni ſubditi mirari, & noſtri ſuperiores, commendare conſueuerunt. Antequam ad ſupremum certamen, oleo ſacro inungeretur, præſentibus Patribus & Sociis omnibus, etſi iam viribus exhauſtis, fidei profeſſionem, ex forma Concilij Tridentini fecit, nequod periculum ab hoſte pateretur, eo quod ex Lutheranis ortus, adoleſcentulus eorum lacunas guſtaſſet. Secreta pectoris, in ægritudine ſæpius aperuit, adeoque ſub ipſum exitum animæ, quod occurrebat euoluit; ad vltimum ſpiritum, animo præſenti & erecto ad Deum: profeſſus ſe id ſemper expetiuiſſe, vt in Societate moreretur. Cui ad patientiæ fructum vberiorem, permiſit Deus abeſſe medicum, licet ipſe plurimos in vita, medendi peritia curaſſet. Tres Turocio, ad Nouitiatum miſſi. Fructus concionum, doctrinæ Chriſtianæ, confeſſionum, viſitationis ægrorum, inopum axilii; ferè ijdem, qui ſuperiorum annorum. Argumento ſunt confeſſiones generales quinquaginta ſex exceptæ;

præter eas, quę partim ſubditorum noſtrorum frequentes; partim ex hæreticis locis aduentantium, annuæ, plurimæ fuerunt. Pagus Salca, nouem familiarum, cum quo iam alterum annum de conuerſione actum, ad Eccleſiam aggregatus, in quo triginta duo confeſſi, viginti quinque Euchariſtiam, ritu Catholicô perceperunt. In eodem duo infantes, baptiſmo renati; ſena matrimonia Catholicè copulata.

MISSIONEM Nedezianam Paſchali tempore, cum alius non eſſet, quidam Pater, qui in Tranſiluaniam mittebatur, obiuit, & quadraginta hominibus Sacramenta miniſtrauit, & plures fuiſſent, ſi linguæ Sclauonicæ, peritiam habuiſſet. Nonnulli præterea Magnates viri & feminæ, apud nos, diuino epulo, refecti ſunt. Cetera longum eſſet enumerare, quoties viri religioſi, Sacerdotes, aliique peregrini hoſpitio excepti; quam multi pauperes, frumento, pecunia, veſtibus, ceruiſia adiuti; præcipue vero religioſi Patres ex D. Franciſci familia, qui Tyrnauiæ degunt, cum ad nos egeſtate preſſi excurriſſent; vario commeatu, in domo noſtrá, currum oneratum, ad monaſterium reduxerunt. Hiſce humanitatis offi iis, accedunt ad confirmationem fidei Catholicæ, quædam vicina miraculo. Nam in partu laborantibus nonnullis, imagine beati Patris N. Ignatij, & cingulo S. Petri (vt vocant) ſubuentum. Verna ſeges, ob nimiam ſiccitatem rarior, & tenuior apud vicinos Lutheranos; noſtrorum colonorum, lætior, & copioſior, multorum cum admiratione confeſſionem expreſſit: Catholicæ religionis officijs & ſupplicationibus, à Deo, rerum copiam,
impe-

impetrari, quamuis aliqui more Ethnicorum, incantationibus & præstigiis Papistarum, incrementa frugum adscripserint. Anus quædam, olim in Catholica fide educata, memor suæ salutis, vt in eadem feliciter vitam finiret, hæreticis valere iussis, nostris subditis adhæsit; voti compotem fecit Deus; intra paucos menses correpta morbo, salutis remedia percepit, vitam in Catholica religione finiuit. Non parum etiam mouet plurimos, templum S. Georgij, quod iam, tertium annum in territorio Societatis erigitur, & ad tectum perducitur; quod tam periculoso statu rerum, quæ ad Dei cultum pertinent, promoueamus; & ex angustis, Ecclesias Dei reddamus ampliores. Turris templi nostri, duabus campanis aucta. Prædio Zœzouensi, nouale, iuxtæ magnitudinis, effossum; ex quo non contemnendi fructus expectantur.

COLLEGIVM CRVMLOVIENSE.

INTRA decimum quintum, & decimum septimum numerum stetimus Crumlouij, hoc anno millesimo sexcentesimo tertio, sacerdotes initio sex, post septem, ex quibus vnus, semper in scholis docuit; & præter hunc alij tres non Sacerdotes, vnus præterea scholasticus, valetudinis causa, in domesticis erat ministeriis. Coadiutores temporales sex, quorum vnus iam formatus, vita defunctus est, annos natus quinquaginta quos triginta ipsos, in Societate nostra vixit. Fuit is Paulus Vergius, memorabilis sui

contemptor; adoleſcens tantum profecerat in literis, vt quatuor minoribus Ordinibus fuerit nec immeritò initiatus; elegit tamẽ magis abiectus eſſe in domo Dei. Quare, penitus abdicatis litterarum ſtudijs, totum ſe domeſticis ſeruitijs in Societate addixit. Nemo illum vnquam facile vidit ocioſum; grauiorem quemque atque abiectiorem, libenter ſibi, ſponte depoſcebat laborem. Vbi plurimum ſudoris, ac minimum ſplendoris eſſet, vltrò ſe offerebat, imó & ingerebat; præſertim, ſi quid animaduerteret à iunioribus ſubterfugi. Id adeò poſtremo vitæ tempore, luculentis exemplis demonſtrauit. Nam cum propter malignam tuſſim, pedum dolorem, atque hydropiſim, qua etiam extinctus eſt, grauioribus occupationibus exemptus, curandæ valetudini relinqueretur; tamen & iniuſſus, domum totam ſolus euerrere velle, non deſiſtebat; plures ad impetrandum labores, excogitans rationes, quam ſolet ingenioſa pigritia, ad declinandos. Brumæ tempore, fornaces non ſolum Sacerdotum, ſed etiam in officinis fratrum iuniorẽ, antequàm è lecto ſurgerẽt, ipſe ſuccendebat. Dicere ſolitus eſt: Quo quis diutius in religione vixiſſet, tantò minus ei de quiete, & ocio cogitandum eſſe. Et qui perſeuerare, ac bene mori in Societate vellet, illi laboribus immoriendum; ſiue, laborantem mori eum oportere. Pro ipſo, plures Societatem expetierunt; ſed vnicus impetrauit.

Scholæ præter ſpem, hoc caritatis & belli tempore, creſcunt non minus numero, quàm ſtudio litterarum. Autumnali renouatione, data eſt in ſcenam, Angelus cuſtos; quę ita placuit cùm cæteris omnibus, tum generoſo Domino Simoni Tenzelio Capitaneo ſupremo Crumlouienſis ditionis,

tionis, vt Actores lauto sane epulo, tribus mensis acceperit. Pręmia quoque eadem renouatione data, nunquam alias splendidiora. Nec mirum. Mecœnas enim erat idem, qui Dominus Crumlouiæ, nunquam hactenus maior; Imperator videlicet: cuius etiam, pro eo ac debuit, augusta commemoratio facta est, toto assurgente, & ad venerationem eius Majestatis, sese componēte confertissimo theatro. Probitas, & pietas in Deum eiusdem nostræ iuuentutis, in Sodalibus Parthenicis cum primis eminet. Hi bono numero aucti, nihil de superiorum annorum supplicationibus, ad vicina templa, nihil de legum suarum obseruatione accurata, nihil de aliis exercitationibus, ac virtutibus remiserunt. Auxisse etiam has videri possunt, si (vt sępenumerò solet) exterior sacrorum ornatus, interioris animorum indicio est. Auxerunt siquidem sacram supellectilem suam, calice inaurato, aliquot vitę Beatissimę Virginis mysterijs, insculpto: Vrceolis prętereà, cum subiecta patera, argenteis; omnia præstanti pondere & opere, vt taceam alia, ad cultum altaris per eos hoc anno comparata, plura, quàm fuerint aliquot retrò.

CIVITAS Crumlouiensis etsi necdum ad messem matura, extulit tamen, haud pœnitendos Domino manipulos; nam octoginta quinque amplius (in his integræ familiæ fuerunt aliquot) alioqui, Catholici, sed calicis sitientes, in vna panis specie fontem viuum, quo febrilem sitim salubrius explerent, nostris, secundum Deum, authoribus, inuenerunt. Quod idem euenit, fere viginti alijs, qui Lutheri, aut Hussij opinionibus eiuratis, ad Ecclesiam recens accesserunt. Et fuit inter illos non nemo, ex vicinia nobilis; duo, qui à pueris,

ad

ad ſexageſimum ipſum ętatis annum, in Lutheri fæce hæſerant. Ceteri quàm propè abſint omnes, duobus indiciis innotuit; vel cum plures quam centum, & ex his, qui hactenus apud Lutheranos, cœnare ſacrilegam cœnam ſoliti ſemper fuerunt; in Paſchate, licet cum indulgentia calicis, à Parochialibus ſacellanis rite communicârunt: vel cum reliqui, qui nec calice quidem, ad Parochiæ communionem, pertrahi voluerunt, atque idcirco, edicto Archiepiſcopi, communi Cœmiterio excludebantur; cum expoſtularent ſuper ea re cum Archidiacono, iuberetque is expoſtulatores iſtos, nomina ſua ſcripto edere; non ſunt plures inuenti, quam centum viginti, qui ſubſcriberent, & quidem maxima pars, inops fæx populi; quidam etiam apud Capitaneum queſti ſunt, ſe inſciis, & inuitis, nomina ipſorum in illum indiculum relata. Hic tamen exiguus numerus, non exiguum faceſſit negotium. Laboratur enim pro retinenda hæreſi, quà palam, quà per cuniculos.

HABET Crumlouium fodinas metallicas, in quibus poſtquam Cæſar rerum eſt potitus, dicebantur vberiores argenti venæ repertæ. Ea felicitas occaſionem dedit Crumlouienſibus, nouas immunitates (montanis ſeu fodinariis ciuitatibus dari ſolitas) ab Imperatore petendi. Legati, cum ex Scazontibus (iidem authores petitionis extiterant) lecti fuiſſent, inter priuilegia, religionis libertatem, qua ſcilicet, tanquam eſca, aduenas, ad ſumptus fodinarios conferendos, allicerent, expetebant; ſed quàm occultiſſimè, portaſſe propter nos, & reliquos ciues, quibus id minime gratum ſciebant futurum, aliiſue de cauſis. Neque

facilè

facile reſcitum fuiſſet id eos moliri, niſi ipſi tanquam ſorices ſuo maleuolo ſtridore ſe prodidiſſent. Nam cum res ex eorum ſententia non procederent, ſparſerunt in vulgus Ieſuitas eſſe, qui ciuitatis priuilegia impedirent; qui ſermo tam conſtanter increbuit, vt nobis, etiam apud Catholicos, odium ſatis apertum pepererit. Quare viſum fuit neceſſarium, pro concione dolos hæreticorum detegere; præſertim, cum viderentur quidam boni etiam, & Catholici viri, ſpe locupletandæ ciuitatis, ad hoc deſiderium libertatis iam inducti. Effectum ergò eſt, vt & ſtudia hæreticorum patefacta refrigeſcerent, & ſiniſtri illi rumuſculi de nobis, conſopirentur. Tantum autem abfuit, vt iſti aliquam domi libertatem religionis imperrârint; vt etiam perfectum ſit, ne Crumlouio, vlli foras quoquam ad audiendas conciones hæreticas, exire liceret, præſertim in Lachan locum hæreſi infamem. Terna ſiquidem mandata ab Imperatore impetrata ſunt, ſingula grauioribus ſemper contra exeuntes pœnis; eáque publicè in Curia, Senatui, populóque Crumlouienſi perlecta; diligens etiam executio per Senatum, & verò Capitaneum, virum ſincerè Catholicum adhibita. Nobilis denique ille, in Lachan; qui hos excurſores fouebat, ſeriò & grauiter cohibitus.

Cvratvm prætereà à noſtris: ne carnes, publice, quę initio quadrageſimæ, vendi cœperant, in macello proſtarent, neuè aliundè, in ciuitatem importarentur; Ex aliquot priuatorum quoque ædibus non obſcuris, vt excluderentur, perſuaſum. Atque hoſce conatus omnipotens Deus, ſuo quoque nutu viſus eſt approbare, ac prouehere.

Est vir, qui cum Ecclesiastici ieiunij leges flocci penderet, diuturno grauique morbo edomitus, didicit non solùm à carnibus abstinere; sed etiam xerophagiam, ab omni cocto cibo abstinentiam, singulis per annum sextis ferijs, dum viueret, sibi indixit: eiúsque abstinentiæ voto nuncupato, conualuit. Quod sequitur, plus continet miraculi. Matrona est honesta ciuis, insignium liberorum parens; quæ relicto templo & fide Catholica, quam à teneris, vtpotè nata Crumlouij, coluerat, ad hæreticos in Lachan excurrebat; quoties autẽ indè rediebat, manifeste sibi visum imminui, atque oculorũ aciem magis, magisque hebetari animaduertebat, neque tamẽ tantopere curabat, donec, postquam semel execratis eorum Sacramentis communicasset, cæca penitus facta est, ità vt manuduci à filia debuerit. Quærere cœpit varia cæcitati remedia, sed cũ nihil proficeret, tunc demum agnouit, tenebras illas hæreticorum, ac deuoratum lolium excæcatę primum animę, in orbitatem etiam corporis oculorum, Dei permissu redundasse. Quare ad nostrum sacerdotem duci se iubet: cúmque rem omnem non sine pœnitudine & lacrymis expoluisset, quæsiuit an ei pateret ad pristinam fidem, & Ecclesiam reditus? sperare se, cum postliminio cælestis luminis, oculorum etiam lumen recepturam. Confirmat feminæ animum noster, & ad Catholica Sacramenta hortatur. Res mira, sed verissima; postquam semel atque iterum, expiatis confessione peccatis, ad sacram Eucharistiã accessit, discussis paulatim tenebris, pristinum visum recuperat; quem hodiéque tam limpidum, támque perspicacem habet, quam vnquam antehàc: atque cum exteriori hoc lumine, mirum

rum interioris luminis, à Deo, percepit augmentum; quo impellitur, vt in templo assidua, sanctis precibus, & actionibus gratiarum expleri non possit; pulcherrimo totius ciuitatis exemplo.

SVNT alia tùm domi, tùm foris in excursionibus, quę concionum pręsertim gratia à nobis sæpe suscipiuntur, gesta. Ea nunc summatim persequar. Apostatæ religiosorum Ordinum, qui è tota Germania, hosce Bohemiæ fines videntur pro asylo delegisse, reducti ad sua cænobia quatuor; duobus Parochis concubinæ dissuasæ, quorum alter cum castitate, Ordinis Cisterciensis seueritatem complexus est. Tria inualida matrimonia correcta. Quaterna coniugum dissidia, in quibus diuortiũ, aut alterius fuga propè aberat, composita. Amici, interdum vicini, parentes adeo nonnunquàm, cum grandibus liberis conciliati. Quid? quod nostrorum studiosorum, non prorsus pueriles iræ, cum Senatu Crumlouiensi (qui mechanicorum iniurias, cum sanare deberet, exasperauerat magis) non nihil negocij, priùs quàm vtrinque sopirentur, facessiuerunt. Plurimi præterea libri inutiles combusti, & ex vno quidem loco tot, vt Biblothecam pene conficerent; fœnus triennale trecentorum tallerorum restitutum, non sine liberali auctario, id fuit septem egentium vestitus. Senatus hoc quoque anno Catholicis viris, ijs scilicet, qui altera contenti sunt specie, audior factus non sine consilio; quod Capitaneus, pro sua in Societatem propensione, diebus aliquot, ante subsortitionem, à nobis expetierat. Ipse verò Senatus, ad solemne epulũ, quod in ipsa subsortitione, seu renouatione de more paratur, primores suos, qui nostros inuitarẽt, ad Collegium misit: nec honeste

recu-

recusantibus vllo pacto acquiescere voluit. Carceres & hospitalia sæpe visitata, atque ex vno hospitali, aut exclusi hæretici aut conuersi. sæpe iisdem curata prandia, & largæ eleemosynæ, quibus sane & contubernium studiosorum pauperum, nostri sacerdotis opera & charitate, sustentatur: nec imminutis licet, magna ex parte prouentibus, quicquam vel de numero ac flore iuuenum, vel de officiis, ad Parochialis templi cultum spectantibus, spe vtique rerum meliorum, diminuitur. Collegium quoque seorsim in alia domo, octo egregios iuuenes, pane & reliquijs sustentat; pręterer mendicos, & id genus homines, qui quotidie stipem apud portam flagitant, quorum, pro tantula ciuitate, magna est multitudo.

Plana oppidum dicitur, Crumlouio propinquum. Hic duo, morbo aut impetu diaboli, itą exagitabantur; vt diebus aliquot mentis compotes non essent. Accurrunt ad nos eorum propinqui, accipiunt amuleta Agnorum Dei, appendunt ęgris, qui continuò ad se redeunt; sed quia infestationes, & terriculamenta iam apertiora malignorũ spirituum redibant, suasum est ijs vt peccata confiterentur. Venerunt ad nos, Sacramentis muniti sunt, ac deinceps molestiis omnibus liberi fuerunt. Eodẽ exemplo tres alij, alio in loco, ex capitis doloribus, solo Agni Dei contactu; rursus alij quatuor, grauibus morbis conualuerũt: tantáque iam inter agricolas veneratio est ac fiducia Agni Dei, vt proxima ęstate, quo tempore hic insolitę, ac (vt vulgo nec temere credebatur, siquidem & in carcerem hoc nomine quidam coniecti fuerunt) maleficiis concitatę tempestates grassabantur, passimque tum segetes grandine, tum templa & ædes, de cœlo

igne

igne tangebantur; ad auertendas huiusmodi iniurias, pagani ex vicino pago publicam, pro Agnis Dei, ad nos legationem expediuerint; atque cum hoc sacro præsidio, agrorum fines communissent, late circumquaque populantibus omnia tempestatibus, ipsi, toto anno, tuti fuerunt. Quare repetita legatione, miserunt ad Collegium Iudicem atque Optimates suos, qui cœleste donũ collaudarẽt, & nobis publico nomine, gratias agerẽt immortales.

INSIGNIS fuit beneficentia sacerdotis, cuius omnia, quæ viuens, in domesticam pharmacothecam nostram contulit, quæque moriens, testamento in ære, quod ei debebat Collegium, remisit, aliáque collata beneficia, si ad summam redigantur, facilè mille florenos Renenses attingent. Senatus Crumlouiensis, quo loco nos habeat, variis donariis testatur. Quoties Reuerendum Patrem Prouincialem ad nos venisse intelligit, mox eundem, per Magistrum Ciuium, aut pręcipuos Senatores, adhibitis item honoris ergò, de more muneribus, salutat. Verum hæc consueta sunt, &, cum aliis annis, communia Crumlouiensium in nos promerita. Recentius est illud, cui occasionem dedit, numerosa ac formidolosa latronum manus; qui se, proxima æstate, in finitimos montes effuderant; quorum, cum quidam capti, & plexi essent, reliqui cædibus & nocturnis incendiis, sociorum supplicia vlciscebantur. Vigilandum ergo fuit viritim, & in orbem á suburbanis Crumlouio accolis; vbi cum & Collegium habeat hortum, ac in eo aliquot ædiculas, videlicet excubitores poscebantur; pro quibus tamen, Senatus illam satisfactionem gratissimo animo accepit,

quod

quod pro ciuitate, in ſpiritualibus excubiis aſſiduè vigilaremus. Et quia ſupplicij latronum mentio incidit, obiter addo, non defuiſſe piam noſtrorum operam vni, illorum facile coryphæo. Ad huius necis ſpectaculum, fama exciuerat immenſam hominum multitudinem, & Crumlouij ab hominum memoria non viſam; ex longinquis, ex vicinis locis currebatur, ita vt oppida paſſim deſeri viderentur. Conſtanti enim hominum ſermone celebratum fuerat, ipſum ſæpius carnificis manum, ſub ipſo ictu, præſtigijs eluſiſſe; aliquoties, faſcem ſtraminis, pro ſe, ſub reſte in patibulo reliquiſſe. Certe propter hoc, arctiſſimis excubiis, diu noctúque vallatus, â Magiſtratu habebatur in carcere. Quicquid ſit de veneficio, verſutus homo equidem fuit; ſed idem, rerum diuinarum ita rudis, vt ne ſymbolum quidem Apóſtolorum teneret. Quapropter multum Patri noſtro laborandum fuit, non tam vt verè, quàm vt bene vitam finiret; finiuit autem valde pie, & magna tot ſpectatorum, nihil minus expectantium, edificatione.

COLLEGIVM
COMMOTOVIENSE.

HABVIT Collegium Comotouienſe hoc anno, perſonas de Societate vndeuiginti; Sacerdotes nouē, Magiſtros quinque, ex quibus duo item Sacerdotes; reliquos ad domeſtica officia Coadiutores. Fructus, etſi vndequaque hæreticis ſepti ſumus, aliquis tamen, Dei benignitate, eſt collectus. Hæreſim exuerunt duodeuiginti. Habita

bita in Parochiali templo, quouis festo die concio, cui Dominicis diebus, & per Quadragesimam, adiectus est Catechismus. Excursum item, ferè toto anno, ad vicinos pagos & oppida; concionis & confessionis causa: quibus Catholici mirificè confirmati; alij in hęresi remissiores effecti, nec à nostris ità alieni. Auditæ confessiones generales viginti tres, multorum annorum non infrequentes. Hospitali, & captiuis, æque corporis, ac animi solatium impensum; & quidem ex his non nulli, nostrorum intercessione liberati, alijs mulcta vel pœna mitigata, vt quamuis essent hæretici, non potuerint tamen non commendare nostrorum charitatem, cum à suis se viderent desertos. Processio Corporis Christi, item supplicationes diebus Rogationum, & non nullæ aliæ, solita frequentia celebratæ; ad illam verò quæ infra ferias Paschatis habita est, tanta multitudo confluerat, quantam plerique senes non meminerunt. Peregrinatio Grumpnensis eò maiori deuotione obita, quò plures ex mediis hæreticorum ditionibus ad Beatam Virginem, tanquam ad primarium post Deum asylum, conuenerunt; contemptis hæreticorum buccinatoribus, qui hoc pietatis genus maximè cauillantur. Plus enim apud simpliciores illos valuit, multis miraculis iam olim testata veritas, quam improborum hominum calumniæ: multi itáque confessi, & sacrosancta Eucharistia refecti, ad suos redierunt. Exceptæ etiam tribus aut quatuor præcipuis anni festis, rogatu Reuerendissimi Archiepiscopi, duobus abhinc milliaribus, monialium confessiones, tanta earum consolatione ac feruoris accessione; vt de eis certior factus Archiepiscopus, obnixè hoc officij

genus, non nunquam per annum á Reuerendo Patre Prouinciali, petierit. Suborta inter duos primarios grauis dissensio, quæ nisi nostrorum opera fuisset sopita, plura facile secum traxisset incommoda: Catholico, qui grauiter læsus erat, ad hoc inducto, vt iniuriam humanissime condonaret.

STVDIOSORVM vt numerus, ita etiam creuit pietas, præsertim Partheniorum, qui & diligentia, & morum integritate, tam studiosis, quam reliquis externis, prælucent. Qua re summopere delectatus Reuerendissimus & Illustrissimus Nuncius Apostolicus Philippus Spinellus, qui superiore anno, in hanc nouellam ac tenellam Congregationem, primus inscribi voluit; eam peculiari ac paterna cura tuendam, fouendámque suscepit. Nam cum ad illum primi Rectoris officium communibus suffragijs deferretur, non modò non benignissimè admisit, verum etiam Congregationi, Praga huc scriptis literis, gratias egit; ac substituto Vicario, eandem administrandam commendauit. Vt verò in illá testata esset eius voluntas, insignem tabulam Assumptæ Virginis, quo titulo hæc instituta est, Pragæ faciendam curauit; vt hoc nomine tota Congregatio optimo Præsuli in perpetuum sit obligata. Dedit quoque eadem Congregatio primitias suas, morte egregij æque ac pij adolescẽtis, iam Rhetoricis studijs perpoliti. Hic iam Societatis concepto voto, ipso die Lętare, statim post acceptá extremam vnctionem, integro iudicio, ac pęnè adhuc loquẽs, ad læta, vt speramus, cęlestis regni gaudia migrauit. Huius funus honorificè elatũ; tot fratrũ luminaribus totque comitãtibus sacerdotibus, qui ex vicinis Parochijs, ipso fori die conuenerant;

vt vndecunque concurrentibus, ad insolitum spectaculum, hæreticis, summo res fuerit stupori. Probata est etiam, præter alios dialogos & exercitationes, studiosorum nostrorum industria, Dramate de Petro publicano, in studiosorum renouationem dato; præmijs, egregia admodum Reuerendi Domini, D. Andreæ Eberspach Toplensis Monasterii Abbatis, liberalitate comparatis.

Mira est apud hæreticos, in Saxonia & Misnia, de institutione scholarum nostrarum, & præcipuè domus pauperum, in qua centum triginta iam degunt adolescentes, opinio: quo fit vt ministri omnes, quotquot possunt, à nobis auertant: vndè si quos ex ditionibus suis, apud nos versari cognoscant, publicis concionibus in eos, ac eorum parentes inuehantur. Quo etiam factum est, vt cuidam egregio iuueni, ex Misnia, sit denunciatum; vt, si sua ac parentum salua & integra vellet, quam primum rediret. Rediit itáque, & coactus se sistere Prædicantibns, comparuit quidem; sed nihilominus in Catholica fide perseuerat, ac iam modum quærit, quo se tutius eorum perfidiæ subducat. Alij patrię, parentibus, ac honesto matrimonio renûnciare malunt, quam agnitam semel veritate deserere. Duo se ad sanctos religiosorum ordines transtulerunt. Quanti autem hæretici, præsertim nobiliores & Dynastæ, Societatem faciant, ex iis, quæ subiiciam, erit manifestum. Transibant hâc, sub initium anni huius, mille equites & duo millia peditum, Principis Brunswicensis. Ad horum aduentum, multi maleuoli, præ concepta animi lætitia, oppugnationem Collegii, aut aliud aliquod malum, nobis ominabantur. Sed Deus vertit nobis illud in bonum. Inuitati enim ad

visendum Collegium, cum omnes Capitanei ac nobilissimi quique, magno satellitum comitatu ad nos confluerent; deducti per scholas, ac inde in domo breui carmine, quo eis sex vel septem pueri felicem expeditionem, ac faustum Martem precabantur, ac solenni musica excepti. Vsque adeo id gratum habuerunt, vt in digressu in ipso foro, expectante maxima turba, euentũ huius rei, summa humanitate, ac honoris significatione gratias egerint; ac huius sibi præstitæ beneuolentiæ, quocunque venerint, memores futuros promiserint; atque ita hæreticorum gaudium, quod ex sperata clade nostra conceperant, (iam enim alibi omnes cæsi ferebamur) in magnam Societatis commendationem est conuersum.

Accesservnt ad nos eodem tempore Commissarij Imperatoris, qui pari modo musica & carmine salutati, studiosis, ipso Circumcisionis die optimum bonem, pro gratiarum actione transmiserunt. Alij item Commissarij, qui ad inspectionem dominij, adulta iam æstate huc appulerant, sunt simili offici genere delectati. Curta pauperibus suppellex. Munificentia Catholicæ cuiusdam viduæ, quæ filium suum in domo alit, insignis argenteus calix, variis gemmis ornatus congregationi est donatus. Item apparatus aliquis sacer, tam pro altari quam Sacerdotalibus indumentis. Concludam apparitione defuncti, qui liberandi sui causa à purgatoriis pœnis, tria sacra flagitauit. Agit in nostris scholis bonæ indolis adolescens, duodeuiginti annorum. Ab hoc defunctus tutor, subsidium hoc modo postulauit. Habitabat hic iuuenis in suburbio, ac statim post acceptum nuncium mortui tutoris, circa festum Om-

nium

nium Sanctorum, inaudiuit singulis noctibus sub tecto, vbi solus dormiebat, tristes quosdam gemitus; ratus verò in vicinia infantem aliquem vagire, rem non ita curauit. Mirabatur nihilominus, quâuis nocte, propius ad se, illa lamenta accedere; quæ dum etiam animo excluderet, tandem octaua Nouembris intempesta nocte, aduertit circa lectum quasi incessum hominis, nullo tamen gemitu se indicantis. Cum vero iuuenis his necdum moueretur, sequenti nocte quasi toto corpore, bis in illum vigilantem irruit, ac deinde se eius lateri adiunxit. Cum verò spectrum brachio à se abigeret, cessit quidem, sed stragulum quo tegebatur, detraxit. Hic demum metu anxius, cum loqui non auderet, altero apprehenso stragulo arctissime se inuoluit. Nec deest rei suæ spectrum, apprehendit illum sinistro pede, ac, vt videbatur, manu admodum delicata ac frigida. Tuetur se iuuenis dextero, & quanquam tacitus oraret, sudaret, se cruce consignaret, nihil tamen profecit, donec audita duodecima, statim ab hac lucta se sensit liberatum. Hic demum, sublato clamore, hospitem aduocat. Accurrit is cum lumine, lustrant omnem locum, nihil inueniunt, nec quenquam audiunt. Iuuenis igitur totus anxius, reliquum noctis insomnis trangesit. Accurrit mane ad Collegium, rem totam nostris aperit. Monetur vt se accurate examinet; confessionem, etiamsi ante paucos dies fecerit, repetat; ad sacram Eucharistiam se præparet; locum omnem aqua lustrali aspergat: signo crucis se consignet, ac inprimis Deo, ac Angelo custodi se commendet.

ABIIT adolescens spe plenus; ad domum reuersus, solitarium sub tecto locum horrens, pernoctare statuit in hypocausto. Collocat igitur se in scamno, sola veste coopertus; vbi dum nouus illum horror, ac frigidus sudor à somno prohibet; sub mediam noctem, leuem quendam, & ad se paulatim appropinquantem, sensit strepitum. Hinc vestem, qua se contexerat, spiritus detrahit, arripit iuuenis agnum Dei, & se cruce consignans, posito aliquantisper metu, in hæc verba proloquitur: Præcipio tibi in nomine D. N. Iesu Christi, vt dicas quis sis, vnde venias, & quid petas. Hæc enim, è nobis, interrogare, iussus erat. Substitit hic spiritus, & proprio eum compellans nomine, loqui cœpit profundiore voce, quæ cum fletu in subtiliorem tendebat: Vite, (sic enim iuuenis vocabatur) ego sum anima, ex purgatorio; tu iam sciuisti me esse mortuum, adhuc tamen pro me nihil orasti; vix dum autem quadrante horæ, in igne illo dum essem, visi sunt mihi mille anni. Sed te vnum illud rogo, vt cures pro me, tria sacra. Cui respondit iuuenis, vade in pace; ego petitioni tuæ faciam satis. Atque ita strepitu aliquo facto discessit, nihil tamen iuuenis vidit. Rediit mane ad nos, mortuo pæne, quam viuo similior: fassúsque est culpam suam, quod cum ante decem dies tutorem suum, decimo quinto ab hinc milliari, obiisse intellexisset, nihil tamen pro illo orauerit. Fuisse vero, aiebat, eundem virum probum, & Catholicum, & vt templo vicinum, ita sacris, ac diuino cultui addictissimum; nec alio signo, quam nota vocis, eum cognouisse. Celebrata igitur à nostris, ipso festo Diui Martini aliquot sacra; ille communicauit, eodémque die, officium defunctorum

ter

ter ricitauit, atque ex illo tempore, nihil vlterius, vlla nocte inaudiuit.

COLLEGIVM NOVODOMENSE.

OCTO & viginti Socij, plerumque Nouodomij hoc anno habitarunt, Sacerdotes octo, Præceptores tres, auditores Rhetoricæ decem, & qui domestica munia obeunt, septem. Progressum in via religiosa singuli, pro virili sua, promouerunt; & quam instituti sui amantes essent, cum aliâs totius anni decursu, tũ præsertim anniuersario Beati Patris Nostri Ignatij die, spõte susceptis afflictionibus, epuli diuini sumptione, habitis in cœnaculo declamationibus variisque epigrammatis ibidem; affixis facile declarârũt. In Societatẽ adscriptus est vnus, arte sartor. Conciones ad populum, duabus linguis, pro more habitę, Bohemica & Germanica. Pomeridiano tempore, diebus Dominicis, doctrina Christiana, pueris & puellis, Bohemico idiomate, in æde sacra explicata est. Hæresi & Hussitico calice deserto, in gremio Sanctæ Ecclesiæ repositi ad viginti. Abiurauit Lutherum publicè, præsente copiosa hominum multitudine, quidam Pragensis Bohemus, qui profanum Ministrum, & pseudo-Euangelicum concionatorem, ab Ægidio Hunnio wittembergæ inauguratum, biennio egerat. Ciuis Norimbergæ natus, & educatus, cum quinquaginta annos iam Lutherum coluisset, & auditorẽ celebris illius buccinatoris Viti Theodorici egisset; morbo impetitus, Catholicam religionem, frustrà eiulante hæreticissima vxore, amplex-

us. Adolescens, hæretici parentis, extrema minitantis, experiri maluit furorem, quam nobis valefactis, Iglauiæ, semi-Caluinisticos, magistellos audire. Paschalibus feriis, sacerdos in vicinis pagis operam suam in rudibus, de ritè instituenda peccatorum exomologesi, edocendis, fructuose posuit. Alius sub idem tempus, arcem cuiusdam Magnifici Domini, asportatis inde pestilentissimis codicibus, expiauit.

ELAPSO septembri, in templo B. Virginis ad Cellas, cuidam sacerdoti nostro, qui hinc illustrissimam dominam fundatricem nostram, confessionem excipiendo, eam comitatus fuerat, transfuga quidam Sacerdos, qui Catholicorum castris desertis, decennio apud Lutheranos militauerat, peccata sua confessus, hæresim palam ibidem eiurauit; & in Ecclesiæ Romanæ ouile rediit. Rudibus clericis, stata hora, officium eorum, & quæ ad conscientiam spectant, declarata sunt. In Xenodochio quod hic celebre est, vt pauperes solito frequentius Sacramenta frequentarent, nostrorum hortatibus perfectum fuit. Dissidia aliquot, inter coniuges, composita. Duo nostrates, cum Bruna hûc iter facerent; vocem in siluis, mirabiliter eiulantis & opem implorantis secuti; hominem mole arboris cadētis oppressum, repererunt; & omni vi adhibita, â certissima morte liberarunt. Contigit, vt tùm Sabbatho sancto, in culina arcis, tum feria secunda Paschatis, in æde Parochiali, incendium oriretur; clamare igitur, & prædicere hæretici, feria tertia Collegium quoque succensum iri, idque vindicante Deo, eo quod Iesuitarum & Parochi instinctu, Magnificus sepultura interdixerit iis, qui Catholica communione non vteren-

vterentur. Sed ſecus euenit. Nam & incendium vtrobique ſubortum, feliciter abſque detrimento notabili reſtinctum fuit; & nos in Collegio, diuina gratia protegente, immunes à flamma perſtitimus. Scholæ, non quidem ingenti multitudine, ſed nobilitate, modeſtia & pietate auditorum floruerunt, qui & dialogis hoc anno induſtriam ſuam, egregie compluribus probarunt, maxime, dialogo de D. Catherina virgine & martyre; ob natalem Illuſtrimæ D. fundatricis, hoc nomine inſignitæ; qui quidem, eo fuit celebrior & gratior, quod per ſolos Barones & nobiles pueros ageretur. Ex iis, qui Partheniæ Sodalitati nomina dederunt, non pauci eo tempore, quo mundus bacchatur & delirat, cilicinas veſtes geſtarunt, & verberibus in ſe ipſos animaduerterunt. Illud vt admirationem, ita magna Societati exiſtimationem adferebat, quod die S. Procopii, qui fundati Collegij dies eſt anniuerſarius, cùm magnificus Dominus noſter, cum Illuſtriſſima Domina fundatrice, & multa nobilitate, in nouo triclinio nobiſcum pranderet, fratres noſtri, quatuordecim diuerſis linguis, ex ſuperiore loco, verba facerent; admirabile nimirum erat omnibus, in tantillo Collegio, tantam, & quidem concordem, nationum exſtare diuerſitatem. Suppellex ſacra, ex liberalitate Illuſtriſſimæ Dominæ fundatricis hoc anno creuit. Nongentos quoque taleros Magnificus Dominus dederat nobis, quibus fabricam inſigniter ipſi promouimus.

COLLE-

COLLEGIVM GLACENSE.

IN hoc Collegio, vt plurimum, noſtri tredecim fuerunt. Conciones ad populum diebus feſtis & Dominicis vnà cum doctrina Chriſtiana, tum domi, tum foris, in pagis Collegio ſubiectis, more ſuperioribus annis conſueto, haud citrà fructum vberem, ſunt habitæ. In pagis noſtris, etiam concioni matutinæ pomeridiana Catecheſis adiuncta eſt hoc anno, cum magno puerorum & parentum emolumento. His & ſimilibus cùm pietatis, tùm fidei exercitijs, effectum eſt, vt non ſolum Orthodoxorum animi firmarentur magis, maiorique ardore incenderentur; ſed etiam præpoſtero quorundam hæreticorum feruore, quo in nos, noſtrámque religionem, velut œſtro perciti ferebantur, reſtincto, quadraginta ſeptem perſonarum acceſſio, ad Catholicam Eccleſiam fieret; pluriúmque animi obſtinatiores cõuulſi, & labefactati magis iam ſtent à nobis, quam ab aduerſarijs; licet rem adhuc, ob neſcio quem vel pudorem, vel timorem, obſcurè ferant. Porrò inter perſonas, Catholicam fidem amplexas, duæ matrimonij vinculis colligatæ, miſerabilem hactenus, contentionúmque & rixarum plenam, à multis annis duxere vitã; perpetuis inter ſe, religionis cauſa, diſſidentes odijs. Tandem, cum noſtrorum operâ, etiam alter coniugum, in fidei Catholicæ ſe dediſſet libertatem; factum eſt, inter ſe animorum coniunctione coaleſcerent. Conſcientiam ſuam circà Paſchæ ſolemnia expiarunt, & ſe ſacra ſynaxi refecerunt domi

domi foriſque nongéti triginta ſex. Alijs anni temporibus confeſſiones, quà domi, quà foris, exceptæ mille viginti quatuor; de tota vita quinque. Nec verò alia Sacramenta, his in locis à noſtris non non ſunt adminiſtrata; eò quod, quam rari appareant Catholici Sacerdotes, quorum vices nos intereà obire cogimur.

QVI liberos ſuos, per nos ſacro fonte tinctos, in album Chriſtianorum referri curârunt, non rarò magnas tricas, vel cum propijs ſuis dominis, Prędicantibus id agentibus; vel cum illis ipſis rabulis, pluſquam furentibus, aut id genus aliis Eccleſiæ Catholicæ perduellibus habuerunt: adeò vt interdum haud procul abfuerit, quin alio commigrare fuiſſent coacti. Peruicere tamen noſtrorum, ad quos in eiuſmodi difficultatibus recurrerunt, ope ac conſilio. Diebus Rogationum, more conſueto, ſupplicationes publicæ ſunt inſtitutæ; ſubditis è pagis, erectis ad eas vexillis, aduentantibus. Die item Corpori Chriſti ſacro, ter-ſanctum illud myſterium, cum illuſtri ac ſplendida, magnęque ſpeciei ac dignitatis pompa, publicè vt ſuperiori anno, intrà & extra ciuitatis mœnia circumlatum eſt; ſubſequente Domino Capitaneo, aliiſque permultis omnis generis, ac ſexus hominibus: tā ex ciuitate, quam ex pagiš circumiacentibus, ſeu ſpectandi, ſiue cohoneſtandi gratia confluentibus. Et vero Dominus Capitaneus ſuum tùm animum, quam ardenti diuinum proſequeretur honorem affectu, præclaro facinore demonſtrauit. Cum enim vnus aliquis, inter ſpectatores, pileo capiti tanquam affixo, ſuperbè iuxta ac impiè ſe gereret; iuſta ira commotus Dominus Capitaneus, face, quam manu geſtabat, in faciem eius impacta, deſ-

pectum

pectum Christo habitum egregie in illum expiauit. In negocio religionis, aura hoc anno vtcunque fauens afflauit, gestáque sunt tandem, & in effectum deducta, quæ hactenus toties acta, & nunquam peracta; velut in herba substitêre. Oppidani Gruntenses post tot commissiones, tot mandata Cæsaris, tot comminationes, ac demum etiam post turrim, in qua vltrà semestrem compacti propè computruere, tandem tandem, suo maximo malo, cum aliter, nisi tali accepto ictu, sapere noluissent, morem Imperatori gerere edocti, vltrò quod aliàs omnis spes liberationis præcisa videretur, Catholicum sacerdotem expetiêre, obtinuêre, accepêre. Renhortenses item, ciuitas est ea tribus Glacio leucis disiuncta, in ea ciues alieno periculo cauti, audita Cæsaris voluntate à Domino Capitaneo in arce Glacensi exposita, manum inuiti quidem, haud tamen obluctantes, dedere: lupóque misso, Commissarijs Domino Capitaneo, Patreque Rectore, facto, Pastorem admisere.

Laboriosa quidem & molesta erat illa prouincia, ac etiam non sine periculis ob varias turbas, quas postmodum non nulli, de fæce populi, Parocho excitarunt. Veruntamen Senatu, à Capitaneo ob nimiam indulgentiam, bene mulctato; repente in tranquillum, collata sunt omnia. Ludimoderator ibidem remansit hæreticus; quem ciues, suo quodam iure, tenere conati sunt. Tandem tamen & ipsum, ob uarias Parocho, tum in æde sacra, tum alibi, exhibitas, in despectum Catholicæ religionis molestias, loco mouere; substituto Catholico à Capitaneo, vrgentibus nostris opportune importune sunt coacti. Obiit haud ita pridem secre-

cretarius Catholicus, qui vix vno atque altero anno gessit officium. Bone Deus! quo gaudio tūc exultabant hæretici? Quas voces? quæ signa dabant lætitiæ? Quanta in voluptate bacchabantur? Quos triumphos, tanquam de profligato iam penitus hoste agebant? Omnino actum iam cum Catholicis putabant; Papistarum sufficiendum neminem; Lutheristam expectandum. Et re vera omnem mouerunt lapidem, vt locum defuncti suæ intruderent farinæ hominem. Verum ea spe dum firmissimè initerentur, in caducum inclinarunt parietem. Intereà nostri, non ignari huiuscè hæreticorum studij ac conatus, minime cessare, sed ab ipso statim obitu dicti Domini à Secretis, eiusdemque cadauere prope adhuc calente: Dominum Capitaneum vrgere; Pragam sine mora, pro alio Catholico substituendo, quem eidem oretenus, Illustrissimo verò Domino Cancellario per literas proposuerunt; scriberet. Id quod & factum est. Secretarius mox Pragæ comparet; probatur, approbatur; ac tandem huc, accepta omni necessaria instructione, remittitur. Sic vulnus illud, quod morte alterius Secretarij, Catholicis videbatur inflictum; substituto altero Catholico, rursus cicatricem obduxit.

RESTITVTVS est etiam hoc anno, nostris authoribus, honor festis Diuorū diebus, ab hæreticis ablatus. Exautorarunt enim iam omnes propemodum Sanctos, adeo, vt ne Apostolis quidem ipsis, honor vllus fere amplius haberetur. Nostri, cum Domino Capitaneo tam diu agere, instare, vrgere acriter; donec decretum affixit: quo iubentur omnes, sub interminatione mulctæ decem talerorum.

rum, dies festos, qui ibidem expressis continentur nominibus imposterũ celebrare. Durum quidem hoc hæreticis telũ, quippe ad quos nihil attinet de Sanctis, vt qui aliam, quam ipsi, tenuissent fidẽ: nihilominus tamen obseruant; quia sic visum est Domino Capitaneo. Accidêre partim hoc anno, partim aliis, cum nonnullis personis, quædam memoratu digna, quæ veram miraculi speciem præseferunt. Personæ quædam morbo caduco, mire ac misere fuerunt concussæ. His vbi rosarium benedictum, vni è nostris deuotis datum, in modum crucis, cum inuocatione Sanctissimæ Trinitatis, fuisset applicatum; ecce tibi, quæ Dei bonitas est, subito liberantur, & ita quidem, vt nunquam tententur amplius. Quod cum innotuisset parentibus hæreticis cuiusdam infantis, qui eodem grauissimo cruciabatur morbo, sibi illud ipsum, in eundem vsum concedi petiuere. Rosarium à Catholico multis obtinent precibus: & per rosarium infanti eodem modo applicatum, nõ minore fide, firmam, & in hanc vsque diem constanter durantem sanitatem.

FEMINA quædam annos nata plusquam septuaginta, quæ communiter quouis mense, vt minimum semel, eodem dirissime exagitabatur morbo; virtute dicti rosarij cognita, rogat idem sibi mutuo dari. Verum cum de familia prædicantium huius loci esset, ciusque Catholicus religioni sibi duceret margaritas porcis obiicere, se in eiusdem voluntatem non est passus adduci. Cum tandem & laborantis feminæ, & aliorum illi commiserantium preces, magis magisque multiplicatæ adhiberentur; maluit, si non ex toto, saltem ex aliqua parte, illorum petitioni concedere; donans illis,

non

non integrum rosarium, sed rosarij vnicum duntaxat granum; addens, si fidem habuerit, fore vt vel vnicum granum tanti afferat consecutionem effectus, quanti rosarium integrum. Nec dubia fœminæ huius fides, aut vana viri Catholici prædictio. Sumit illa granum, appendit sibi, liberatur, sanatur; & gestat illud in hodiernum vsque diem, iam ab vno anno; nec vnquam toto hoc interuallo, vel semel amplius vexata est. Alia nepti suæ hoc eodem morbo laboranti, liberationem vt impetraret, votum in templo nostro, dum res diuina fieret, accensis ad Sacrosanctam Eucharistiam cereis, Deo nuncupauit; se deinceps, in honorem S. Valentini, quem intercessorem adhibebat, pridie illius diei, quoad vixerit, cibo abstenturam; ac ipsam diem, vt festam, piè ac religiose vacando ab omni opere, ac labore, culturam; dummodo neptem suam, morbo depulso, ad salutem reduceret. Pręstitit Deus quod ipsa voluit; memor & ipsa, Deo Diuoque Valentino quotannis, quod vouit persoluit.

QVAM vim habeat ad permouendos animos, quantámque religioni authoritatem conciliet templi mundicia, vel ex hoc intelligi potest, quod femina quædam pęnè septuagenaria, iam annos quadraginta in hæresim prolapsa, hac sola permota, rursum ab hæresi ad Catholicam fidem desciuerit. Cum enim aliquando in sacras ædes apud nos ingressa, omnia munda & tersa, cum primis verò altaria variis, iisque elegantibus rebus instructa & copiosa conspiceret; è contrà in illo suo fano omnia inculta & horrida, turpique situ & squallore sordida, pulueribúsque obsita videret, cœpit oppidò quàm vehementer moueri; & de sua, quam

quam à Prædicantibus hauserat, perfidia, ambigere. Animo igitur ità perplexa, Prædicantem accessit; difficultate quibus inuoluta fuerat, eidē exposi- tura. Quod cū fieret, ac inter cetera illud vehementer vrgeret, se nō posse adduci vt credat, verum, purúmque verbum Dei prout hactenus persuasa, vel etiam vera Sacramenta in templo adeo neglecto, & sordido haberi, & populo administrari: Prædicans, hunc ipsi vt scrupulum eximeret, aiebat, huiusmodi cogitationes esse diaboli prę stigias; non sineret se ab eo, qui mendax esset, decipi; sed firmiter duntaxat crederet, visuram breuiter, cum ingenti animi sui voluptate, hascè diaboli euanescere illusiones: ad quæ illa se firmissime quidem credere, attamen parum hac sua fide profi ere, sordes (quas in templo digito demonstrabar) nec non altaria, de industria ab illis neglecta, sufficiens præbere argumentum, quo efficaciter conuincatur; ipsosmet Prædicantes, suæ de suis Sacramentis, vel verbo fidei, nihil habere fidei; siquidem ea nulla dignantur mundicia, vel cultu religioso; prout se olim, cum ipsi nouis suis populum hunc imbuissent dogmatibus, meminit videre, vel etiamnum in sacris Iesuitarum ædibus est cernere.

PRÆDICANS cum animaduerteret, se hac ratione nihil proficere, alia arte sibi vtendum ratus, blanditiis delinire seniculam, orare, attenderet, ne in hac sua extrema senectute, præda fieret diabolo. Nihil inquit illa mihi cum diabolo, Deum & salutem animæ meæ exquiro egò, sed num in istis sordibus, crediderim etiam quantumcunque velim, voti compos efficiar, id verò perquam vehementer addubito. Tum Prædicans, quò se verteret,

quidue

quidue consilij caperet, ignarus, altera enim parte, mulieris constantiam maiorem experitur, quàm vt eam à suscepta dimoueret sententia; ex altera, libertate dicendi eiusdem vehementer perstringitur: tandem partim pudore, partim dolore victus, ex loco confessionibus destinato, vbi hæc peragebantur, exilire, rabidique canis instar, vt solet hoc genus hominum, hærente ipsis aqua, furere; ac mille diabolis vetulā deuouere; iret quò vellet, ac se deinceps, nænijs missum eiusmodi, faceret.

IBO (inquit mulier) ac protinus ad nos aduolans, institui petit; Instituta, quantum satis est, totius vitæ maculas exomologesi sacra eluit, Eucharistiam sumit, & sic repudiata hæreticorū perfidia, cum Deo & Ecclesia in gratiam redit. Quantum Catholici concioniobus nostris in his locis profecerint, vel ex eo apparet; quod etiam simplices & imperiti, adeò quique sint ad disputandum cum hęreticis instructi, vt vel cum quouis eorum pedem conferre non dubitent, nec rarò ità constrictos teneāt, vt nec hiscere, nec mutire contrà valeant.

ÆDIFICIVM Collegii & prædiorum hoc anno, licet inter tantas rerum angustias, non parum assurrexit. Coëmpta sunt, hoc anno, bona mille sexcentis quinquaginta taleris. Superiori anno, cum magna inter nos, & antiquum syluarum præfectum Caluinistam, ratione lignorum, tum prædio nostro suburbano, tum subditis nostris hactenus, malitia ipsius subtractorum, controuersia intercessisset, tandem causa euicta Pragæ à nostris fuit. Percussor cuiusdam ex nostris, sententia ab appellatione huc missa, in exilium relegatus est. Nobilis quidam magnæ authoritatis, qui nostris

ſubditis ante aliquot annos, per vim contra omne ius & fas quædam abſtulerat; cum neminem, ne ipſum quidem Dominum Capitaneum curaret, nec vllis decretis vel mandatis parere vellet, nos verò illum apud ſuam Maieſtatem de iniuria, nobis noſtriſque ſubditis illata, poſtularemus; citatus eſt tandem iteratò Pragam, quò cum appuliſſet, mox ad varios hinc inde Dominos curſitare, ſeſe illis purgare, nos verò traducere, id ſcilicet ſtudioſe agens, vt illos ſibi beneuolos, nobis verò infenſos redderet. Nec irritus fuiſſet eius conatus, niſi ſuperior, re intellecta, mature occurriſſet, & præoccupatos iam Dominorum animos, re tota denuo, vt erat, expoſita, fraudeque aduerſarij detecta, iterum conciliaſſet. Promiſſione denique ſtipulata manu facta, ſe nobis noſtriſque ſubditis in omnibus ſatisfacturum; iuſſus eſt in arcem Glacium ſe ſiſtere, vbi per quatuordecim dies detentus, demum liberatus eſt.

COLLEGIVM LABACENSE.

QVANQVAM Collegium hoc paucas de Societate perſonas alit; cum tamen laborum ſuorum cùm in diuino cultu promouendo, tum in proximorum ſalutem procurando, percipit fructum, qui à noſtris hoc tempore poſſit hinc expectari. Viuunt in eo Socij quatuordecim, Sacerdotes ſex, ex quibus Magiſtri duo, reliqui fratres; quorum duo erudiendæ iuuentuti, alij domeſticis miniſteriis deſtinati, operam ſuam gnauiter collocant. Annus hic, Deo fauente, noſtris extitit clementior,

mentior, quam superiores. Nam licet nonnihil valetudo quorundam fuerit tentata, nihil tamen grauius sunt perpessi, & hoc, quodcunque fuit morbi, ex noui ædificij fabrica factum suspicamur. Exceptæ totius, etiam antè actæ vitæ, confessiones plurium: in quibus aliqui insigniores fuêre, ac in primis vir quidam, qui eo vsque progressus, vt dedita opera, peccata peccatis accumularet, ac nihilominus, innocentiã in perceptione Sacramentorum, simularet: tentari tunc demum à dæmone, corporali ei specie apparente, cœpit; vt ei se, dato fidei factę signo, in perpetuũ obstringeret: vera ei anchora fuit exomologesis generalis. Pane cœlesti fuere refecti hoc anno quingenti supra mille. Ab hæresi Lutherana, per nostros ad Ecclesię sinum reducti triginta. Concio ad populũ in æde nostra, sat magno hominum vtriúsque sexus concursu habetur, cui pomeridiano tempore, doctrina Christiana accedit: eius fructus est, vt & Catholici in religione confirmẽtur, & hęretici vel occulti, cognita veritate, de errore confusi resipiscant. Tanta enim est in ciuitate morum in melius facta commutatio, vt ipsi, quorum adhuc pauci supersunt, hæretici obstupescant. In ciuibus pęttereà videre est longe maiorem, erga diuinum Missæ sacrificiũ, religionem. Ab eo enim adeò plerique abhorrebant antea, vt illius vel mentionem pro concione fieri, ægre admodum audirent; & hoc anno multi, non modò statutis ab Ecclesia diebus, sed & quotidianæ decenter rei sacrę interesse cœperunt.

Itvm est ad eos, qui vinculis constricti, morti ob facinora sua adiudicati fuerunt effectumque est, vt expiatis conscientiæ maculis, & cibo animi salutari percepto, vltro mori expeterent. Diuturnę

inter non paucos simultates sublatæ, quales in primis inter duos coniuges erant grauissimæ, & actum est, vt qui fatali olim odio seorsum viuebant, in gratiam redierint Incendium grauium discordiarum, inter Proceros huius Prouinciæ primarios duos, per nostri Patris interuentionem fuit restinctum. Mulier quædam, ob grauia multis annis contracta scelera, ità conscientiæ stimulis torquebatur; vt salute desperata, in proximum ædibus suis flumen, insilire aloquoties cogitaret, & fecisset, nisi Deo sic disponente, animum cuidam nobili iuueni, alioqui à fide & religione Orrhodoxa alieno, aperuisset. Hic enim vt primùm rem intellexit, miserę suadet mulierculæ, vt vnum è nostris sacerdotem ad se accersat, illique omnia sua delicta patefaciat; fore, vt per sacram exomologesim, animo degat tranquillo & pacato. Paret illa consilio; nostrum ipsa adit; & confessionem peractam tanta animi traquillitas est secuta, vt affirmet se, æquiori & pacatiori animo, nunquam fuisse. Nec minus mirabile cuipiam alteri accidit, qui simili morbo laborans, multa milliaria confecit; vt Labaci, sacerdoti nostro, retroactę vitæ peccata detegeret; quo facto lætior ad sua remeauit. Puerperæ agnus Dei, à nostro Patre submissus, in graui vitæ periculo saluti fuit.

SCHOLÆ uostræ in Collegio nouo, discipulorum numero excreuerunt; numerantur ducenti & amplius; ad quos in dies plures accesserunt. Domi, apud eos quibuscum viuunt, frequenter virtutis ac pietatis suæ specimen edunt. Strenuè enim dogmata fidei defendunt; efficiúntque, ne interdictis ab Ecclesia diebus, carnibus vescanrur, & rudiores, cum ita fert occasio, fidei nostræ rudimentis

mentis imbuunt; integræ exomologesis admonent Non pauci, elutis animi sordibus, frequentius ad sacram synaxin accedunt. Quæ res, vtpote hoc loco insolita, magnæ populo admirationi & exemplo fit. Bona etiam pars eorum hoc anno, totius ante actæ vitæ confessionem fecit. Duo rebus humanis valere iussis, nostrę Societati nomen dederunt. Alij ad alios religiosiorum Ordines, paulatim animos adijciunt. Exhibitum etiam est ab eis de gratia Dei Drama, pridie initij quadragesimalis ieiunij, non minus gratum, quam vtile auditoribus. Diem sacratissimo Sacramento Eucharistiæ dicatum, solemnius hoc anno, quam superioribus vllis, discipuli nostri celebrârunt; tum multitudine & varietate epigrammatum, emblematum, ænigmatum & aliorum id genus carminum; tum apposito ad id genus dialogo, quòd toti populo nouum, nec vnquam antea visum Labaci, & admirationi & pietati fuit. Præsules duo, cum scholas nostras inuiserent, carmine ipsis non ingrato, fuerunt salutati. Reuerendissimus verò noster Labacensis, etiam declamationibus non nunquam, quas hoc anno exercitij causa frequentius, singulis videlicet mẽsibus, in publico habere nostri discipuli cœperunt, interesse, & sua pręsentia cohonestare voluit Placuit etiam Generoso ac Illustrissimo Domino Prouinciæ huius Capitaneo Actio, quâ, dum primò in Prouinciam venisset, à nostris fuisset salutatus. Idem, vt discipulis augeret animum, præmia, Classium omnium primis, largitus est in instauratione studiorum. In qua dum Constantinus Copronymus in scenam à iuuentute daretur; adfuêre præter Dominum Capitaneum alij illustres domini, & primarij Carniolæ proceres, quibus tota actio ita

 placuit,

placuit, vt noſtros multis alijs, aliorum locorum præferrent Actoribus. Abbas vicini Monaſterij ſumma, quâ nos proſequitur beneuolentia, centum ad fabricam conceſſos olim florenos donauit.

DOMVS BRVNENSIS.

IN hac domo, numerus perſonarum, ad nos accedentium & adCollegia commeantium, varius fuit. Nam præter veteranos, ex illis etiam, qui annum tertium ponunt tyrocinij ſex fuerunt. Recentes, magnæ expectationis, ad Societatem aggregati, viginti quinque. Plurimùm, numerus omnium, conſtitit ſeptuaginta. Veterani, non exiguos, in exercendis Societatis noſtræ munijs, progreſſus fecerunt, tùm crebris ad loca finitima, arcéſque & oppida, magno euocantium emolumento, excurſionibus; tùm ſerendis, in mortalium animis, pietatis ſeminibus: cuius, hoc tempore, elementa non vulgaria, & incrementa ampliora noſcuntur. Religionem declarant conciones crebrę, tam domi quam foris, atque adeò, præcipuo vrbis templo magna frequentia habitæ. Multa inter ciues, quà authoritate, quà conſilio, non ſine noſtro, eorúmque commodo inſtituta; peruerſa conſuetudo eorum, qui ſimulatione imponebant confeſſario, ita correcta; vt iam mira frequentia ad confeſſionem, vitæque emendationem cernatur. Et ſanè vnus repertus, qui viginti annos in hoc errore ſorduerat. Qui totius vitæ maculas eluerunt, fuere quinquaginta vnus. Qui intermiſſam confi-

cõfitendi consuetudinē repetiuere, numerati duo suprà viginti; Adiutum, confessionibus generalibus, Monasterium Virginum, non paruo, religionis ipsarum, incremento. Ab vsu calicis, reuocati vigintiquinque. Labantes animi, ad fidei constantiam erecti, sexdecim. Qui Luthero alijsque erroribus nuncium remiserunt, fuere centum quinquaginta nouem; è quibus anus centum & quinque annorum, salutari apparitionis cuiusdam, quæ illi, senis specie salutis negocium vrgentis, oblata erat, hortatu, & ætatis solatium, & animi remedium reperit.

In hunc numerum venit adolescens quidam Pannonius nobilis, à Catholicis alienissimus, qui in morbo vitam desperans, deque animæ salute nihil solicitus, stupore ac somno oppressus, cum præeuntes nostros, ad peramplum & pulcherrimis conuestitum aulæis palacium sequeretur, in ipso limine retrusus, excludi grauiter ferebat; eóque grauiùs, quòd herum suum, cum plerisque alijs admitti cerneret: cúmque illacrymans, precariò ingressum vrgeret, non prius sibi ingrediendi potestatem fore intellexit, quam per nostros introduceretur. Nec mora, ad nos Brunam conuolans, hæresi primum deposita, tùm omnibus ante actæ vitæ maculis confessione purgatus, aditum sibi ad Diuorum domicilium fecit, nunc animo correcto, alacrius in semita virtutis excurrit. Nec minus cum altero actum feliciter, qui, cum in hæresi, quam cum nutricis lacte suxerat, adoleuisset, atque etiam maturuisset, morbo oppressus, re ipsa docuit, quod de sacris literis accepimus, Conuerti in ęrumna hominem; dum configitur spina. Phrenesi hic miserandum in modum exagitabatur;

nec quicquam querendo proficiebat; tentanti omnia, illud extremum occurrit: confessionem vt nostris faceret. Susceptum consilium ægrotanti remedium fuit, móxque morbo mentem corrigente, sublato clamore ità vociferari cœpit, vt de potestate sua exisse videretur. Hæresin detestari, Iesuitis confiteri quam primum velle; nec multum post interiectum temporis, retrò agi morbus cœpit, & ægrotus in spem valetudinis erigi, ac ad beati Iacobi, aliorum ope, sex passuum millia emensus, facta vno è nostris confessione, & corporis & animæ salutem retulit.

RETRACTÆ à pellicatu mulieres aliquæ. Alij ab impura ad honestiorem vitam traducti. Finitæ graues dessensiones multorum, etsi difficilis videbatur exitus veterum iurgiorum, eóque magis, quòd tumentia odia, in graue videbantur periculum eruptura, nisi nostrorum opera & industria dispuncta fuissent. Restituêre quoque pecuniam non nulli, qui eam per fraudem vsurpauerant. Nocturnis diurnísque spectris, duo infestabantur molestissime. Cum multa frustra experti essent, Agni Dei vsu salutari, molestis obturbationibus domum, terrore animum liberârunt. E limine mortis extracti duo. Mulier vna, quæ ob mariti omninò turbulenti importunas diuexationes, nunc præcipitium, nunc ferrũ, in quod incumberet meditabatur; sed beneficio confessionis sacerdoti nostro factæ, ad saniorem mentem primum, tùm verò ad gratiam mariti reducta, tranquillitatem consecuta est. Alter suis vicinis non inquietus, cum ab eis quietem non impetraret, aquis sese vt præfocaret, à malo genio impellebatur; sed meliori inspiratione à proposito reuocatus, orationem

Dominicam tum quidem recitat, mox etiam ad pedes ſacerdotis prouolutus, per confeſſionem tentationem eluſit. Quidam vita iuxtà ac moribus improbus, Patris dignitatem, flagitij cupiditate polluebat. Is erat vitricus puellæ cuiuſdam, qui Patrem vultu ſimulans, amatorem impudicum animo tegebat; vtque ad ſcelus aditum ſibi faceret, veneficam, quæ filiæ pudicitiam expugnaret, adhibuit. Vrgebatur Virgo maleficis cantionibus propè ad inſaniam; tum, vt falleret oculos vitrici graſſantis ad flagitium, ſe ſe domo proripiens furenti ſimilis, circum montes, ſaltus & ſyluas, per diuerſas Prouincias, noctes & dies toto ſeptennio curſitabat; donec venefica illa, ab amatore vitrico miſerè interfecta, ipſóque amatore mortuo, maleficio exoluta, à vaga curſitatione conquieuit, vitáque per pœnitentiam correcta, honeſto homini in manum condicta eſt. Sed alterum memorabile.

VIR quidam expertæ virtutis à maleuolis hæreticíſque hominibus odio religionis Catholicæ, accipiebatur ità, vt non modo ædibus ſuis exactus, boníſque omnibus, quæ amplius millium duorum æſtimatione valorem obtinebant; ſed etiam in carcerem truſus iniectiſque compedibus, vt vitam planè deſperaret, extremum in modum affligebatur. Conſilij ignarus, vocem excipit ſe ſe mortis periculo quod illi ex inſidiis occultis imminebat, eripiat. Hic ille primũ attonitus, deinde verò ad orandum, quod vnicum reſtabat remedium, proſternitur, voluntatem Dei exploraturus. Audiuit Deus ſupplicem, quippè continuo compedes ferrei, ſeris quantumuis muniti, nulla vi facta, tanquam ad arbitrium imperantis, decidunt. Re inexpectata perculſus,

culſus, quid ageret? Preces reperit. Tum ad feneſtram, quæ duplici cancellorum ferreorum ordine firmata erat, gradum facit; manum extrà porrigit; clauis aliquot, quibus poſteriores tenebantur cancelli, nullo negocio euulſis, impedimentum ſubmouet, rurſus proximum cancellorum ordinem aggreditur: mirum dictu! ferrum, in ceram tranſiſſe viſum, molliter inflectit, exitúque patefacto, qua corpus inſereret; nihil prolatandum ratus, Dei & precum præſidio, cauſæque fultus æquitate; demiſſum, quem è ſtramine contexuerat, lapſus per funem, ſe ſe periculo eximit. Iam coram ſupremo Prouinciæ Magiſtratu, ſpei plenus, ius ſuum perſequitur. Catholicus nunc magis dici amat, & vxorem vnáque filium, à Luthero abſtractos, tanquam vota ſua, ſingularis erga ſe prouidentiæ diuinæ, religioni Catholicæ adiunxit. Præmiſſam Veteranorum cohortem conſequitur tyronum manipulus. Efformati ad Nouitiatus morem, & ad Collegia tranſmiſſi, quadraginta vnus. Sed noua in dies ſoboles Societati ſuccreſcit, ſuntque non pauci qui noſtram Societatem ambiunt, verum temporum faciunt iniuriæ, vt mos geri niſi perpaucis non poſſit.

Ex ijs, qui admiſſi ſunt, quidam ab ineunte ætate animum Societati addixerat, quod etiam propoſitum voto ſæpius inter communionem firmauit: ſed paulatim, vt fit, intepeſcens illud neglexit, & partim clientelarum, partim honorum ſplendore inter primores viros inclytus, vocationem vel diſ, ſimulabat, vel deſperabat; nec reuocabat ſe ipſe, donec varijs dignitatum oneribus, ad quas expeditum curſum tenebat, iam feſſum, ſopiti vocationis igniculi, iterúmque ac tertiùm extincti identidem

excita-

excitarent, & frustra Capucinorum ac Diui Benedicti ordinem meditantem, in pristinam Societatis vocationem, annos natum quadraginta inflammarent; magna Principum gratulatione, & amicorum, cæterorúmque, quorum in oculis versabatur, grata admurmuratione. Nimirum homo id ætatis, iuris, cuius verticem attigerat, prudentia & scientia insignis, summisque perfunctus muneribus; è medio honorum cursu, & opum affluentia, ad humilem pauperémque vitam commigrans, omnium in se conuertit admirationem. Sors alterius longè felicior, qui rebus humanis exemptus, eó magis accendit sociorum pectora, quo propter singulares virtutes, videbatur dignior vita longiore. Is erat Ferdinandus Ferrarius, iuuenis magna laude pietatis, & sui ipsius victoria insignis; viginti tribus mensibus quos posuerat in Tyrocinio, magnum dedit viuens probitatis & modestiæ, decumbens in perferendis cruciatibus, patientiæ exemplum. Etenim pietatis memor, ac vt ipse dicebat suarum in Deum offensarum, oblitus ægritudinis, à Deo dolorum incrementum primùm, tùm mortem ipsam, visus est impetrasse. Decumbens & accumbens, non alium inuisentium sermonem admittebat; quàm qui de Deo, virtutum pulchritudine, potissimum verò patientiæ sereretur: cumque labente spiritu, extremùm iam sacro inungeretur oleo, oculis in cœlum constanter fixis, mortem operiens, cæterà pacatus, illud identidem à Reuerendo Patre Rectore, sollicitus vrgebat; num si finem vitæ faceret, inter socios computandus esset, neque ante quærendo conquieuit, quam se in complexu Societatis mori intelligeret; initium futuræ felicitatis ratus, si in Societate vitæ diem clauderet.

ret. In cuius ſenſu, cum vim morbi non ſuſtineret, animum, ad Deum anhelantem, cœlo tranſmiſit, omnibus gratum ſui relinquens deſiderium.


Reliquorum Tyronum induſtria & exercitatio magnos in pietate progreſſus habet. Fuit nō nemo ex ijs qui ad coadiutorum temporariorum officium informantur, qui ob magnum, quem fides Chriſti præſentis in Sacramento imperabat affectum, puerulum, omni calicis in ſacrificio, populo ad adorandum propoſiti, inſiſtentem cerneret magno pietatis ſenſu, ac animi ſui voluptate incredibili. Id ità eſſe inſignis hominis religio, & candor animi perſuadet. Ad pagos vicinos vrbi nouem, ad colonos item noſtros, maioribus ieiunij, & memorabilis in Eccleſia Aduentus diebus, bonáque anni parte excurſum eſt, eo fructu, quem ex hominibus rerum diuinarum ignaris, colligi oportuit. Quingenta, interdum ſexcentà, ac propè mille capita, à Catechiſtis, audientium recenſita; è quibus non nulli perſuaſi, qui hæreſin abiicerent. Pagus integer, ad communionem frequentiorem, adductus. Conſuetus doctrinæ ſalutaris vſus, quo in munere verſantur tyrones, firmatus, auctus etiâm. Oppidanis ac pueris, vitæ ad normam Eccleſiæ inſtituendæ, rudimenta tradita Reſtituta exercitationum religiouis Catholicæ conſuetudo. Inueterati abuſus peccandi ſublati, accerſitis inſtitutis melioribus, obitáque vt verbo abſoluam Societatis munia. Brumouium oppidum eſt, diſſitum paſſuum millibus triginta ſex, moribus & errore hæretico deprauatum. Hic vnus è Patribus, cum impenſius laboraret, nec oneri tanto ſufficeret, ſubſidiarios accepit Nouitios, qui partito labore, terni, alij alijs ſuccedentes, & pagos finitimos lu-

ſtran-

ſtrantes, rebus diuinis nitorem ſingularem, morum verò maximam commutationem, inuexerunt. Externis hominibus, vt illuſtriores in nos extarent eorum officia, multiplex oblata occaſio. Ac in primis Illuſtriſſimus Cardinalis à Dietrichſtein, qui amat, probátque in dies conſuetudinem noſtrorum, domum noſtram, noua ædificatione laxare inſtituit; mille florenorum Rhenenſium, anni huius, impenſa. Et quanquã, tam impeditis temporibus, non nulla interturbarũt incrementũ operis, tamen ità proceſſit vt quarta areę vnius pars, ſit ad faſtigium perducta. Hòc profectò beneficium ſpecioſius, quanto illuſtrius ipſius beneficentiæ, anno ſuperiore in Altari erigendo, eluxit argumentum; eſtque iam ab illo ſacris faciendis dicatum, inſigni ſacrorum (quæ ritu & pompa ſolemni obiuit) apparatu, & notabili celebritate, frequentiáque præcipuę Nobilitatis. Simili beneficentia, Magnifica Domina Catharina de Kraierth, in templi vſus, contulit taleros quingentos, quorum pretio ſedes curantur, quæ corpus ipſum templi mirificè exornabunt, arte varia, & ſexaginta imaginum pictura pereleganti. Ad ſacras cærimonias promouendas, ampliorémque ſacrorum maieſtatem, ſepulchrum, pro ferialibus Saluatoris noſtri diebus, extructum opere non contemnendo. Pręſepe item in quo de more, anno inclinante, Natiuitas Chriſti Domini repręſentari ſolet, curatũ; vtrúmque nõ magno ſumptu, ſumma autẽ omnium approbatiòne. Ad templi ædificiũ perficiendũ ſeptingenti circiter taleri donati. Nec minus domiciliũ, in rei neceſſarię penuria, pia ſubuẽtione, benè de nobis meritorum, ſubleuatum; nõ modo rei familiaris ſubſidio, ſed etiam pecunia numerata; quorum vtrum-

que

que summam, mille septemdecim talerorum attigit. Vt verbo dicam, nomine eleemosinæ, templo domuique attributi, hoc anno, ter mille octingenti, & decem floreni.



PROVINCIA FRANCIÆ.

AD tria Prouinciæ iactatæ & conquassatæ domicilia, quæ vis tempestatis in nos excitatæ non omnino perculerat, alia duo à Lugdunensi accessere, Dolanum & Bisuntinum; quibus in domiciliis numero quinque, numerat Societas socios centum nonaginta quinque: Mussiponti sex & septuaginta, Dolæ duo-dequadraginta, Vesontione triginta, Virduni nouemdecim, Nancæi in Probationis domo triginta duos. Admissi hoc anno in Societatem tredecim; morte amissi non plures duo.

COLLEGIVM MVSSIPONTANVM.

SATIS vberes hoc anno domi, forisque laborum nostrorum fructus exstiterunt. Mulier quædam, quæ iniurię ab alia acceptæ nimium retinens, solemne suum in confessione obeunda non satis retinebat, eò pedetentim malis mali dæmonis artibus deducta est; vt ei sese impiè deuoueret: deuoto ille vt sibi capite potiretur, adfuit, eique

eique ſe vario colore ac vultu, nunc filii, nunc mariti, interdum etiam confeſſarii mortui, & viuentis oſtendens, pernitioſa illi conſilia, aqua vel reſte interitus ſuggerebat: Imagines, agnos, aquam luſtralem, cæteraque id genus præſidia auferebat, nummos aureos, & alia vitæ ſubſidia offerebat, vt vel vnum de eius capite pilum obtineret; ſed illa ſacerdotis noſtri opera, induſtriaque inſtructa, & ſingulari imprimis Dei, & Sacramentorum ope munita, monſtrum importunum vicit. Scholæ auditorum numero, & varietate nationnm, celebres fuerunt; ad eas fama & opinione doctrinæ, induſtriæque noſtræ, exciti ex vltimis Galliæ finibus: in iis è præcipua nobilitate nonaginta, è diuerſis Religioſorum ordinibus quatuor & quinquaginta. Numerus omnium fuit mille & trecentorum.

SODALIVM Deiparæ cœtus multitudine floret ac virtute; decem ex iis audita vna de mundi vanitate, eiuſque contemptu cohortatione, ad diuerſas religiones animum appulerunt, ex quibus aliqui noſtrum inſtitutum complexi ſunt. Sodalem grauiter laborantem, & confiteri cupientem, ſacerdos noſter accerſitus inuiſit; quem cum iam orbatum ſenſibus, atque animam ægrè ducentem inueniſſet, ope Beatæ Virginis ſuppliciter implorata, impetrat vt ſibi reſtitutus ęger ſalutari confeſſionis remedio non deſtitueretur. Alterius longè diſpar exitus fuit, qui cum ſenſim omnem pietatis ſenſum exuiſſet, ſeſeque tandem iis moribus imbuiſſet, quibus ex Sodalium numero expungeretur; non ita diu poſt cum in flumine lauandus mergeretur, nunquam emerſit. Mulier quæ iam tertio abortu fœtum effuderat, noſtri ſacerdotis precibus, quibus ſe commendarat, vi-

uum

uum ac vigentem emiſit. Maculas, quibus animę totis quadraginta annis inuſtæ fuerant, pœnitentię ſacramentum abſterſit. Inuentus eſt quidam vir eruditus, qui ſexaginta prope milliarium iter ſuſcepit, vt apud ſacerdotem noſtrum totius vitæ peccata deponeret. In Religioſorum quodam Cœnobio Patris noſtri commentationibus expoliendo, ſacerdotes duo operam vtiliter poſuerunt. In montis Voſagi radicibus planities noſtris hominibus adhuc inculta iacebat, ad eam excolendam duo miſſi ſunt quorum cultutæ incolæ ita non modò patientes, ſed etiam auidas aures accommodarunt, vt ad ſalutares diuini verbi paſtus vndique concurrentes, templorum anguſtiæ non caperent. Quocirca ſub dio interdum, ad populum verba facienda fuerũt. Erat in eo agro veterator quidam ſenex, & fœnerator vetus, quem à pecuniis iniquo queſtu conquirendis, nec admonitiones amicorum, nec Iudicum animaduerſiones, interminationeſque Paſtorum reuocare potuerant: Apud hunc ſacerdos noſter cùm publicis, tùm priuatis ſermonibus tantum profecit, vt horrea ſua ijs palam aperiret, quorum rationibus iniuſtè ſuas opes auxiſſet.

METENSIS ciuitas rebus, hoc anno geſtis, metam imponet. Eius Epiſcopus Illuſtriſſimus Cardinalis à Lotharingia, Diœceſis inſpectionem Theologo cuidam, viro erudito ac probo commiſit, cuius teſtes adiutoréſque duos ex noſtris hominibus eſſe voluit; inſtituti operis fructus, magna perinde bonorum conſolatione, vt malorum confuſione, conſtiterunt. Sed non eſt illud prætermittendum, quod initium fuit reſtitutæ in Galliam Societatis. Exeunte Martio Rex Chriſtianiſſimus

in

in vrbē appulit magno Nobilium comitatu, quorū plerique nostri Ordinis amantes, Patribus nostris authores & hortatores fuerunt, vt Regem adirent, Regis animum, mutata in nos voluntate, conuersum experirentur: Parendum illi hominum beneuolentissimorum consilijs censuerunt. Quatuor itaque Metas profecti, causas aduentus sui exposuerunt, auditi, exceptique ab eo sunt magna hilaritate vultus, & affabilitate sermonis; sed & eum breui post tempore Parisios redeuntem, ipso inuitante, secuti sunt, ab eóque consecuti, vt Lugdunense nobis ac Diuionense Collegia redderentur, nouúmque Flexiæ, qua in vrbe conceptus, altúsque dicitur, ipsa in domo Regia collocaretur.

COLLEGIVM DOLANVM.

RELIGIOSÆ cuiusdam familię superior, inferioribus suis Confessarium è nostris hominibus depoposcit. Cuius consilij fructus non vnius domus angustijs concluditur, sed longè latéque se pandit, & in alias etiam familias redundat, ad quas illi aliquando bonis artibus expoliti mittuntur. Ad tres Sodalitates, quę in dies augentur hominum multitudine & virtutum, quarta plebeiorum accessit. Paganus quidam cum in eam ingredi vehementer optaret, sibique ob id solum intelligeret aditum intercludi, quod in pago habitaret, tandem importunè, opportunéque flagitando & obsecrando effecit, vt quod petebat, consentientibus omnium animis impetraret, cui quidem illustri gratiæ ita respondet, vt nullam vel, suæ vel

proximorum salutis promouendæ occasionem prætermittat, adest diebus festis, hora & loco condictis, domesticos & vicinos ad omne Christiani officij munus informat, ad concionem inuitat, ducit ad confessionem; in operis conducendis, quod ei munus ob eximiam & contestatam fidem sæpe committitur, eorum potissimum habet rationem, quos ad Beatæ Virginis cultum propendere, rosaria gestare, atque percurrere videt, quibus si careant, vltrò de sua tenuitate largitur: ijs homo indicijs suam prodit in Virginem pietatem; at sequentibus Virgo suam declarauit in homines charitate. Quidam in latronum manus casu nescio quo inciderat, alterius ceruicibus distracti prædonum enses impendebant, sed vtriusque salus & fortunę, implorata matris misericordiæ ope, præsenti periculo ereptæ sunt. Alium grauissimus iampridem morbus lecto affixum & vehementer afflictum habebat; hic fretus spe Deiparæ benignitatis, quam alias ex alta prolapsus arbore expertus fuerat, in ædem ipsi dicatam, altero ab vrbe milliari ægrè se confert. Vbi coram Virgine in genua lacrymásque effusus, non prius orandi finem fecit, quam ægrotandi. Præclarum est illud, quod si quid controuersiæ Sodales inter oriatur, à Sodalitate ipsa dirimatur.

Familiæ duę quæ exorto ex affinitate dissidio implacabiles inimicitias exercebant, nostrorum hortatu placatæ sunt, & ex capitali odio ad mutuam concordiam beneuolentiámque traductę. Eandem opem tulerunt duobus fratribus, quorum alter alteri pestem perniciémque, annum iam sextum machinabatur. Miles quidam multarum terra marique pugnarum, ætate iam ingrauescente

in grauem incidit morbum, sed grauiores adhuc illi fuerunt stimuli,cõscientię vitæque recordatio, in multis sceleribus flagitijsque traductæ: is morte appropinquante siue Inferorum flammæ reuera illius oculis diuinitus obiectæ fuerũt,siue à Concionatore, de illis verba faciente,menti duntaxat terror iniectus,ita commotus & commutatus est, vt omnes mutatione sui stupidos detineret. Nam & apud sacerdotem nostrum omnes anteactæ vitæ sordes deposuit, & si quid eius rationibus iniustè accreuerat, iustè restituit: Iniurias acceptas ex animo condonauit. Omnes, qui ad eum visendi causa veniebant, ita permouit, vt melioris vitæ consilia cœperint,ii præsertim, quos aliquando in bello commilitiones, & in sceleribus administros habuerat,in quorum vultu defigens oculos, simul ijs salutaribus verbis eorum corda compunxit: ô socij vias hactenus præcipites & lubricas ambulauimus,iniustè egimus,iniquitatem fecimus, & nisi dolore &lacrymis iracundiam diuinã in nos concitatã placare studeamus,nisi mores in melius emendemus: vltrices apud inferos scelerũ nostrorũ flãmas sẽtiemus.ô si sciretis quid vidi!ô quales ignes! ô quantos, & quam acerbos cruciatus! quæ subinde repetens,vniuersos qui ipsum visebant,illorum igniũ metu percellebat. Rogatus verò à sacerdote,qui ei aliquoties confitenti aures dederat, an æquo & libenti animo lecti & morbi molestias, in pœnam peccatis debitam,toleraret? æquissimo,ait; nam etsi eo igne (luculentum caminum ostendens) vsque ad extremum Iudicij diem torrendus ac torquendus essem, ferrem toleranter; alios enim,& longè acerbiores oculis hausi cruciatus. Sic igitur constituto facilè fuit omnia persuadere,qui-

bus felicem & fortunatū non ita diu post ex hac vita discessum consequeretur. Lipsanothecę tres reliquiis interius instructæ, exterius verò inauratæ, & eleganti artificio elaboratę ad templi supellectilem & ornatum, eximia ciuium liberalitate accesserunt.

COLLEGIVM VIRDVNENSE.

MONACHIS & monialibus crebræ exhortationes habitæ, stimuli fuerūt vitę religiosiùs traducendę; eadem ope Religiosi, qui ad nos eruditionis causa ventitant, alternis hebdomadis adiuti ita profecerunt, vt non pauci à laxa & fluenti, ad arctiorem eiusdem ordinis disciplinam deuolarint. Nostrorum opera, tres ab hæresis tenebris in veritatis lumen emerserunt. Ex his vnus cum iam tertiū annum pedibus adeo grauiter laboraret, vt vix ingredi posset, sponsione voti se obligauit fore, vt si pristinam valetudinem B. Barbaræ precibus recuperaret, hæresim eiuraret: recuperauit, eiurauit & omnes animi labes apud nos confessione detersit. Turcam, qui in Panonia ductarat equestres copias, & iure belli captus à Christianis Baroni cuidam obtigerat, baptizari cunctantē marrona quędam nobilis intempesta nocte primū exterruit, deinde tanta cōsolatione perfudit, vt nulla interposita mora de fidei Christianæ præceptis erudiri voluerit. Quamobrē ad nos missus ab hero, nostri sacerdotis institutione, & voluntaria corporis maceratione pręparatus, in templo nostro maxima hominū frequentia & celebritate, ab Episcopi Vicario salutari Baptismatis vnda respersus est. Nocturno quidā territus spectro,

ſpectro, quod ipſius iugulũ petere videbatur, & in pariete quaſi leonis vngues imprimebat; ad abſterrenda à ſe illa inimici terriculamenta, prętantiſſimum remedium confeſſioné arbitratus, bidui iter ſuſcepit, vt ſacerdoti noſtro confiteretur: quo ſuo facto, ſimul animum à peccato & terrore liberauit.

Agricola, iracundia ſtimulante, filiam ſpiritui malo malè mancipatat, acceptam illa non ita diu poſt in ſpecum quandam tenebricoſam deportauit, vbi ſe illi ſpecie humana videndum præbens, ſeſéque vt ipſi dederet blandè ſollicitans, cum id fruſtra diu tentaſſet, puellam malè acceptam, in hortum paternum, ſub veſperam reportauit: vbi ex eiulatu quem edebat inuenta, dies aliquot in lecto morbóque decubuit, à quo recreata, Creatori grates in templo noſtro egit, & animum impoſterum contra hoſtiles incurſus confeſſione muniuit. Scholæ noſtræ numero auditorum, & ſtudio floruerunt; nongenti fere numerantur. Septem ad diuerſos Religioſorum ordines tranſierunt. Sileri non patiar inſignem Virodunenſium in nos liberalitatem, qui hoc anno luculentam ſeptingentorum, & quinquaginta aureorum eleemoſynam Collegio erogarunt, quibus ſuburbana domus æſtiua, noſtrorum recreationi compararetur. Liberarunt & illud annuo cenſu aureorum tricentûm binûm. Ad hæc adiecti ab aliis aurei quingenti & quadraginta, quibus domus noſtræ paupertas partim ſubleuata eſt, partim alieno ære ſoluta. Res hoc anno geſtas terminabit gratia & fauor illuſtris, quo ab Henrico IV. Rege Chriſtianiſſimo excepti ſumus: nam cũ exeunte quadrageſima Virdunum appuliſſet, Patres noſtri, Gubernatoris hortatu, ad eũ ſalutandi cauſa ſeſe contulerunt, quos coram ipſo

de more in genua procumbentes, ſtare continuo iuſſit, atque his ferè verbis ſuam in eos beneuolentiam declarauit, Agnoſco vos è Societate IESV Religioſos, date operam vt vos habeam fideles ſubditos & obſequentes. me ſemper Regem habebitis clementem, & veſtro inſtituto fauentem. Facere ſe nobis addidit poteſtatem Gallicanę iuuentutis erudiendæ, & ipſum quotieſcunque vellemus adeundi. Ad extremum ſe, & Regnum ſuum, noſtris orationibus & ſacrificijs commendauit.

COLLEGIVM BISVNTIVVM.

HOc anno tyrones quatuor ex hoc Collegio in Probationis domum profecti ſunt, à quibus vnus ætate & virtute prouectus, cum totos tres annos & viginti in Burgundia ſuperiore Procuratoris Regij partes ſuſtinuiſſet, omni alia, præterquã ſalutis, procuratione poſthabita ſe ipſum & ſua omnia Deo in Societate deuouit: ita quod aliquot ante annos ciuitati Collegium procurarat, Deus curauit vt ei aliquãdo iucundiſſimum diuerſorium eſſet; ſuſcepto prius in ſacello noſtro Præſbyteratus ordine, à Reuerendiſſimo Lauſanenſi Antiſtite, magna hominum approbatione, & pari amicorum ædificatione. Contrariũ plane alteri Societatis candidato & in voluntate nutanti euenit; Nam cum ſub noctem iter faciens, in ignotos ſibi homines incidiſſet, ab iis & veſtibus exutus eſt, & verberibus malè acceptus. Alius quidam de Sodalitate Deiparæ, dum ſub idem tempus domum reuerteretur, obuium habuit hominem ebrierate furentem

rentem, qui in caput eius districtum ensem tanta vi contorsit, vt glacies seu futilis ictu dissiluerit, solo ipsius galeri cingulo vulnerato, quod beneficium vt Virginis tutelæ acceptum retulit, ita eius amore acceptam iniuriam condonauit. Sensêre & alij duo Clientes, eiusdem Patronę præsens auxilium. Nam cum ingens in ciuitate exortum esset incendium, quo iam ędes decem duodecimue conflagrarant, totam vim flammæ in eorum tecta incumbentem, ac seuientem, repentè a contraria parte spirans secundior ventus auertit. Secus omnino in eadem incendij vastitate, accidit cuidam Sodalitatis defectori, cuius integram domum vis ignis perculit, penitúsque absumpsit. Hęretici non pauci ex vicinis locis ad nos confugientes, fidem professi sunt, & de tota vita confessi.

Sed vt Ecclesia Dei Catholicis augere studuimus, ita sacelli nostri supellectilem auctam & ornatam voluit, argentea Lipsanothea Sanctorum Martyrum Treuirensium reliquias continente; quo in genere feminarum quarundam insignis liberalitas, & pietas liberalis enituit, quæ sexcentos circiter aureos in varia ædiculæ ornamenta contulerunt. Catechismus iis in locis explicatus, quorum incolæ ne Catechismi quidem nomen auribus vsurparant. Quadragesimæ ieiunium ita dilapsum, vt vix hominum memoria retineretur, sic restitutum, vt pistores de sacerdote nostro quererentur, cuius opera factum esse dicebant, vt præter morem nihil toto illo tempore lucrarentur. Sublata superstitionis & impietatis plena consuetudo, qua rustici pro pecorum incolumitate, extremis Bacchanalibus festum diem agebant, in honorem Sancti (vt loquebátur) Carnis-priuii, & eius loco Con-

ciones habitę & Confessiones exceptę. Multorum odia, quę multas vtrinque manus armabant, & ad mutuam cędem incitabant sopita. Mulier quædam, quam pudor impius à confessione integra, retardarat, sumpto Christi corpore, sibi semper visa est ingens in stomacho saxum gestare, donec per confessionem omne animi virus effudit. Res longè aliter contigit alteri obstinatæ, quam, quòd inhonestè viueret, cum sacerdos noster à Confessione remouisset, donec publicam offensionem sustulisset, ridere illa & iocari cœpit, & indocto nescio cui sacerdoti confessa, palam in circulis iactare, passam se quidem esse repulsam à Iesuita, sed longè prudentiorem Confessarium nactam esse. Haud impunè cessit impudenti: nam cum paulo post ad mensã Domini accederet, sacrosancta Eucharistia cum ori impurissimo admouenda esset, ter è sacerdotis manibus elapsa in terram cecidit: digitum Dei agnouere non pauci, eiúsque miraculi adhuc recentis memoria, hoc ipso anno permultos compulit ad sacram confessionem ritè peragendam.

PVELLA quædam nubilo cælo domum egressa, dæmonem specie B. Virginis candenti veste, bene longum manu rosarium præferentem, obuium habuit; qui eam blandè affatus, rogat secum vt veniat, manúque apprehensam quatuor dies huc & illuc ductat: quid dixerit, egeritue tanto temporis interuallo dæmon, interrogata postmodum puella, præ nimio credo stupore, eloqui non potuit. Id solùm, quarto die monitam, vt patri de filia perdita anxio, iamque aduentanti occurreret, interea bene valeret, post tres hebdomadas denuo se ad eam reuersurum, statimque vt venit puellæ pater, euanuit. Noster in hoc incubuit vt puel-

lam

lam cæterosque doceret, dæmonem fuisse illum, non Virginem: puellæ confessionem audiuit, Parocho instruendam dedit. Simili spectro diabolus alibi feminam multos elusit menses, cui se videndum obiecit multoties forma B. Virginis, amictu candido, & facie decora; suasit primo sabbatum coleret, tum reluctantem bis malè accepit; denique credula mulier sparsit visum, persuadetque plurimis conspectam esse sibi Dei matrem. Creduli item oppidani vicinique permulti, omnes omnino ad trecentos sabbatisant; noster qui tum forte non procul aberat, rogatus vt veniat, opem si quam potest ferat, res in aliud dilata est tempus: quo tempore concionem ad promiscuum vulgus, profesto die, à tribus milliaribus accurrentibus paganis, habuit, dæmonis fraudem detexit, confessiones audiuit, vbi è nostris nullum vnquam anteà viderant; elusæ denique mulieri, vt dæmonem fuisse illum crederet, nec vllam ei imposterum fidem haberet, persuasit; ita errori maximo occursum est.

VRBS Pontarliensis sita est in valle Sangiensi, hanc sacerdotes è nostris duo, tempore aduentus & quadragesimæ, omnibus officiis iuuerunt, quotidianas conciones habuerunt, bis quot hebdomadis casus conscientię Clericis exposuerunt. Variæ superstitiones, ad fugandos ex hominum pecudumque corporibus morbos, olim inuectæ, protsus ablatæ. Exculta vrbe, in vallem subiectam sex quasi tribubus distinctam, nostri excurrerunt, in qua quæ preclarè ab iis gesta sunt, longum esset per singula recensere, è multis pauca decerpam. Religiosi multi, qui neglecta disciplina sensim in sæcularium mores & vitia dilabebantur, ad meliorem

rem mentem frugemque traducti; ex sæcularium moribus vasta & agrestis barbaries, impietas, immoderata libido, intemperantia, vsura, cæteraque vitiorum monstra atque portenta, procul exportata. Auriga quidam à puero blasphemiis assuetus, desperationis stimulis agitantibus, & tetro dæmonis spectro, quod ei apparebat, incitante, nunc aqua, nunc ferro sibi mortem consciscere conabatur; sed nostrorum ope & diuina imprimis misericordia opitulante, vtriusque mortis periculũ ab eius corpore, animóque depulsum est. Alter conditionatis duntaxat interrogatiunculis confiteri solitus, totos quindecim dies ab audita concione, eadem hora domi suæ vocem audiebat, quæ eum ad patres confessionis causa mittebat. Iuit, confessus est, nec talibus amplius vocibus eius aures personuerunt. Inualuerat hac tota valle consuetudo eo perniciosior, quo antiquior, vt omnibus diebus festis à meridie ad cœnã, & à cœna ad mediam fere noctẽ, vtriusque sexus iuuenes nondum matrimonio iugati, in vnum è singulis pagis locum ad choreas conuenirent; quę vt alia mala sileantur, in cædem aut turpitudinem, nocturnæ præsertim, terminabantur. Nam in vasto admodum loco lucernula emicabat, quæ sæpè casu, aut etiam dolo extinguebatur, vt scilicet Adamitas agerent aut Anabaptistas. Re cognita concionator noster, etsi subinde aliquo telo huiusmodi abusus perstringebat, reseruabat tamen in solemnem diem, & frequentem cœtum, plenam & accuratam tantæ nequitiæ accusationem, quam etiam adhibuit tandem aliquando, tanta dicendi vi & animorum zelo, vt maxima emendatio, Deo adiuuante, sit consecuta.

DOMVS

DOMVS PROBATIONIS NANCEIANA.

MENSIS agitur ſextus decimus, ex quo probationis Domus Nanceij eſt inſtituta, ex nouello hoc agro vberes cũ Dei gratia fructus extiterunt. Atque vt ab anni exordio auſpicemur, die ipſo Dominicæ Circumciſionis (qui dies apud nos cæleſtibus gratiis promerendis indictus fuerat) tãtus vel ex vrbe, vel è vicinis pagis ad nos cõcurſus factus eſt, vt neq; locus multitudini, neque Sacerdotes confitentibus ſatisfacere poſſent: nec verò hic pietatis ardor deinceps, hiemis aſperitate intepuit; frequens apud nos, toto anno, ſacramentorum vſus, ſed confeſſionis maxime. Multi totius vitæ, plures multorum annorum peccata, quæ ritè confeſſi erant nunquam, abſoluta aliquando confeſſione deleuerunt. In his octogenarij aliquot fuere, qui in peccatorum veterno conſenuerant; profuſiſque lacrymis Deo immortali gratias agebant, quod imminente ſaltẽ morte, vitam Chriſtianis moribus dignam viuere cœpiſſent. Mulier ſatis honeſta, ſic mali dæmonis artibus deluſa fuerat, vt & confeſſionem, & ſacra omnia deteſtaretur; ſacerdotes inſuper, & bene monentes æquè auerſaretur: multi multa ſæpè tentauerant, vt eam vel in templum inducerent, ſed fruſtra; nam ſubito vt limen attigerat, quodam veluti horrore perculſa pedem referebat: ad conſpectum verò ſacerdotis ita cohorreſcebat, vt ſtatim velis, quod aiunt, remiſque aufugeret, ſed tamen diuinitatis oculos effugere non potuit; ceſſit muliebris peruicatia

cacia diuinæ pietati, quæ illam ad pœnitentiam expectabat. Quid multa? hæc tandem sacerdotis nostri ope, seu potius diuina virtute sic emollita est, vt totius vitæ confessionem obierit, & ex eo tempore sacramentum idem, quod tantopere exhorruerat, octauo quoque die constantissimè vsurparit.

In altera curanda haud minus elaboratum: ea ab hæretico hero sic deprauata fuerat, nulla vt fidei, vel pietatis scintilla in ea reliqua esse videretur, quæ cum ducente (vt credibile est) numine, in sacerdotem nostrum incidisset, cæcitatem vltrò suam professa est, neque confessionem, neque alia fidei nostrę vel Sacramenta vel mysteria, sed ne diuinitatem quidem vllam agnoscere: adeò facilis est lapsus ab hęresi ad Athëismum. Hic primum sacerdos suauiter morbi causam sciscitari, docere quam periculoso sit statu, pestiferum errorem dedocere, & salutari eam doctrina imbuere, modo hortari blandius, modo constitutas impiis pœnas seuerè denuntiare, denique extremo malo remedia omnia adhibere; sed ita obduratum mulieris animum stupor inuaserat, nihil vt vel rationum pondere, vel cœlestibus minis flecteretur, nec quicquam sacerdos noster in præsenti euincere potuit. Itaque nihilo meliorem quam accesserat, dimisit, seriò tamen admonitam, vt se benignissimo Seruatori, & Deiparæ Virgini commendaret. Fecit illa impensè quod iussa fuerat, noctis partem orando traduxit, & mirum dictu! sic se repente diuinitus immutatam sensit, vt die postero ad sacerdotem nostrum redierit, petieritque obnixè, quam pridie respuerat, peccatorum veniam, nec sine lacrymis impetrauit.

Con-

Conceperat iamdiu mulier alia tantum in maritum odium, vt negaret posse illum aut oculis, aut menti subijci, quin eundem continuo diris omnibus deuoueret: studuit Sacerdos noster omnibus, quibus potuit, artibus mulieris animum ad viri obseruantiam flectere, sed frustra. Dimittitur itaque nihilo sanior quam venerat, sed tamen monita, vt aliquot sacris curandis, & eleemosinis faciendis, ad eiiciendum amicitiæ coniugalis venenum, diuinam opem imploraret: quod cum fecisset, facile inueteratum mariti odium in amorem, & obseruantiam commutauit. Altera vel egestate, vel æris alieni onere pressa eo adacta fuerat, vt vitam infelicem infeliciori exitu concludere tentaret, & iam ferrum in pectus bis terue adegerat, sed irrito conatu: Cum alias mortis vias exquireret, hæc occurrit, vt in vicinum pagum secederet, qua fluuius prędterlabitur, seseque ex edita rupe in subter fluentem aquam præcipitem daret; cum neque id successisset, occulta quadam vi, haud dubium quin diuina, inhibente, miraculo admonita resipuit, & mutata voluntate, hoc tam atrox facinus confiteri statuit. Huic a nostro sacerdote persuasum est, vt quoniam Dei benignitate malè mori permissa non esset, imposterum benè viueret.

ALTERI quoque peccatorum confessio saluti fuit. Nam cum natandi specie ad vicinum flumen, cum perdito quodam ganeone, itare consueßet, non tam vt corpus lauaret, quam vt animam turpi flagitio inquinaret, sacerdotis nostri reprehensione acriter castigatus, non prius præteriti sceleris veniam impetrauit, quam sanctè sponderet se nun-

nunquam eam turpitudinem admissurum. Is cum interiectis diebus pauculis, à turpitudinis socio ad idem flagitium illiceretur, pellici non potuit, constanter dictitans, fidem se Confessario astrinxisse nunquam id commissurum. Hæc ei constantia salutem attulit. Nam cum infelix alter ad turpitudinis locum solus abijsset, solus periit: Rectus enim à libidine, cum se in aquam pro more immisisset, natauit, sed non enatauit. Vir quidam acceptam à maioribus suis quasi hereditariam pietatem, Dinam Barbaram Virginem & martyrem studiosè colebat. Huic nuper, cum ad huius Virginis diem festum ritè celebrandum, ieiunio & peruigilio se comparasset, visum illud noctu dormienti obiectum est. Cernere sibi videbatur domum amplitudine & structura visendam, & in eam introeuntem magnam hominum vim, quibuscum & ipse eo subire nitebatur. Sed cum nescio qua vi ingressu prohibitus, ante domus vestibulũ constitisset; ecce tibi derepente domus tota concutitur, & cum terrifico fragore ruens, ingentem illam hominum, qui in eam introierat, multitudinẽ vniuersam oppressit. Illi verò tum ad funestum rei spectaculum stupore attonito, adesse visa est D. Barbara, quę in hæc verba hominẽ, ad meliorẽ vitam viuendã, grauiter incitabat. Viden'? inquit. omnes, quos istarum ædium miserabilis casus obtriuit, inferis etiam locis mandati sunt, ęternis supplicijs cruciandi; tu quoque, si cum iis initio pariter abiisses, pari etiam oppressus ruina, ęternáque morte extinctus perijsses. Iam, quando te Dei benignitas seruauit incolumem, etiam atque etiam prouide, vt horum infelicium exemplo sapias, & quamprimum animo confessione expiato diuinam gratiam ineas; quibus di-

ctis


ctis, visum omne ab oculis mirãtis euanuit: atque id nõ inane fuisse, probauit cõsecutus in homine inusitatus ardor ad omnem Christiani officij laudem, qui excitatus è somno, illico statuit peccata omnia quæ in vita admiserat, exomologesi delere, quod & perfecit cum incredibi pietatis sensu.

Cavinistæ sex Ecclesiæ Romanæ reconciliati, edita prius Catholicæ fidei professione; in quibus adolescens fuit inter hæreticos, atque adeò in ipsa hæreticæ priuitatis arce Geneua natus & educatus; qui cum ab vno è nostris hęresim dedoceretur, forte in tabulam incurrit Romanorum Pontificum serie expressam, quam non sine magno voluptatis sensu dum curiosius inspicit (eam enim in Caluini schola viderat nunquam) ecquis, inquit, neget eam Deo semper Ecclesiam & cordi & curæ fuisse, quam singulari prouidentia tot sanctissimis æque, ac sapientissimis Rectoribus gubernandam commisit? Alter non vulgaris inter hæreticos eruditionis & nobilitatis, multos iam annos Caluinianam sectam non coluerat modò, sed aliis etiam pluribus ad eam colendam author fuerat. Dolebant vehementer impiæ sectæ homines, hunc tantum virum sibi eripi, adeò vt de eo necando non semel consultarint, potius quàm vt tam insignem infamiæ notam (sic enim aiebant) Ecclesiæ suę inuri paterentur: sed eum neque minis, neque pollicitationibus, neque probris palam in eũ coniectis, neque fulgentibus gladiis ceruicibus eius intentis, interposita etiam feminæ Principis authoritate, à proposito remouere potuerunt. Duo è præcipua nobilitate, ipso die Natalis Domini (quo die pacem in terras olim Seruator intulerat) ita veteres quasdam inimicitias excitarant, vt iam certamini

mini locus tempusque ab eis indictum esset, iam prodiissent ex vrbe in mutuã cędem ruituri, ni Prętorianorum militum Præfectus, à Principe intercurrisset, & partim vi & armis, partim Principis authoritate, furentem iam & sæuientem eorum impetum repressisset: quam occasionem Dux Serenissimus, nostris authoribus vel certè suasoribus, non pręterermisit, pœnas acerbas decernendi non in eos solùm, qui sese huiusmodi posteriũ certamine prouocarẽt, sed in eos omnes, qui ad tam exitiosum facinus aliquid opis consiliique conferrent.

HÆc & alia, quæ à nostris continenter obeuntur pietatis munera, non modo ciuium, sed etiam Principum animos nobis magnopere deuinxerunt; argumento est, quod Dux Serenissimus cęterique Principes, nostris in ædibus sunt satis frequentes, ex quibus duo, vno è nostris ad confessiones vtuntur, & maiori in dies edunt propensi erga nos animi argumenta. Illustrissima Ducissa à Brunsuich Serenissimi Lotharingiæ Ducis soror, vbi ex Belgio Nauceium rediit, continuo ad nos profecta, Patri Rectori, Ego, inquit, mi Pater venio huius sacelli possessionem occupatura, atque ex eo tempore omni festo die, in ęde nostra Sacramentis Confessionis & Eucharistiæ constanter vsurpandis, matutinum tempus ferme ad meridiem vsque transegit, miro exemplo incensi in Deum obsequij, & modestiæ erga omnes. Nuper magno argumento munificentiæ suæ, ex suo sacro thesauro Patri Rectori in manum dedit aliquot ossa grandiora Sanctorum Innocentium, & aliorum Diuorum celebriorum partes aliquas minores. Per id tempus rei duo, atrocibus conuicti criminibus in rotam agendi erant, quorum alter prope adolescens

cens ita mortem perhorrescebat, vt vel eiûs recordatio omnem æternæ vitæ memoriam adimeret. Hic Patris nostri oratione permotus est vt intrepidus ac prope exultans graderetur ad mortem; vbi ad supplicij locum ventum est, cum prius admissa scelera confessione expiasset, eorum quoque veniam à Deo, & circumstantibus postulauit. Desertor monasterij &habitus, pijs apud nos commentationibus eruditus, non solum culpam agnouit, verum etiam eluit, Pręposítique facultate, alium seuerioris disciplinæ ordinem ingressus est.



PROVINCIA GERMANIÆ SVPERIORIS.

NVMERAT Superioris Germaniæ Prouincia socios trecentos & nonaginta, in quindecim domicilia distributos; è quibus Sacerdotes sunt cētū septuaginta duo; Nouitij triginta duo: Collegia decē; Domus Probationis duæ; Residentię tres; Missiones sex. In Collegio Ingolstadiensi septuaginta; in Dilingano triginta; in Monachiensi triginta; in Augustano triginta duo; in Oenipotano vno minus; in Halensi quindecim; in Lucernensi duodeuiginti; in Friburgensi totidē: in Ratisponensi viginti vnus; in Bruntrutano quindecim; in Domo Probationis Eberspergensi viginti; in Landspergensi triginta quinque; in domo Oetingensi nouē; in Residentia Biburgensi quatuor; in Constantiensi duodecim. E vita migrarūt quatuor; adscripti in hanc mi-

litiam vndeviginti.

COLLEGIVM INGOLSTADIENSE.

DVos ruina muri oppressos amisimus. Georgium Kyrchmair Physicæ studiosum, & Ludouicum Coadiutorem. Vterque fuit orationi addictissimus, & Beatæ Virginis Cultor insignis. Prior etiam egregius, & constans suorum affectuum victor. Posterior charitate erga Fratres & cura erga ægrotos, quibus seruiebat, insignis. Magna huius Collegij pars hoc anno fuit à fundamentis ædificata. Triclinium latius, altius structum, lapide quadrato, candido stratum, duabus columnis fultum. Editus ab vno de Theologis Nostris Tractatus de iure prohibendi libros, & alius, qui exercitationes Theologicæ inscribitur. Ad Academiam quod attinet, Duo Theologiæ studiosi pro Baccalaureato disputarunt. Octies propositæ à Philosophis Theses impressæ. Gymnasium habet Comites octo, omnes in Collegio Sancti Ignatij degentes. Barones quatuordecim. Emblemata & Poemata sępius publicè proposita, declamationes & actiones habitę frequentes. At annua studiorũ initia data Tragœdia Mauritius Imp præclare stetit, elicuitque non gemitus tantum, verum etjam lachrymas. Paschalis peruigilio ad Quadringentos terga sua flagris in templo cæciderunt. Minor ætas supra trecentas verberationes, per dies verni Ieiunii numerauit. Piis commentationibus Domi Nostræ aliquot supra vicenos operam dederunt. Varias Religiones amplexi sunt vndeni. Hæresim eiurarunt

runt quadraginta quinque. Plurimi totius vitæ peccata, multi multis annis cælata aperuerunt. Aliquot à terroribus & spectris diabolicis per Confessionem liberati. Eiusdem Confessionis beneficio aliquot Coniugum paria reconciliata. Pro more Societatis sæpè adita Xenodochia, Nosocomia, Ægri & inopes ad pietatem instructi, in ægestate subleuati, emendicata nonnunquam à ditioribus stipe. Kalen. Ianuarii, cum hic Antistes Eystettensis in templo Nostro seculares Indulgentias Populo distribueret, sacrum panem accepêre mille septingenti. Catecheses duobus sacratioribus anni temporibus, in nouenis minimum locis, Missiones sacra hebdomade ad totidem Pagos & oppida eo fructu, quo præteritis annis, institutæ & continuatæ sunt. Duorum è Nostris opera Præsul Eystettensis in Moniali quadam, quæ Energumena putabatur, & toto anno summas Monasterio molestias curauerat, cum singulari ceterorum Virginum solatio liberanda vsus est.

RESIDENTIA
BIBVRGENSIS.

QVINQVE à variis Hæresibus reuocati. Sacramenta diebus Natalis & Resurrectionis Domini apud nos perceperunt supra Mille. Impios libros & superstitiosa multa concremauimus. Morbo Hungarico passim grassante, Nostri eo in periculo nullum recusarunt laborem. Ægris enim ope affuerunt, & exemplo; vt multi mala de nobis Iudicia in optima mutauerint, idque etiam verbis prodiderint. In Sigerburg oppidulum sępius ex-

 cursum.

cursum. Natalibus feriis ducenti celestem panem sumpserunt, & illic quoque, hortatu nostro, aliquorum nobilium impensis Altare summum erectum. In Lautenbach exiguum Pagum semel ac iterum itum, sexaginta expiati, Ara populo excitando erecta. Kyrchdorffij sæpius nostri ad populũ dixerunt, vltra Quingentos á peccatis soluerunt. Templum Alterstorffense hoc anno cum primis à peregrinis vndiquaq; visum, muneribus auctum. Cum in æstate arens terra diuturnis caloribus pluuias exigeret, Abusinum Oppidum cum solemni supplicatione in montem ascendit, eóq; die largiter illorum segetes humectatæ. Auditi sunt, solis diebus B. Virginis festis, confitentes septuaginta supra centum. Affuerunt à Rhorrensi Canonicorũ Regularium familia seni, inter quos ipse Præpositus. Quinque totius vitæ peccata Patri Nostro explicuerunt, vt primam Hostiam Deo purius offerrent. Multi munera attulerunt receptæ sanitatis argumenta. Mulier Altespergensis quinquaginta aureos templo donauit. Vir quidam omnia bona sua Beatæ Virgini legauit. Sancti Leonardi templum hoc demum anno à Clemente octauo, Patris Gregorij de Valentia, optimæ memoriæ, precibus impetratum Indulgentiarum diploma accépit: Quo omnibus quater illic in anno confessis, ac viuifico pane refectis, decem annorum, totidemque Quadragenarum condonationes conceduntur.

COLLE-

COLLEGIVM DILINGANVM.

ADMISSI in Societatem quinque. Exercitationibus ſpiritualibus perpoliti è Religioſis octo, è Clericis laicisue quatuordecim. Academia Nobilitate & numero floret. Diſputationes publicæ Theologicæ ſunt habitæ binæ, philoſophicæ ternæ. Initiator Eyſtettenſis S. Theologiæ Doctor creatus eſt, cui Sodales Partheniani & Alumni S. D. N. in quorum amborum ordine Dux olim fuerat; carminibus impreſſis dignitatem gratulati ſunt. Magiſtri Philoſophiæ renunciati triginta. Baccalaurei totidem. Feriis Natalitiis producta in ſcenam Rachel plorans filios ſuos. Hilaribus Barbariſmus & Solecismus, in ſtudiorum renouatione ex Diuo Ambroſio Theodora Virgo & Martyr, omnia hæc cum applauſu ſpectata. Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Princeps, ſuæ in Academiam egregię voluntatis, & in nos eximiæ liberalitatis modũ nullum facit. Ipſe Aduentu ſacros Ordines in Aula academica, quadraginta amplius Monachis & alijs litterarũ ſtudioſis dedit. Ipſo Natali ſacrã ſynaxim ibidem ſtudioſis miniſtrauit. poſtremis duabus Quadrageni Ieiunii hebdomadibus, ſingulis diebus meditationes obire voluit. Cathedra Parochiana vacante, atq; ad Cœnobium ſuum Eccleſiaſte decenni reuocato, non quieuit, donec perficeret, vt illa Noſtris concederetur. Duo ſcutatorum millia ad Monaſticam & Hieronymianam fabricam ampliandam contulit, ad cuius vſum etiam equos ſuos ſæpenumero adhiberi iuſſit. Ad ean

dem fabricam Collegium Canonicorum aureos mille obtulit. Collegium ſancti Hieronymi Conuictores numerat ducentos viginti, à quibus è Monaſteriis nouem & triginta Suæuiæ, Bauariæ, Tyrolis, Heluetiæ, Alſatiæ, Religioſi LXXXIV. Omnes in confeſſionis & Euchariſtiæ ſacramentis frequentandis ſunt conſtantes. Illud pleriſque Contuberniis ſolemne, vt celebritate feſti maiore interueniente, notabili numero pridie in ſe flagris animaduertant. Paſſim verò vſitatum eſt paſſis brachiis, vel ſtratis humi corporibus pias, longaſque preces fundere. Ciliciorum vſus multus fuit multis. Concionibus in Parochiali templo habitis reſpondet fructus, maiori enim frequentia Eccleſiaſtes noſter auditur. Proinde feſtis celebrioribus pænitentium numerus fuit longè auctior. Ad initium belli Hungarici pro felici eius ſucceſſu, aliiſque Eccleſiæ neceſſitatibus, in templo Noſtro XL. horarum habita ſupplicatio. In Monialium item templis, ipſarum rogatu, Noſtri concionati ſunt. Vt Catechiſmum attingam, Xenij loco remedia contra peccata capitalia, typis vtraque lingua excuſa, quę Reuerēdiſſimi Epiſcopi liberalitate in omnes penè oppidi domos diſtributa ſunt. Eadem etiam occaſione ad varios Diæceſis Parochos, & Monaſteria emiſſa, & cum Sodalibus Partheniis communicata. Ab Hæreſum vinculis ſoluti XXIX. Peccata grauia multis annis cælata, tandem Noſtris patefacta. Parochis varijs, ad vitam munere dignā inſtituendam, documenta data. Animis corporibuſque Ægri adiuti tam noctu quàm interdiu. Valetudinarium cum Incolarum ſolatio viſum & reuiſum, cohortationes ibidem diebus feſtis habitæ.

EXCVR-

EXCVRSIONES.

AESTATE hac Sacerdos quidam Noſter ad quædam abiit Monaſteria. Ibi luſtratæ Bubliothecæ,& multi bonæ notę in membrana ſcripti reperti sūt libri,& è tenebris in lucē protracti,breui euulgandi. Data & monachis exercitia. Exhortationes plures in variis locis, ad cænobitas varios habitæ. Reſtitutiones aliquot non exiguæ impetratæ. Abbas quidam,cum aliquot piarum imaginum centurias hinc paratas, in ſingulis ſuorum ſubiectorum domibus affigi curaret, audiuit vt vna in domo uel altera Iudæi & Chriſtiani eſſent inquilini. In eas domos imagines dari noluit, ne fortè à perfidis Iudæis aliqua ignominia afficerentur. Hæc vbi Chriſtiani illarum ædium Incolæ & inquilini intellexere,potius imagines obtinere voluerunt, quàm fidei hoſtes Hebræos pro cenſu in ædibus ſuis retinere. Quare ſtatim foras abire Hebræos iuſſerunt. Vicini Noſtri Lauingani habebāt impreſſam diſputationem de verbo DEI, Inuitarunt Noſtros. Noſtri veriti ne deinde negarent ſe inuitaſſe, vt aliâs fecerant, diſputationis Præſidi ſcripſerunt num inuitaſſet, venireque noſtros cuperet. Affirmauit ille. Ergò duo è Noſtris venerunt, paucis Theologiæ Auditoribus comitati. Actum vtrinque permodeſtè, ita tamen vt Præſes non ſemel planè obticuerit,& aliquamdiu tacentem omnes mirati fuerint, vt quiuis facilè viderit ab vtra parte veritas ſteterit. Eluangæ conciones binæ ſæpius habitæ, vna in Arcis ſacello, altera in Parochiali templo. Quadrageno ieiunio verno

Catecheses quotidie Iuuentuti propositæ. Vltimo sacratioris hebdomadis triduo, pronunciatus à sex Pueris de Christo moriente Dialogus lingua vernacula. Mulier ob violatam sororem eò dementiæ venerat, vt nisi violatorem peremisset, in dæmonis se fore potestate iuraret. Dæmon minimè tardus, rusticum se simulans paucos per dies furenti feminæ apparet, dat etiam pecuniam chartæ inuolutam pro carnibus emendis. Quam cum misera statuto die capere vellet, dolo se delusam sentit, nihil enim præter chartá vacuam inuenit. Post hæc sæpius eidem diabolus apparet, bis eam domi verberibus mulctat, id quod liuor ac tumor vultus satis declarabant. Tandem mulier Exhomologesi facta, & sacra Eucharistia refecta, meliusculè habere cœpit. Virguncula ob furtum falso accusata, sic affligebatur, vt fermè impos mentis fieret, atque hinc cultro in se grassaretur aliquoties, aut in profluentem insilire meditaretur, sed semper prohibita, exhomologesi facta est tranquillata.

COLLEGIVM MONACHIENSE.

THEOLOGIA excoluntur nouem. Duo in Domino obdormierunt. Quorum alter Petrus Franck, multis antè mensibus liberationem è custodia corporis præsagire visus est. Multus illi de ea sermo, & de morte cùm Latio, tùm vernaculo carmine multa piè modulabatur. Alter Ioannes Appenzeller vir fuit quà patiendo strenuus, quà ferendo præclarus. Hebraicarum & Græcarum sciens litte-

litterarum, Matheſeos Profeſſor, ſui deſpicientia Inſignis. In horum locum adoleſcentes tres Societati nomina dederunt. Commentationibus Beati Patris Ignatij exculti quinque: Turcæ quatuor in Principe ciuitatis æde, magna Populi frequentia & præſentia Principum, Baptiſmo luſtrati. Abiurata hæreſi, cum Eccleſia Romana in gratiam redierunt quadraginta tres. Adoleſcens cum lacte materno Hęreſin imbiberat. Hic ſe diabolo mancipauit ea lege, vt ſibi in opificio exercendo familiariter operam adiungeret. obſecundat ille, non tamen ex multa opera lucrum creſcebat, nec ditior fiebat: quin miſer animaduertebat in dies ſe ad maiora incitari flagitia. Quin cum aliquando à vafro impoſtore magnam vim monetæ aſperæ & recentis accepiſſet, poſtea nihil præter nummos teſtaceos deprehendit. Hac de cauſa in ſe deſcendens, quo pacto ſe ad Dominum conuerteret cogitabat, tum diabolus frendere, pactam fidem obtrudere, dira quæuis minari, & verbera etiam ingeminare. Demum parcius agere, & vrgere ſaltem ne ad Pontificia caſtra tranſgrederetur, aliud quiduis ageret. Pluribus item machinationibus illi ſalutis iter præcludebat, ſed Adoleſcens eo magis ardentius incumbebat, & ſe in libertatem vendicare conabatur. Patrem noſtrum conuenit, ſtatum ſuum exponit, conſilium & opem flagitat, ad omnia paratum ſe oſtendit. Noſter illi animos facit. tum ab Hæreſi & peccatis confeſſum abſoluit, Cęleſtia arma contra Hoſtem infernalem ſuppeditat: Et quamuis aliquando fuerit exagitatus, tamen coactus eſt inimicus tandem quieſcere. Quędam mulier ita Hęreſin abiecerat, vt adhuc aliquis de virtute Catholicę religionis

ſcrupulus

ſcrupulus eam teneret. Quid facit? implet duas Hydrias aqua, & alteram quidem luſtrali: ſic diſcam, inquit, vtrarum vera ſit Religio, ſi luſtralis nullo corrumpatur fætore, putealis autem putreat, ſignum erit penes Catholicos eſſe veritatem. Pręſcripto temporis ſpacio, luſtralis priſtinam limpitudinem retinet, nec malè olet, altera peſſimè. Hęret adhuc, & dum adhuc ſignum Crucis exprimit, intempeſta nocte vigilanti vir maturus ſe viſendum obiicit, manu ſignum Crucis exprimit, & euaneſcit. Tum mulier quid ſibi faciendum clare intellexit. Qui in templo noſtro diuinas epulas ſumpſerunt, fuerunt centeni ſupra tricies & ter mille. Pœnitentię ſacramentum multò plures obierunt. Et quidem quadringenti Quinquageni, vel totius, vel maioris vitę partis peccata ex homologeſi deleuerunt. Plurimi è libidinum cęno extracti. Nubilibus virginibus, quarum pudicitia propter formam & pauperiem periclitabatur, Dos procurata. Graues & diuturnę diſcordię conſopitę. Quidam à veneno quod ſibi parauerant, & à manibus violentis ſibi inferendis deterriti. Prauę potandi, peierandi, blaſphemandi conſuetudines ſublatæ. Malę notæ libri flammis exuſti. Plurimi ab inueteratis ſceleribus abſtracti, & ad frequentem vſum Euchariſtię traducti. Intemperiæ & terriculamēta nocturna abacta. Virgines quatuor ad monaſteria promotæ. Largæ eleemoſynæ à diuitibus in pauperes procuratæ. Ægroti tùm aliâs tùm in extremo agone diu noctuque adiuti. Deiectis mæſtitia mentibus conſolatio adhibita. Supremo afficiendi ſupplicio, ad pœnitentiam & patientiam excitati. Paterfamilias ab vxore rogabatur vt aliquando Ieſuitæ alicui con-

confiteretur, bene monenti ſe obſecuturum oſtendit, factuſque Patri obuiam in terram ruens, indignum ſe affirmabat qui eum aſpiceret; ſurgere iuſſus, ita ſe illi aperuit, vt etiam totum ſe in illius poteſtate futurum teſtaretur. Gymnaſium in nouem Claſſes diuiſum eſt, pręter moralis Theologiæ & controuerſiarum lectiones; nulla Schola eſt, quæ non plures centum diſcipulos complectatur. Quadrageni ſunt, quibus Societas, corrogata à ditioribus ſtipe, victum in vno contubernio ſubminiſtrat, qui ſuo munere ex omni parte funguntur egregiè. Longus ſim nimis ſi percenſeam ſingula pietatis & virtutis opera, à Parthenianis Sodalibus pręſtita. Pauca attingam; Legum ſuarum obſeruantiſſimi ſunt, ac ne quiſquam erratis ſuis legum illarum ignorantiam prætendere queat, ſuo ære vnus earundem exemplaria plura trecentis, eleganter imprimi curauit in ſocios diuidenda. Multas horas precando conſumunt, ægrotis aſtant, miniſtrant, lectulos componunt, conſolantur, cibos apportant, integris menſibus per noctem apud eos excubant, certam pecuniam elargiuntur, Rudes Chriſtianæ fidei elementis inſtituunt, à ſceleribus, ab hæreſi multos reuocant, ad pœnitentiam inducunt, detractis peioribus, meliores libros ſubſtituunt, oſtiatim ſtipem colligunt, quam egentibus tribuant.

EXCVR-

EXCVRSIONES.

ABLINGÆ, quod oppidum eſt Bauariæ, diebus Dominicis, ferijs ſextis Conciones; & Catecheſes habitę. Mille ſexcenti conuiuiũ cęleſte iniuerunt, è quibus omnium Confeſſiones, præter ducentorum, Noſtri exceperunt: qui tamen, quod Noſtri non ſufficerent, ęgrè paſſi ſunt ſe cogi vt alteri confiteantur. Multa in Societatis laudem dicta & facta. Inueterata odia extincta. Superſtitiones ſublatę. prauę conſuetudines in meliores conuerſę, à prauis moribus ad Chriſtianã vitam multi traducti. Suffraganeus Friſingenſis Iubilęum à Romano Pontifice Diæceſi ſuæ communicaturus, duos de Noſtris Comites petiuit, pœnitentibus operã daturos; Expiati ab illis ſupra ter mille nongentos. Pellices ablegatæ, Cœnobita deſerta ad ſigna reuocatus, animorũ angores à multis depulſi. In alto montis iugo male materiatum tuguriũ habitabat anus, oculorum ac pedum ferè omni vſu propter ſenium priuata, cuius aures vt leuis rumor de Noſtrorũ aduentu tetigit, non quieuit, donec alias duas feminas permouit, vt ſe in vallem pręreptantẽ adiuuarent; Vbi Noſtrum ſacerdotem conſpexit, mirè exhilarata, totam ei vitam anteactam expoſuit. Quotidie ter Roſarium recitat, & vnum quidem, expanſis in crucis formam brachiis. Excurſum etiam ab aliis, & confeſſiones auditæ plures octingentis. Catechiſmus traditus, æs alienum reſtitutum; diſcordantes reconciliati. Aquæ luſtralis, Roſariique vſus introductus. Leproſis data ſolatia, & confitentibus aures. Cætera breuitatis cauſa omitto.

DO-

DOMVS EBERSPERGENSIS.

HOc anno ſub Hyemem Reſidentia Eberſpergenſis in domum Probationis tertii anni mutata eſt, quod benè vertat. Faciunt initium vnà cum ſuo Magiſtro eiúſq; ſocio, Patres duodecim. Aucto igitur ſociorum numero viceni illic numerantur. Abſoluti à peccatis quinquies mille ſeptingenti. Ex his facile milleni vitam omnem retexuerunt. Puella quæ ſe dæmoni proſtituerat, cum poſtea ab eodem ad deſperationē vrgeretur, & malum ſuum aperire nemini auderet, concepta fiduciā, cum de ſilentio, quod præſtare Noſtros inaudiſſet; apud Patrem quendam curationem quæſiuit, & inuenit. Similibus alijs ſatanæ laqueis expediti plures. Quidam cùm graue ſcelus in confeſſione reticuiſſet, templo egreſſus incidit in picturam, vbi quædam à dęmone, ob ſimile crimen, ad Inferos raptabatur. Quare continuò regreditur, & confeſſario idipſum quod tacuerat, manifeſtat. Concionum, Catecheſos maius extitit emolumentum, quia maior populi concurſus. Ad pietatem incitandam ſæpiculè Dialogi à Pueris habiti ſunt. Aniles ſuperſtitiones ſublatæ, Magorum artes damnatæ, Concubinæ eiectæ, quarum aliquæ ad annos octodecim in hoc luto demerſæ Sacramenta negligebant omnia. A violento Marte plures abſterriti: Virginum pudicitiæ couſultum. Magna Societatis opinio, magnus amor in his partibus; huiúſque affectus nec rara, nec leuia experti ſumus argumenta. Turpis animorum diſſenſio Magiſtratum inter ſe, familias quo-

quoque seiunxerat: Nostra fratrum opera, vt in concordiam redirent. Patrem à filio improbitas illius adeò alienauerat, vt in conspectum nollet vnquam admittere, nec vllos deprecatores culpæ patiebatur. Admisit tandem Nostros, filiúmque lachrymis & verbis meliora pollicentem, & humo leuatum in gratiam recepit, quem nunc multo impensius diligit quam antea. Apud S. Sebastianum dona deposuerũt plures quinquaginta, qui omnes eodem Diuo vel seruatore, vel sospitatore, morbos grauissimos & varios à se depulerunt. Ceciderat de Cœlo ignis, flagrabánque iam vicinæ ædes, serpentem & aduentantem in sua tecta Rusticanus cum videret flammam, voto facto, Diuóque Sebastiano opitulante, incendium euasit. Nec solum ad morbos abigendos, propter S. Sebastiani craniũ Ebersperga est celebris, sed ob aliam etiam Christi in Cruce expirantis Imaginẽ, ad quam etiã hoc anno deposita agalmata cerea, præsentem Numinis opem testantur. Est etiam D. Antonii tabula clara miraculis. Atq̃ue ista, & quę breuitati consulens, omisi miracula, hoc anno frequẽtiores, quàm superioribus, supplicantium ordines adduxerunt; quo in genere pietatis, ne ipsi Eberspergenses palmam aliis concedere viderentur, Monachium sacros D. Bennonis cineres veneraturi concesserunt. Vt porro Monachio, sic Ebersperga vocati nostri ad varia loca, propter veniale Iubilei diploma, possúntque eadem dici de fructu laborum Nostrorum, quæ supra de Monacensibus dicta sunt.

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

IN Societatem adſciti duo. Concionati intra vrbem quinque; Rudimenta Chriſtiana per Quadrageſimam locis quinque tradita. Hæretici ad Catholicam Eccleſiam reducti ſexaginta. Mulier parentibus nata hæreticis, & hæretico in matrimonium collocata, cum in Natalitijs Domini ad cœnam illam ſacrilegam accederet, & iam quod reliquis propinaretur deeſſet, vidit à Miniſtris è proxima taberna, recens è dolio vinum non ſacrum peti, & communicantibus pro ſanguine Chriſti porrigi. Clam ſuam ſortem, ſuorumque miſeratur. Hæret in imo pectore ſcrupulus, & cum non multum poſt maritus morbo lethali laboraret, accerſitus Prædicans ad cænam, vt vocant, illi præbendam, præſente vxore virum rogauit, an alicuius ſceleris conſcientia premeretur? Quamuis enim, ſola fides, inquit, ad expianda quæcunque delicta ſufficiat, tamen ad pacandam conſcientiam rectè aperiūtur. Hic ille aliquamdiu attonito ſimilis, tergiuerſatur, tandémque audiente atque aſtante coniuge, ter ſe illi necem machinatum confitetur. Tum rabula, crede, ait, & dimittetur tibi peccatum & ſaluus eris; & vnà cruſtulum in os ingerit. Mox ad vxorem verſus, nulla præmiſſa interrogatione, virône de præmeditato parricidio ignoſceret, doleretue de præteritis vitæ noxijs, & tu, inquit, ſume. Illa non auſa contra niti, totis artubus contremiſcens buccellam ſumit, ſimulque rei indignitatem perpendit, quàm flagitiosè Sacramento-

mentorum myſteria à perditiſſimis Miniſtris Populo adminiſtrarentur. Moritur maritus. Vxor Pſeudoecclesiaſtas tota quadrageſima audit blaterantes, ſibi nequaquam alienorum peccatorum rationem vel ſuſcipiendam, vel reddendam. Hic illa grauius ſauciata animo, cui ego, ſecum ait, conſcientiam meam committam? Quis me maculis exſoluet? tamẽ Chriſti vox clara eſt; Quodcunque ligaueris ſuper terram, & quæ ſequuntur. Occaſionem Patris Noſtri conueniendi aucupatur, libros hæreticos exhibet, in Catholica religione inſtituitur, peccata confitetur, & ſummã nunc in ſuſcepta religione conſtantiam oſtendit. Alias duas omitto, quibus in ſalutis diſcrimine à Noſtris ſubuentũ eſt. Doctor quidã Medicinę, poſt multas & longas diſputationes, cum coniuge & familia manus dedit. Diſputatũ etiam cum Antiſtitibus ipſis Auguſtanę Confeſſionis per ſcripta, magnáque noſtro Concionatori paſſim auctoritas conciliata. Ancilla Catholica profeſto Natalis Domini opus fecit, vt ſibi liceret poſtridie templum noſtrum adire, & ſacra myſteria ſumere. Eadem vltimis Quadrageſimæ diebus pecunia ſua conduxit famulam hæreticam, quę ſuas per illos dies vices impleret, vt ipſa ſtudere rebus diuinis poſſet. Aduenæ quoque procul diſſiti, ſalutem & pacem apud nos quæſiuerunt. Peruigilatũ toto pęnè octiduo apud Canonicum Patritiũ Auguſtanum, Duumuiri Pręfect Germanum. In honeſta & copioſa familia odia inueterata compoſita. Sub noctem Paraſceues hoc demum anno inſtituta per vrbem ſupplicatio, cui præfuit ex diſciplina noſtra Sodalis primarius Diuę Virginis. Hanc comitata Patritia Nobilitas, cum viri Illuſtres ſaccati Cruces geſtarunt; Triginta

ginta se flagris per templa cæciderunt. Omnium autem oculos & animos Lutheranorum in se conuertit. Alia item non parui momenti pro vsu Catholicorum publicè instituta in Orphano-trophio Pupilli & expositicij omnes ad hęresin instituebātur. Actum sæpè, vt Catholicis prouideretur: Separati ergo hoc anno ab hæreticis, Catholicorum benignitate erectis publicè Gazophilacijs aluntur. Adita frequenter Cœnobia suburbana Virginum, piæ adhortationes cum magno fructu habitæ. Cineralibus quinque locis partim Catechesis tradita, partim pro Concione populus eruditus. Quatuor vicibus confessiones magno fructu exceptæ. In solo Friburgensi oppido quingenti & amplius auditi. Cuidam grauissimè ægrotanti, mentisque & linguæ vsura destituto, Noster fortè illac iter habens, & ad ægrum visendum rogatus, domum ingreditur, cum socio & familia se in preces dat, laboranti lypsanothecam Beati Patris Ignatij ad collum appendit: Res mira! breui mentem & vocem recepit, sequenti die è lecto surgit, & benè valet. E nostris scholis quatuor in religiosorum Cœnobia se contulerunt. Eustachius magno populi applausu datus. Sodales Parthenij hoc anno mirificè aucti, multa publicę pietatis exempla priuatimque edidere. Inter Natalitia Domini datus in Sodalitatis aula Christophilus, non mediocri spectantium sensu. Quidam totos menses cilicia gestarunt, humi cubuerunt, flagris in terga sæuierunt, inedia corpus macerarunt, aut alijs afflictionibus cupiditates suas compresserunt: Nonnulli ab eis ad Catholicam religionem perducti sunt. Omitto innumeras eorum preces, in pauperes benignitatem, peccantium & peierantium reprehensiones, dubi-

tantium institutiones, peruigilia apud morientes, Sacramentorum frequentationes, & id genus alia prope infinita. Ducentorum aureorum libri Collegio donati vel legati. Serenissimus Gulielmus Bauariæ Dux ad nos visendum veniens, diem totum & noctes binas nobiscum mansit, & singularem erga nos humanitatem declarauit, nobisque modestia & humilitate sua magno exemplo fuit.

COLLEGIVM OENIPONTANVM

SCHOLA Christiana tum in templo nostro, tum ad Diui Nicolai vtiliter habita; præcipue absterriti multi à consuetudine peccandi. Plures aduersus varia scommata, in vsu frequenti Sacramentorum Pænitentiæ & Euchoristiæ confirmati. Hebræus post bimestrem catechesim nostram publicè baptizatus est, cui Patronus esse voluit Marchio Illustrissimus. Hæresin viginti eiurarunt. Concio Parochialis quà numero, quà fructu auditorum floruit. Prçteritis temporibus, Bacchantium infinitus per vrbem agebatur numerus. Solitudo huius anni subita demonstrauit nostri Ecclesiastæ orationem altius in omnium animos descendisse. Sęculares quidā verni; ieiunii tempore quotidianas mortificationes ad sui victoriam cū approbatione Confessarij susceperunt. Nobiles aliquot Matronę, ob amorem Christi, pauperes singulis hebdomadis semel ad mensam adhibent. Alii pridiano semper Ieiunio ad communionem, quam octauo quoque die obeunt, se disponunt. Virgo bis per fraudem inclusa, nullis promissis ad flagitium potuit induci,

vimque ipsam clamore tandem depulit: Eadem sub noctem missa à Domino nescio quo, intercepta à quibusdam & stricto pugione ad pectus admoto, noluit in scelus consentire: læta inquit, mortem excipiam, quàm vnicum pudicitię thesaurum amittã. Ad epulas cælestes admissi quadraginta circiter & octingenti supra sexies decies mille. Confessionem generalem peregerunt plures centum. Qui ad sese interimendos incitabantur, aut spectris vexabantur; iis per confessionem tranquillitas curata, Variorum ad nos contractuum literæ allatæ & emendatę. Chartę supestitiosæ ablatæ. Parochi si quos habent arctioribus conscitiæ nodis constrictos, ad nos exsoluendos mittunt. Sentiunt præsertim feminæ Beati Patris Nostri Ignatij auxilium, si quando in partu periclitantur, nec quicquam est vsitatius in tali periculo, quàm vt sacræ illius reliquiæ è Collegio petantur Medicus cuidam mortem denuntiauerat, cui appensæ sunt sacræ illius reliquiæ, statimque melius est ei factum. Semestris paruulus moribundus B. P. Xauerio commendatus reualuit. Frequenter totæ noctes apud ægrotos peruigilatæ. Qui à nostris sani abhorrebant, morte vicina eos accersiuerunt, nec tantum peccata illis detexerunt, sed etiam testamenta ab iisdem corrigi voluerunt. Vnus de Sodalibus parthenianis taleros eidem Sodalitati tradidit aureorum centum. Cætera quæ cum aliis ferè communia sunt, prætereo. Scholæ non minus hoc, quam superiori anno floruerunt, siue numerum siue industriam discipulorum spectes. Quatuor ad diuersas religiosorum familias se adiunxerunt. Pædia Danielis in scenam producta. Hoc anno ad III. Nonas Iulij, quod felix fau-

ſtumque ſit. Auſpiciis Sereniſſimi Maximiliani Archiducis Auſtrię, primus lapis eſt poſitus nouarum ſcholarum, tot annis antecedentibus deſideratarũ, iamque fundamenta integrè conſtituta viſuntur. Is Princeps Noſtri amantiſſimus, perſæpe in choro templi noſtri ſolus vacat precationibus. Diebus ſolennioribus templum noſtrum Muſicis ſuis exornat. Domui pauperum ſtudioſorum relicti fuerunt teſtamento nongenti aurei, quos tandem hoc anno eius benignitas reddi iuſſit.

MISSIONES.

IN Stubach etiam euocati ſumus, quo ſuppecias ferremus Parocho, exceptæ confeſſiones plurimæ, habitę conciones ſeptem: cumque in Pentecoſte rogatu eiuſdem Curionis rediret Noſter, duas conciones habiturus, confeſſi rurſus ſeptuaginta circiter, inuſitato exemplo in his locis. Concurſus ad concionem tantus ſemel factus eſt, vt è templo emigrandum foras, & ſuggeſtus extempore conſtruendus in campo fuerit. Dum è templo egreditur populus denſiſſimus, tanto æſtu irradiabat Sol, vt omnes ſibi metuerent; cum ecce dum pro more ſacrum prælegitur Euangelium, ſubita & vnica nubes, Sole contecto inumbrabat totum populum, nubeſque ſub finem concionis rurſus diſperſa euanuit. Succurrimus quoque alteri Parocho, qui de tota vita legitimam confeſſionem inſtituit apud Noſtrum. Tantus populi huius erga Noſtrum amor extitit, vt ex numero ſuo delegerint ceu Tribunum, qui nomine populi adferret Noſtro Superiori honorarium,

& ſupplicaret obnixè, vt liceret noſtri Patris operâ frui paucis menſibus, ſperare enim omnem ordinem (hoc verbo vtebatur Tribunus plebis) & plurimorum malorum emendationem. Quidam crebra phreneſi actus, ſemel interquieſcens aiebat, ſi illi Oenipontano ſacerdoti poſſem loqui, conſtantem ſanitatem ſperarem; itaque ducitur Oenipontum, vbi accepto Agno cereo conſecrato, quam ſperabat obtinuit ſanitatem.

MISSIO BRIXINENSIS (de cuius initio felici aliquid narratum proximis annalibus) quanto fuit longior, tanto vberiores fructus protulit, Duos è Noſtris ſacerdotibus occupatos illa habuit: alter quidem laborioſam dedit operã, tum priuatis conſultationibus de tota Diæceſi reformanda, tum conſcribendis rebus iis, quæ Synodum habendam concernerent, typiſque poſtmodum edenda eſſent. Sed iubemur ſiſtere gradum, & nihil horum efferre, quia ſecreto geſta ſunt. Illud dicere ſatis eſto, tã præclara fuiſſe noſtri Patris reſponſa, vt omnes in admirationem raperentur, Ipſe imprimis Reuerendiſſimus atque Illuſtriſſimus Præſul Societati redderetur addictiſſimus. Dum ſacerdos vnus hęc tractat, interea alter iuſſu eiuſdẽ Illuſtriſſimi Principis, per Quadrageſimã quot hebdomadis ternas conciones in templo ſummo habet, quibus ipſe Princeps diligenter intereſſe nunquam prętermiſit vt concurſum aliorum hominũ referre omittam. Confeſſionibus audiendis, quando ſe tradebant, vterque à ſumma luce in multam noctem detinebatur, ſequebatur eos quàquà irent turba pęnitentiũ. Poſt ſemeſtre ſpacium Brixinæ in ſumptum Maio ineunte domum reuertuntur, ſed auguſto dein exeunte, rurſus vocantur ad Synodum peragendam,

dimiſſa ſynodo dimittuntur noſtri onuſti gratis.

COLLEGIVM HALENSE.

IN templo noſtro Feſtis & Dominicis, per quadragintadialia etiam bis habita ad populum ſatis frequentem concio, non ſine fructu. Catechiſmo frequens iuuentus, & multi quoque adulti diligentem dederunt operam. Multis annis cælata grauia peccata, Noſtris detecta. Multis paſſuum millibus ad nos, confeſſionis obeundæ cauſa, multi venerunt. Sacerdotes tres generali exhomologeſi conſcientias emacularunt. Moribundorum multi adiuti. Noſocomium non ſolum ægrotantium & peregrinorum, ſed domeſticorum etiam bono, frequenter aditum. In ciuitate paſſim, & ſuburbanis viciniſque locis, in ægrotantium confeſſionibus audiendis, reconciliandis diſſidentibus, ægris ſubleuandis, aliiſque id genus officiis, opera aſſiduè poſita. Cerei Agni, Imagines ſacræ, pluribus admodum flagitantibus vtiliter diſtributæ. Paralytici, per octo fermè annos ab omnibus deſtituti, confeſſio excepta, de cuius extrema egeſtate cum pro concione Pater dixiſſet, plurimorum animi ad eum liberaliter alendum excitati ſunt. In caſibus conſcientiæ & alijs Chriſtiani hominis officiis, è ciuitate lociſque vicinis non raro venerunt, qui noſtra conſilia & ſententias exquirerent. Superſtitioſæ chartæ, & artes magicæ illis etiam, qui vitam prius eripi ſibi paſſuros affirmabant, ereptæ. Antè ſtudiorum inſtaurationem Ioſepho vendito plauſus datus. Cætus Parthenianus

thenianus conuenit tempore Bacchanaliũ, certaſque preces pro talibus diebus in omnem licentiam effundentibus perſoluit. Præclari Sodalium ad virtutem conatus ſeſe multis exercitationibus patefecerunt, vt frequentibus ieiunijs, vſurpatione crebrà ſacramentorũ, voluntaria corporis afflictatione, eleemoſynis, precationibus & id genus aliis. Toto fere anni tempore, cum ad alias rurales Eccleſias Parochis petentibus, tum potiſſimum ad varia Paræciæ Colſenſis, quæ itinere duarum horarum Hala abeſt, loca Noſter excurrit, præſertim in montẽ wernenſem; quem hactenus ſylueſtrem, rerumque ad animę ſalutem pertinentium rudem, noſtri anno elapſo primùm ſcandere, atque excolere cœperunt, nunquam antehac viſi ibi. In monte hoc ſitum eſt templum Apoſtolorum Principi dedicatum, quod ante mille & amplius annos, non abſque miraculo ædificatum fertur, & vltra ſexcentos numerat communicantes: qui ædes incolunt per montes præaltos diſperſas, & longe à ſe inuicem, longius à templo vna & duabus horis diſiunctas. Homines ſunt robuſti, proceri & longæui, faciles flecti ad pietatem, rerum ſpiritualium capaces, amantes & tenaces. Tantuſque ipſorum eſt in Religione Chriſtiana ardor, tanta rei diuinæ integrè audiendæ fames, vt nec itineris longitudine ac difficultate, nec cæli inclementia, nec hyemis aſperitate impedire ſe patiantur; quin Dominicis ac feſtis diebus (quod iucundum ſane viſu eſt) vndique ex montibus, inſtar multorum riuorum ad dictum templum, velut ad S. Petri piſcinam certatim & ieiuni confluunt; vbi concioni & miſſæ ſacrę cum ſumma modeſtia, quiete, attentione & reuerentia interſunt, nec prius quiſ-

quam recedit, donec in extrema missa, sacerdotis benedictionem cum aqua lustrali accipiant. Vt verò hyeme in tempore ad templum perueniant, ante auroram ex cauernis atque eremis suis egrediuntur, viam mostrante ardente pinu, quam manu gestant; & ne quod vitæ periculũ incurrant propter vias præcipites, glacieque lubricas, quas nunc ascendere, nunc descendere, coguntur; pedes muniunt soleis è ferro acutis: muniti non parum natura & assuetudine, montes citra detrimentum damarum more percurrunt. Huius porro diuini ardoris incendium in Eremitis illis, secundum Deũ, in feriis Natalitiis anni proximi elapsi excitare cœpit Noster; qui quo zelo animarum arderet, & qua valeret industria, ex fructu mox subsecuto ac continuato haud obscurè probauit. Etenim nocte sacra Saluatori nato, primus è Societate montanos illos in dicta æde Sancti Petri salutauit, cantato matutino & Missæ officio; mane, prima diuini verbi prædicatione, exhortabatur eosdem ad sacram peccatorum exhomologesin faciendam, panemque Angelicum sumendum. Hic piorum conatum antiquus hostis sibi à Patre timere, futurum lucrum animarum ei inuidere, ac proinde omnem mouere lapidem, ne iactum diuinum semen fructum ferat. Primarii enim ex auditoribus mittunt, qui Nostro significet, non improbare se vsum sacræ confessionis solemnioribus festis, neminem tamen fore, qui nunc confiteatur, cum apud ipsos nec vsu receptum, nec auditum vnquam fuerit, crebrius quot annis, quam tempore Paschali, animi maculas ad pedes sacerdotis eluere, cælesti ferculo refici. Aliis præterea modis sese excusarunt vt poterant, Patri interim gratiis actis, pro animo illis

illis gratificandi parato. Monebant eundem dignaretur adesse ad Pascha, se tum promptissimè illi suas conscientias credituros. Sed Noster nequaquam his cedendum, animumque abiiciendum ratus, pro concione singulis illis festis Natalitiis, denuo vrget confessionem, opportunè importunè excusationes allatas refellit, vtilitatem, necessitatem, & modum denique confitendi explicat; neque se sine consolatione & fructu abiturum clamat, spondet se accessurum illos, ac inuisurum in suis ipsorum speluncis, quantumuis procul distantibus, si molestiam frigoris & itineris omnino lucrifacere statuissent, tempus proinde ipsos conueniedi & confessiones excipiendi nominat, vt maiorem promissis suis fidem faciat. Quare constituto die fidem suam liberat, difficiles vias spe predæ conficit, & tanquam sagax canis venaticus vltro citroque discurrens, feras illas montanas solerter indagat, & ad extremos montis illius incolas penetrat. Peruicit igitur, Deo annuente, quærentis improbitas, dicam an amor? qui otiari nescit, atque expugnauit obstinatos animos, vt cum stupore, gaudio, & singulari grati animi significatione ad Patrem accurrentes, confestim reciperent se eius petitioni, in loco ab ipso ad id deputato, qui erat domus Æditui, ob frigoris asperitatem satisfacturos; quod proximo post Christi Natalem Dominico die egregie præstiterunt, primũ duo de nonaginta, ex quibus complures erant prouectioris ętatis, viri ac feminæ & senex nonagenarius, qui omnes montanos suos ætate vincebat: deinde in die Epiphanorum alii CXVII. & aliis ante solemnioris Ieiunii ferias diebus alij CX. in pago Colsensi, qui omnes contra morẽ superiorum annorũ, quibus

bus ne vnus quidem huiusmodi aliquid præstitit, cum ingenti animorũ sensu, tranquillitate ac solatio,& plerisque totius vitę perperā gesta,& diutissimè interdum cælata, aut post diuturnam salutaris confessionis intermissionem, candide sacerdoti nostro detexerunt. Toto autem Paschali tempore, octingentas confessiones in tota Parochia Noster excepit, & a Pentecoste ad octauam vsque corporis Christi Domini, vltra sexaginta. Itaque confessiones toto anno in vna Parochia Colsensi exceptæ, quas omnes subsecuta fuit sacræ Eucharistiæ perceptio, numerantur mille centum septuaginta quinque. Multis etiam confessio, animæ & coporis salutem attulisse videtur.

COLLEGIVM LVCERNENSE.

PRÆTER Conciones in Paręcia, tum in æde nostra habitas, diebus pænitentiæ destinatis quotidie post Psalmum quinquagesimum,ad conueniétes habita exhortatio,qua occasione particulę aliquot Euangelij prius lecti, ad meditandũ proponebantur. Concionalibus per annum diebus, sępè Nostri & Franciscanorum, & Parochi vice de rebus diuinis ad populum dixerunt, non sine emolumento. Ad Virgines item sacras, sæpius exhortationes habitæ tribus locis. In templo nostro cælestem panem toto anno acceperunt supra quindecim millia, octingenti, triginta sex: Confitentium tanta fuit multitudo, vt eorum numerus amplius iniri non possit. Ad ducentos totius vitæ noxas expiarunt; plures multorum annorum magna

gna dolentis animi significatione & lachrymis. Quidam peccatum aliquamdiu aperire non sustinebat, sed illius expiandi causa Diuæ Virgini singulis Sabbati diebus, dum viueret, rosarium recitandum promittebat; ne periret, per misericordiæ Matrem per quietem, clarè vt confiteretur est admonitus, qui plurium horarum itinere suscepto, ad Collegium veniens, miseriæ remedium inuenit. Mulier quędam eam solùm ob causam dæmonem infestũ habebat, quod sępius confiteretur, & Nostris; terribili facie palam apparens, nunc restim, nunc cultrum, quo se e medio tolleret, ostendebat. Summis tamen semper in angustiis, inuocatum Dei Matris nomen saluti fuit; & quo callidus hostis eam magis oppugnabat, hoc ipsa conscientiæ labes sæpius abstergebat; ita demum incenso pænitentiæ studio hostem penitus fugauit. Confessionis beneficio, vndecim famosæ mulieres ad honestatem euocatæ. Matrona Nobilis à quatuor auctoritate & opibus conspicuis, importune literis & munusculis, ad Coniugium solicitabatur, nuptias constanter repudiauit. Sex feminæ religiosæ, vt sanctius Deo famularentur, ad meliorem votorum obseruationem instructæ, quod & ipsæ expetierunt, & grato animo acceperunt. Personæ quatuor, ne periculose simul habitarent, disiunctæ. Earũ duę, legitimo Matrimonio pudicitię suę consuluerunt. Iurandi consuetudo quibusdam dissuasa. Libri malę notę erepti, & flammis exusti. Persuasum multis vt iniuste parta redderent; & quatuor quidem vt florenos ducentos, vni sexaginta. Quorundam ędes nocturnis terriculamentis liberatę. Septẽ & quinquaginta ab hæresi reuocati, ex his vnus verbi minister. In carcerem & Xenodochium

chium

chium collatus vtiliter labor. Sępius ęgroti visitati, eorum confessiones auditæ. Qui ad vltimum ducebantur supplicium adiuti, præsertim tres veneficæ, quæ antequam in rogum inijcerentur, vniuersas vitæ maculas confessione deleuerunt. Nonnullorum labes morbus detexit, quas diu malè sanitas occuluerat. Plurium humanitatem experti sumus: in his cuiusdam Viri Nobilis, qui centum florenos, quos ei debebamus, liberaliter donauit. Præter plurima item esculenta, quingenti aurei Collegio oblati. A quadam vidua centum. A Magistratu, nouo conficiendo hypocausto, centum & triginta, & vini dolium florenorũ octoginta. Templum triplici sacerdotis vestitu ornatum: Omnium pretium ad centum octoginta quatuor florenos ascendit. In scholis frequens Nobilitas. Gymnasium crebris declamationibus & carminibus ad parietes affixis decoratum. Reuerendissimus Episcopus Constantiensis suam Diœcesin lustrans, cùm huc venisset, in area Collegij nostri, musico concentu, oratiuncula & dialogo exceptus est à Scholasticis. Sæpius in templo nostro sacra fecit, & magnam puerorum, adultorumque multitudinem sacro Chrismate confirmauit. Magistratus eidem, & Catholicorum Cantonum legatis epulum dedit, nos parietes græco & latino carmine exornauimus. Partheniorum Sodalium pietatem & bona opera, quia cum aliis communia sunt, prætermitto. Feriis Nataliciis datus ab iisdem Bernardus, quemadmodum ei puero Christus nascens visus fuerit, rem diuinã in templo operienti. Excursum in vicinos pagos & oppida, fructu non exiguo. Nec facile est inire pagorum numerũ; vbique plebs modo pro suggestu, modo de plano edocta, quę scire

re hominis Christiani intereſt. In pago quodã cum per annum ſæpè, tum abſente Curione per duos menſes, opera Noſtri præclare conſtitit; omnia enim Parochi munera ab inſtituto noſtro non aliena obiuit. Vna concione tantum effectũ, vt ad ſolemnia Pentecoſtes bona pars loci illius ad ſacram Synaxin acceſſerit, cùm antea ne vnus quidem id faceret. Ad duo præterea Monaſteria, bis concionum cauſa euocati ſumus. In Eremum ad ſolemnem illam, & certis tantum annis celebrandam Angelorum dedicationem, Religioſis illius loci petentibus, duo miſſi fuerunt; & vtiliter laboratum, tanta occupatione, vt vix tempus horis dicendis, & corpori reficiendo per multos dies relinqueretur, & parum per noctem quieſcere liceret. Vnus mille & eo amplius, magnam etiam partem generales confeſſiones excepit.

COLLEGIVM FRIBVRGENSE.

PRÆTORVM & Senatus tanta eſt erga nos beneuolentia & munificentia, vt nihil P. Rector ſiue in ſcholarum, ſiue in Collegij vſum petat, quod non impetret. Statæ quatuor in locis per vrbem toto anno habitæ conciones, ad ſcholaſticos vna, reliquæ ad ciues. Germanica à duobus, ab vno gallica. Quidam ciuis implacabili à filio diſſidebat odio, vt eum neutiquam in conſpectum admitteret, & exheredare omnino vellet. Hoc incendium multi extinguere ſæpè conati ſunt. Audiuit tandem concionem vnius de noſtris de mutua reconciliatione animorum, qua victus manus dedit.

dedit. Honesta quædam Matrona eousque superbiæ odio processit, vt filiæ, quæ insano studio se pectendi, comendique multum crebrà temporis absumebat, nec à matre increpita resipiscebat; imprudenti, & nihilo minus expectanti, capillum abstulerit, atque ad nostrum Patrem attulerit, vt vesti cuipiam, qua in actionibus dæmones vtuntur, assueretur. Catechesis tum Germanicè tum Gallicè tradita processit. Triginta cum Ecclesia in gratiam redierunt. Confessiones de tota vita auditæ quinquaginta. Malè parta pecunia ad suos dominos rediit. Commercia iniqua Nostrorum monitu discissa. Quidam nullis peregrinationibus, ieiunijs, in pauperes benignitate, precibus, satis se à conscientiæ stimulis, quibus propter designatum flagitium vrgebatur, expedire poterat, donec ad Nostri cuiusdam pedes prouolutus, id confessione detexit. Omitto alios simili ratione ab ingentibus animi molestiis liberatos. Multis fæminis data solatia, quibus domi erant mariti tam difficiles, vt nonnunquã, vel resti, vel auffugio, vel his confini aliquo malo, sibi medicinam parare cogitarent. Duæ Virgines Christo castitatem suam dicauerunt. Quidã ab impudica fęmina vehementer solicitatus & inflammatus, vrticis ad sanguinis vsque effusionem adhibitis, æstum æstu pepulit. Complures ciliciis frequentibus carnem suam edomuerunt. Quædam tota hebdomade in corpus suum diuerberationibus sæuiit, ne ab adultero circumueniretur. Ægrotos Nostri diu noctuque visitarunt. Inter multos diffidentes pax composita. Ritus superstitiosi aboliti. Grueriam oppidum agri Friburgensis excursum est. Compluribus diebus binæ conciones habitæ. Ab vno sacerdote nostro

ſtro breui tempore quingentæ confeſſiones exce-ptæ. Templo noſtro oblatus calix magnitudine & artificio præclarus, vela calicum complura, & ſimilia ornamenta ad diuinum cultum pertinentia. Sodalitas B. Virginis ciuium numero aucta eſt. Reperti qui ſingulis hebdomadis totius quadrageſimę pane & aqua duntaxat corpus ſuſtentarunt. Quod ad Scholas attinet, ſolemnibus diebus ad parietem affixa magna carminum vis, græcorum latinorumque. Nataliciis feriis paſtoritium Drama, Epiſcopo noſtro ſpectante datum. Legati Principum Collegium noſtrum luſtrarunt, è quibus Galliæ Regis in aula Gymnaſij à diſcipulis eſt ſalutatus. Sub caniculares, orationes habitæ controuerſæ, expediretne vacationem dare ſtudioſis literarum. In ſtudiorum inſtaurationem Philoſtorgia ſpectata. Scenam aperuit Lycurgus, qui productis in medium duobus catulis, altero ad paſtum, altero ad venationem educato, docuit ciues, quantum momenti ſit in recta liberorum educatione. Aliquot diſcipuli ad ordinem Sancti Bernardi ſe aggregarunt, alij Sacerdotium inierunt. Quæ de Sodalitate B. Virginis dici poſſunt, cum aliis fere communia ſunt.

COLLEGIVM RATISPONENSE.

IN æde primaria toto anno conciones habitæ. Toto comitiorum tempore, non ita magna in conuiuijs & compotationibus intemperantia animaduerſa eſt, idque Noſtrorum concionibus eſt tributũ. Confeſſiones quidam ſumma contritione

&

& lachrymis obierũt. Festis diebus pueritię doctrina Christiana explicata. Tota Quadragesima Psalmus quinquagesimus musicè decantatus, in legatorũ Imperialium magno numero & frequentia, qui ad finem verni ieiunij plerique omnes Nostris sunt confessi. Die Parasceues ducta supplicatio à Christi Cenotaphia tota vrbe erecta; prætereunte crucis trophęum iam tertio R. Domino Pręposito Societati amicissimo, stipãtibus eius latera duobus sacerdotibus, & Angelis passionis insignia portantibus. Quo spectaculo commotus Adolescens Nobilis, qui cum lacte nutricis hæresim imbiberat, ad Nostros accessit, instrui petiuit, peccata totius vitę deposuit, & ad Catholicorum numerũ est adscriptus. Aliâs LVII. ab hæresi absoluti, inter quos, qui octenniũ, iterato Baptismo, inter Anabaptistas versatus fuerat Hæreticus cum blasphemam linguam in Sanctos exercuisset, cultum illorum idololatricum vociferatus, à dæmone extra lectum raptus & asportatus, humiq; afflictus, didicit de cætero non blasphemare; qui Nostro peccata sua se aperuisse iam lætatur. Centum quinquaginta vniuersæ vitæ maculas exhomologesi absterserunt; atque multis annis cælata detexerunt. Alij quidam confessi requiescere non potuerunt, donec eadem apud Nostros confitendo iterarent. Confessionum causa multi multorum milliarium iter ad nos susceperunt. Inter coniuges pax composita. Iterum iniustè possessorum restitutiones promissæ. Extincta odia grauia & diuturna, ob quæ etiam Sacramentorum vsurpatio intermissa fuerat. Afflictis pręsenti & salutari consilio subuentum. Filia ciuis Ratisponensis in puteum lapsa vnde aquam educebat in ipso casu S. Bennonis opem inuocauit, & salua,

ſalua, capite tantummodo modicè læſo, extracta eſt. Alia cùm ſe in Danubio cogitaret ſubmergere, à Noſtris ab ea amentia deducta, ipſa deinde Marito quoque confeſſionem perſuaſit. Transfugam Monachum, qui nullam partem quietis captabat, pallio donatum, & cibo refectum, ad Monaſterium ſuum remiſimus. Graſſante per æſtatem lue Hungarica, plurimis diu noctuque allatum ſpirituale auxilium. Multis item ægris & pauperibus de victu, quantum licuit, prouiſum. Exercitiis ſpiritualibus exculti religioſi ſex. Item Canonicus Paſſauienſis Iuris Doctor, & alius ſacerdos Theologiæ licentiatus. Communicantium numerus in templo noſtro admodum creuit, fuerunt enim millia ſeptem & amplius. Sodales cilicijs, verberationibus, humicubationibus, ieiuniis, aliiſque aſperitatibus, corpora ſua plurimum & ſæpe afflixerunt; quæ ſi ſingula narrem, nimis longus ſim. Multis ad peccata confitenda fuerunt auctores, rixas ſedarunt, quicquid ſibi potuerunt detrahere, id in pauperes aliqui erogarunt. Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus Philippus Spinellius, Nuncius Apoſtolicus, templum noſtrum frequentauit, ſæpe in eo ſacris operatus eſt, & idem XXX. nummos aureos donauit, Collegio epulum dedit, & ſummam erga nos beneuolentiam amoremque oſtendit. Dona quædam aliorum Patronorum ſilebo. Nobilis & Magnificus Dominus Annibal, Conſiliarius Imperatoris, Altare ſancti Sebaſtiani in templo noſtro ducentis aureis extruxit. Idem nuper Sacerdotis ornatum pretioſum miſit.

MISSIO AD SYLVAM INFERIORIS BAVARIÆ.

INEVNTE vere, de Societate nostra Pater vnus cum Fratre Coadiutore, & Sacerdote externo missus, istos fructus retulit. Confitentes plures millenis audiuit, quorum plurimi totius vitæ piacula expiarunt. Hæresis nexibus expediuit homines vndecim, inter quos adolescens à Zwinglij secta conuersus, non solum Ecclesiam sed etiam Cænobium est ingressus. Dominicis festisque diebus, concionatus antè prandium, pomeridianas etiam Catechismi lectiones instituit. Cuidam destinatam iam animo necem idem Pater dissuasit. Inusitato hactenus Syluaticis spectaculo, publica sui per plateas diuerberatio, vno in loco est introducta, supremo Quadragesimæ tempore. Mulier quædam scelerum conscientia nocturnis diuexabatur spectris, cui prius Noster confessæ, in sacrata cera Agnum dedit, quo liberata est. Quædam sacrilegè confessa, nulla animi fruebatur requie, vsque dum integrè confiteretur. Inter quosdam odium cum pace commutatum. Vir ab vxoris cæde absterritus: libri hæretici erepti & exusti sunt. Monasterij cuiusdam Abbas ad hoc fuit inductus, vt suos religiosos huc miserit, spiritualibus exercitationibus erudiendos. Ad perpetuos carceres damnati peccatis sunt expiati, sacro epulo refecti, & liberali stipe aliunde emendicata adiuti.

COLLE-

COLLEGIVM BRVNTRVTANVM.

Conciones in vrbe Dominicis diebus ternæ habitę, festis binę, ex ęquo Germanicę & Gallicę. Duo religiosi sacris commentationibus exculti. Virgo vigesimum agens annum, parentibus nata Catholicis, nescio quo pacto à paruula inter Hæreticos Basileæ viuere cæperat. Hoc anno, vt occultis morbis leuaretur, Bruntrutum concessit. Quibus ingrauescentibus & corpusculum debilitantibus, sanitas animi cœpit initium, singulari Dei beneficio: Nostrum accersit, significat se fide Catholica imbui, & in eadem mori vehementer optare: fidem suscepit, animum expiauit, & die septimo, omnibus munita sacramentis, placidè in Domino obdormiuit. Ægrotis, quotiescunq; tulit occasio, nauata opera: multo autem magis animo ægroti apud nos salutaria medicamenta inuenerunt. Cum numerus communicantium in Christi Natalibus, superioribus annis vix ad octogesimum peruenerit, hoc anno millesimum superauit. Festiuam Sanctorum omnium lætitiam, quinquageni supra septingentos celebriorem effecerunt, qui in sacello nostro cælestibus epulis accubuerunt. Reuerendissimi animus erga nos idem, qui sæpè. Quamuis nec templum nec Collegium adhuc perfecerit, Scholas tamen ædificare cæpit, quæ superarunt frequentia superiores annos. Circiter quadringentos numeramus. Inter eos è Germanica Nobilitate octoginta. In Paschate duorum discipulorum in Emmaus euntiũ exhibita historia. Cœtus Parthe-

nius non modo dignitatem suam retinuit, sed etiam amplificauit. Ad affectum in Dei Matrem, Zelum in proximum iuuandum, multum addidit. Catechesis celebrata est in templo Parochiali. Ex Magistris quaterni, quoad licuit, festis ac Dominicis diebus in varios pagos excurrerunt. Constitit operæ fructus. Ad D. Virginis Natalem missus è Nostris vnus in Burgundiæ pagum quendam, nonaginta homines confessione perpurgauit. Excursum etiam Delmontum vicinum oppidum, vbi preces quadraginta horarum institutæ, magno cum fructu. Ibidem iustitura solemnis supplicatio, Corpus Christi gestante ipso Reuerendissimo Basileensi, quem trecenti milites stipabant. Ad forum medium vbi ventum est, habitus breuis Dialogus. Itum non semel in montem liberum quem vocant, vbi abusus è medio sublati insolentiæ plenissimi, & ab auita religione remoti. In missione Insulana, quæ dies quindecim tenuit, auditæ conciones auide, enucleata duo Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta. Intellectum ab omnibus, quantum in hoc genere pudor inanis incommodet, & in quàm graue salutis æternæ discrimen bene multos conijciat. Duo Parochi dissidentes reconciliati. Populus à Parocho alienus, institutus, qui ante Nostri Patris aduentum suas partes eiusdem arbitrio permittere videbatur; atque vbi ex Nostro Parochum optimis niti rationibus, & omnino æqua postulare intellexit, ab intentanda lite est deterritus. Parochus animi angores & conscientiæ tricas exposuit, & diuino munere expeditus est. Canonicus regularis Diui Augustini à Superiore suo enixè petierat, Patri nostro vt conscientiam permittere liceret, respon-

sum

ſum durum primo tulit, neque tamen deſtitit: tandem, quod petierat obtinuit, quæſitam conſcientiæ pacem, & animi tranquillitatem confeſſione peccatorum inuenit. Vir Nobilis ſubditi minis audacioribus grauiter offenſus, eo adductus eſt, vt amore Chriſti liberaliter omnia condonaret. Idem ipſe cum vxore & familia, Patre Noſtro vſus eſt confeſſario, neque recte habitura putauit domus atque liberorum negotia multa, niſi eundem in conſilium adhiberet.

DOMVS OETINGENSIS.

CONCIO duplex, feſtis & Dominicis diebus, habita in templis Oetingæ nouę & veteris. Catechiſmus quatuor in locis traditus non mediocri bono. Viſitarunt Beatam Virginem, præter Bauaros & Sueuos, Auſtriaci, Stiri, Carinthij, Boëmi, Alſatij, Heluetij, Hungarici, Itali, vnde hominum duodecim millia & viginti noxis ſoluti ſunt, hæreſi XXIII, erratis totius vitæ. MCXXXIV. Confeſſiones ab annis viginti, quadraginta, quinquaginta repetitæ. Quidam longis ad nos itineribus ſuſceptis, confeſſionem peregerunt, diuinitus ad id ſe impulſos affirmantes. A ſuperſtitionibus, incantationibus, auguriis, complures liberati. Itum ſæpe in Leprodochium, viſitati ægroti in ciuitate, in arcibus, in pagis, diu noctuque, & peruigilatum apud nonnullos. Carcere incluſi non ſemel adiuti domi foriſque, damnatorum auctorum libri combuſti. Cum Parochis quibuſdam actum de feminis dimittendis, vndecim deſeruerunt. Femi-

nę aliquot lasciuioris vitæ ad honestatem reductæ. Virgo quædam impudicum altissimo clamore à se abegit. Odiorum radices, quæ partim apertè, partim occultè serpebant, cũ fibris euulsæ. A meditatis sceleribus, & præcipuè à morte sibi consciscenda, deterriti nonnulli, ex his quædam mulieres, quibus maritos, veneno è medio tollere, deliberatum erat. Rustici filius quatuor annorum, in vndis partem integram vnius horæ submersus iacuit, quem Pater, Oetingana Patrona inuocata, viuum extraxit. Ad Sepulchrum Domini hebdomade sancta non pauci se diuerberarunt, spectaculo in his locis insolito. Quædam mulier in brachio dextero grauiter cruciabatur, quem cruciatum Pater noster, admota particula de sacra veste Beati Patris Nostri Ignatij, depulit. Inuasit idem cruciatus postea pedem dexterum, sed eodem modo depulsus est, cum summa admiratione astantium. Subuentum afflicto iam laqueum collo inferenti. Quidam vir Nobilissimus peregrè domum rediens, adeo vxorem adulterii suspectam habebat, vt pugnis benè contusam, stricto gladio etiam aggressus sit. Mulier, misso equo, Confessarium suum de Nostris euocauit celerrimè, cui conscientiam suam aperuit. Eiusdem Patris hortatione & monitu, ille cum coniuge in gratiam rediit. Exhortationes in Arce ad generosas personas habitæ complures. In tribus aliis confessiones ad Natalitia auditę. In vna harum locus, olim Deo deputatus, opera Patris nostri purgatus est, sacrumque ibi lectum, singulari Generosi Domini lætitia. Excursum in Bauarię Monasteria, quibus ante hac, nulla ferè cum Nostris familiaritas & consuetudo. Abbas vnus octiduanis meditationibus excultus: Is domum rediens

ens consuetudines vitiosas abrogauit, ad regulam strictius seruandam, suos non paucis adhortationibus admonuit. Conuentus sui primario cuidam exercitia persuasit, qui totius vitæ errata cum lachrymis detexit, mores ita emendauit, vt confratres nouum se planè hominem recepisse dixerint. Alius Abbas Nostris, hoc anno, aditum ad Cathedram permisit, transeuntesque illac omni beneuolentia tractauit. Rogatu Magistratus cuiusdam oppidi, Pater vnus sub finem Quadragesimæ, spacio tredecim dierum decies ad populum verba fecit. Sexcentas confessiones excepit, doctrinam Christianam tradidit, infirmos visitauit, ad Nobiles vicinos cum fructu excurrit.

MISSIO HAGENSIS.

DOMINIVM est amplum in superiori Austria, dictum Starenberg, antè aliquot annos Serenissimo Archiduci Mathiæ ab Imperatore assignatum: Quod ab initio Hæresis, venenum Lutheranæ perfidiæ hausit. Eiectis ergo ab Imperatore superioribus annis falsis doctoribus, sacerdos etiam in Oppido Hag constitutus est, qui quinquennio integro, ne vnum quidem ad Ecclesiam Catholicam, vnde turpiter desciuerant, reducere potuit. Commotus hac tanta subditorum suorum pertinacia Serenissimus Archidux, negotium dat Præfecto suo Catholico, Patrem vnum è Societate à superioribus impetret, cuius opera in rebus fidei per Quadragesimam instrui possint. Id quod Pater duabus concionibus, quot Dominicis & fe-

ſtis, ferialibus autem vnica, præſtitit pro virili, proponens ſemper, quæ inter nos & illos ſunt controuerſa, ea modeſtia & ſuauitate, vt à concionibus & familiari colloquio nunquã abſtinuerint Lutheri aſſeclæ. Veritatem doceri à Patre palam profeſſi ſunt; quo minus eidem aſſentiantur, conſcientiæ libertate ſe prohiberi. Eiecerunt tandem peſtem quatuor ſupra viginti. Ex his duo ſeptuageſimum annum ſuperarunt, & ciuis primarius iudicis officio cohoneſtatus. Alij Oetingæ ſe Eccleſiæ nomen daturos ſpoponderunt. Comparuere poſtea omnino quatuor. Vnus de ſuo ad Eccleſiam reditu Pſeudoparochum edocuit, qui hominem ſupra modum in cœpto confirmauit, addens: vtinam & mihi vel vnica hora, cum Ieſuita illo, de religione conferendi permitteretur, quàm expeditus ad illos tranſirem. Alium à confeſſione domum redeuntem, vxor & proles copioſa circumſtant, probra omnia & conuicia in illum coniiciunt, eoque deducunt, vt ſequenti die à Synaxi abſtinuerit. Hoc aduertens Pater, Virum ad ſe euocat, inconſtantiam obiicit; cui ille; Ceſſi Domine precibus meorum, ſed iam ita nouerit me firmum, vt omnes blandiciarum illecebræ, & machinæ minarum ad me dimouendum adhibendæ, non impedimentum mihi ſint futuræ, ſed experimentum Catholicę religionis. Iuuentutem hæreticam Pater, modum formandi crucem edocuit, orationem dominicam, ſalutationem Angelicam, vſum imaginum & Roſarij, quod, inuitis etiam parentibus, geſtare conſueuerunt. Valetudinarium frequenter viſitatum non ſine fructu; quatuor enim ex illis Eccleſiæ nomen dederunt. Capitali inter ſe odio diſſidentes, duo Nobiles coniuges reconciliati;

conciliati; & quidem non prius, quàm Pater se ad pedes alterius coniugis abiecisset. Quod factum obstupescens mulier, & ipsa pedibus mariti prouoluitur, errati veniam cum lachrymis petens.

MISSIO EGGENFELDENSIS.

REVERENDISSIMVS & Illustrissimus Episcopus Ratisponensis Chrismatis Sacramento in Eggenfelden, oppido amœno & populoso, oues suas inuncturus, Patrem vnum præmisit ex hac domo, qui aliquot concionibus & doctrina Christiana illos instrueret: Cui ante Reuerendissimi Episcopi aduentum, duo alij Patres in subsidium venere, impares nihilominus tantæ multitudini satisfaciendi, quibus vix viginti Sacerdotes satisfecissent. Conciones Pater vnus spacio quatridui habuit quaternas, de Sacramento Chrismatis illis diebus quotidie ternas; peccata apud Patres deposuerunt mille sexcenti & sedecim. Ad auitam fidem reuocati duo. Sacræ Synaxis participes se fecere bis mille, trecenti, vnus & quadraginta. Ipse Reuerendissimus Episcopus sacro Chrismate confirmauit hominum sex millia, nongentos & quinque; ex illis quam plurimos, qui septuagesimum & octogesimum annum superarunt, non paucos qui centesimum. Ære Illustrissimi Principis plurimi libri, imagines, Rosaria in Oppido cum fructu distributa.

DOMVS LAND-SPERGENSIS.

SCHOLÆ Catechiſmi habitæ in vrbe ſtatis locis, è quibus etiam adulti profecerunt. Scholæ Landſpergenſes, quarum inſpectio pænes nos eſt, hoc anno luſtratæ & reformatæ. Conciones binæ habitæ, vna tempore aduentus,& in quadrageſima inſolita hominum frequentia, altera per totum annum in maximo templo,ſuum curſum cum fructu tenuit. Perfugæ octo ad Eccleſiam reducti, ex quibus vir quidam præter fidem, etiam pietatem complexus eſt: quotidiana enim munuſcula, quibus à muliere ad adulterium pelliciebatur, conſtanter repudiauit, additis etiam verberum minis ni finem faceret. Ciues Landſpergenſes, Religionis cauſa Monachium ad S. Bennonem profecti, ibique omnes (fuerunt amplius ſexcenti) per confeſſionem luſtrati, & cælesti epulo excepti ſunt Huic peregrinationi comites ſe adiunxerunt duo de noſtris Sacerdotibus, à quibus in itinere peregrinantium pietas trina concione foueretur. Quoſdam ciuium cupido inceſſit Sodalitatis B. Virginis inſtituendæ. Interim dum res extrahitur, ſingulis menſibus cæleſte epulum ineunt, alios ſibi adiungunt, alios ſalubria verbo & exemplo docent. Quædam de noſtrum templum frequentantibus, poſt maturam deliberationem, ſuum Deo Virginitatis florem voto dedicarunt. Aliæ Cœnobia Virginum cogitant. Aliis voluntaria cilicij vſurpatio frequens fuit; vnius Virginis Nobilis in his, ac præterea in flagellationibus crebris præcipua virtus fuit.

fuit. Auditi quoque qui in vinculis attinebantur, & ſupremo ſupplicio deſtinati, haud ſine fructu; vnius maximè graſſatoris, qui cuſtodiam in oratorium vertit, vitæ totius labes confeſſione apud Noſtrum deterſit, genus mortis non modo conſtanti animo pertulit, ſed mitius multo quàm mereretur exiſtimauit. In locum ſupplicij vt ventum eſt, ad circumſtantem multitudinem de ludis vitandis ſermonem habuit. Inter ipſa ſupplicia nomen IESV & MARIÆ ingeminauit. Ægrotis ac moribundis piè data opera. Quidam ab altero vulnus accepit in capite, tam graue vt aliena loqueretur, & plerique de vita actum rebantur. Munitur ſacro viatico. Noſter ignarus vulneris accepti, conuenit hominem ſolaturus. Inter alia hortatur, vt remittat iniurias, & tandem permouit. Superſtitioſa ablata, & loco illorum cereæ Agni imagines appenſæ. Ex finitimis quoque pagis aliquot, & aliis locis relatus fructus, ex concionibus, inquam, Catechiſmo & confeſſionibus auditis. In concionibus de nece Domini, duobus in locis publicè habitis horis fermè octonis, ſæpè ebrietatis mentio facta eſt, cui vitio non pauci ſubiacebant. Commode factum declarauit audientium attentio, gemitus, lachrymæ. Nobilis mulier, repente morbo tentata, ſacerdotem noſtrum acciuit, venit is ad arcem intempeſta nocte, & altera primum luce, meliuſculè habentis confeſſionem audiuit. Iter habuit vnus ex ſacerdotibus Noſtris ad aliquem locum animi cauſa, vbi ciuitatem quandam ingreſſus, ablata eſt illi omnis vlterius tendendi facultas; ſacerdotum enim, & aliorum viginti nouem confeſſiones enixè rogatus excepit. Illuſtri perſonæ præſcribebatur à medico propter valetu-

valetudinem eſus carnium temporibus vetitis, ſed antea nihil attigit, quàm confeſſarij approbatio acceſſerit. In monte ſancto confeſſiones auditæ tribus vicibus ſexcentæ. Redeo domum, & nouum optimi Parentis munus conſpicor: Sereniſſimus enim Gulielmus nuper apud nos dignatus prandere, cænare, pernoctare, ac demum centum florenos aſcribere nomine conſuetudinis, defuncta Sereniſſima Coniuge. Hoc tandem anno adiecta eſt pars illa ædificio domus Landſpergenſis, quæ diu in votis fuit; acceſſus ad templum commodior factus, & habitationes laxatæ. Sacrarium extructum supernè fornice, infernè pauimentó ex lateribus contuſis, & calce compacto: Supra Sacrarium erectum eſt nouum hypocauſtum à Tyronibus inhabitandum. Ad hanc fabricam Illuſtris Domina Comitiſſa quantum contulerit, ſuperiore anno perſcripſimus, hoc rurſus, Domui trecentos, templo nongentos. Auget præterea ſacrum inſtrumentum quotidie. Coronam donauit pro venerabili Sacramento, auro argento, gemmis, atque opere illuſtrem.

SEDES CONSTANTIENSIS.

PRÆTER ſtatam concionem in æde Cathedrali, variæ etiam aliis in locis, foris domique habitæ. Quadrageni ſupra tredecim millia de peccatis confeſſi, in quibus generatim tres & trecenti. Eccleſiæ reſtituti viginti duo. Femina quieta eſſe non potuit, donec Sacerdoti noſtro exhomologeſin faceret, quā annis ſexaginta diſtulerat.

Præ-

Prætor vrbis vir propè ſeptuaginta annos natus, totius vitæ commiſſa, mira animi ſui conſolatione aperuit. Virgines tres, à Virginitatis naufragio ſeruatæ. Duo ſe caſtitatis voto Domino conſecrarunt. Tres & peccatorum nexibus, & mania ſoluti. Meditationibus imbuti tres, quorum vnus primarij monaſterij profeſſus, alter iuris vtriuſque Doctor, tertius cuiuſdam Profeſſoris filius. Dominicum ſepulchrum, non minori cultu ac veneratione excitatum frequentatumque, quàm anno ſuperiore. Dialogus habitus ad id, & iteratus. Nec defuerunt, qui flagris in terga ſæuirent. In partu laborantes, ita vt non longe ab interitu abeſſent, B. P. N. Reliquiis adiutæ, enixæ ſunt. Bibliotheca multis & præclaris libris cumulata. Templum precioſis donariis locupletatum, inter quæ D. Hieronymi, & Magdalenæ effigies, cum eorundem reliquiis, quas Sereniſſimus Bauariæ Dux Gulielmus nobis miſit. Crebræ excurſiones ſuſceptæ felici euentu, ad vrbes, pagos, Nobilium & Illuſtrium virorum Arces, ad plura Virginum Cœnobia. Reuerendiſſimus Epiſcopus obiturus Diæceſim, vnum de Noſtris ſecum ducere voluit; qui hominum mentes ad pietatem concionibus excitaret, & Pœnitentiæ Sacramento expiaret. Sereniſſimi Archiducis Maximiliani voluntate, Reuerendiſſimus miſit ſuffraganeum ſuum, & vnâ de Noſtris vnum, in oppida Auſtriacæ ditioni ſubiecta, vt ea peſtiferis purgarent libris, quod factum egregiè. Miſſus quoque vnus de Noſtris Kiſlegium, vbi Iudæum capitis reum, & ad Baptiſmum, & ad necem præparauit.


MISSIO WEIN-GARTENSIS.

QVADRAGESIMÆ tempore missi è Nostris Weingartum Duo, quorum alter Dominicis & festis diebus ad Populum concionem, & ad Pueros catechismum habuit: Alter ternas per hebdomadam conciones in æde Parochiali, Dominicis autem diebus, Rauenspurgi Catechesin magna frequentia. Reducti ad veritatem quatuor, quos inter, ciuis Rauenspurgensis, qui quum fidem olim Nostris datam irritam fecisset, denuo præmissa generali confessione, fidei professionem facere coram testibus oportuit. In vtroque loco exceptæ confessiones plurimæ, complures generales. Quadraginta horarum comprecatio decreta in Dominicas quadragesimæ; mirum quanto pietatis sensu, hanc populus vniuersus obierit. Reddita suis Dominis pecunia centum quinque ac viginti florenorum. Habitæ casuum conferentiæ statis diebus, conuocatis vicinis sacerdotibus; constitit operæ fructus, eorum item ex numero tres spiritualibus exercitiis expoliti. Præterea visitata Nosocomia, & leprosoria, Exhortationes ibidem habitæ. Postremo, feria Christi patientis sexta supplicatio instituta est, qualis antea, hoc quidem in loco visa nunquam: in prima turma labarum fulgebat cum signo Christi in monte precantis; hoc excipiebant milites armati trullis ac facibus; illos Angeli suauiter concinentes, quorum vnus calicem ferebat; hos subsecutus Saluator, in monte Oliuarum sanguine ac sudore manans, expansis

iam

iam brachiis, iamque cancellatis ad modum crucis, piè admodum Patrem deprecans. Secuti alij cum facibus cerulcis saccis induti; postremum tenebat locum Magistratus cum funalibus. Secundum agmen præferebat labarum Christi flagellati, proximè ibant milites, & Angelus cum corona spinea, sequentibus aliis cum facibus in saccis rubeis. Saluator facie ac toto corpore liuidus, spineam gerebat coronam, ac purpureum indumentum, sceptrumque ligatis manibus secundum pectus. Pone sequebantur alij cum facibus in saccis rubeis. Vltimo loco Magistratus Monasterij. In tertio agmine visebatur labarum Christi crucem baiulantis, milites deinde portantes scalas, canistrum, clauos, funes, malleos, Angeli Dominicæ passionis instrumenta. Saluator armatis stipatus militibus, crucem baiulabat humeris, pone adiuuante Cyrenæo; Alij saccis nigris amicti faces gerebant, sub hos religiosi Patres modulantes. In quarto ac postremo, ab atratis præferebatur Imago crucifixi ingens, tribus hastilibus fulta, post Parochus incedebat cum sacerdotibus linteatis, Claudebat agmen Magistratus & Officiales Austriaci, Consules item ac Nobiles Rauenspurgenses cum facibus. Adfuit spectaculo magna tam Catholicorum, quàm Hæreticorum turba, illud frequenti gemitu, profusis lachrymis, ac demum singulari animorum motu approbantium. His ritè atque ordine peractis, datus Dialogus ad Cruciatus Domini repræsentandos accommodus.

PRO-



PROVINCIA
RHENANA.

CENSET Rhenana Prouincia sociorum capita tredecim supra quadringenta, in octodecim sedes distributa; è quibus Sacerdotes centum octoginta & vnus. Magistri quadraginta octo; septuaginta qui partim Societatis tyrocinia ponunt, partim Philosophiæ aut Theologię stadium decurrunt. Coadiutores centum quatuordecim. Collegia quatuordecim, Domus Probationis vna, Residentiæ tres, Missiones totidem. Coloniæ degunt triginta quatuor. Treueris in Collegio triginta; in Probationis Domo quinquaginta quinque. Moguntiæ quinquaginta septem. Herbipoli quadraginta quinque. Nouendecim Spiræ. Fuldæ triginta sex. Heiligenstadij quindecim. Molshemij vndetriginta. Ad Confluentes viginti. Paderbornæ septemdecim. Monasterii duodeuiginti. Hildesii duodecim. Totidem Embricę. Aquisgrani nouem. In Residentia Bonnensi tres. In Erfurdiana & Altenensi vtrobique totidem. In locum octo, qui in Beatorum, vt speramus, coloniam transcripti sunt; suffecti, & succenturiati triginta tres.

COLLE-

COLLEGIVM
COLONIENSE.

ORDIAR â funere. Neque enim ominoſum mortis nomen iis, quibus viuere Chriſtus, & mori lucrum. Euocatus eſt ê vitæ huius ſtatione Pater Alardus Franckenius, Coadiutor Spiritualis, annorum ſexaginta quinque, è Duciſ-ſilua nobili Brabantiæ Vrbe oriundus, vir ſimplex & rectus; qui ſiue annos exactos in Societate (nam ſtipendia quadraginta tria fecerat) ſiue morum candorem, vitæque innocentiam ſpectes, iam Cælo deberi videbatur. Fuit in pueris Catecheſi imbuendis, Confeſſionibus excipiendis, aliiſque id genus muniis Societatis, quoad per ætaté licuit, indefeſſus. Ceteri ſuis quiſque partibus functi impigrè; & conſtitit fructus operæ. Conciones habitę, tradita doctrina Chriſtiana variis locis, eo & concurſu Auditorum, & verò etiam fructu, vt nos laboris neutiquam pœniteat. Lacrymas grandioribus nonnunquam excuſſêre puſiones, & ſimul incuſſêre ruboré, dum capita Religionis noſtrę, ipſis hactenus incognita, tam reddunt promptè ê memoria. Promouent conatus noſtros homines pii, & ope, & opera ſua, qua in re viri ê Clero Primarii, & cui imperium in ceteros, præclarus ardor eluxit; qui, cum hominis importuni culpâ occluſus eſſet locus, quo innocuum illud agmen cogi ſolebat, ſecuri allatâ, coram populo, ſuis ipſe manibus vi aditum fecit. Ventitant identidem ad ſcholas has Catechiſticas etiam hæreticorum liberi, parentibus non inuitis, pellecti â ceteris; nonnunquam

& ad confessionem adducti suos secum rapuere parentes E variarum hęreseon lustris & gurgustiis, extracti septem supra viginti, quorum aliqui annos plures in errore vixerant, alii eum cum lacte suxerant. Fuit in his, qui vel è Francia vsque, vbi cum famosis Magistris Caluinianæ impietatis familiariter vixerat, eius rei gratiâ huc ad nos contendit; & nunc adultæ ætatis vir inter pueros rudimenta litteraturæ politioris ponit, vt possit aliquando os obturare rabulis istis. Possent his annumerari, qui aut nunquam, aut tribus, imo & vndecim annis Sacramenta Catholico ritu non obierant; quibus exempta omnis dubitatio de fide est, & in gratiam cum Deo repositi. Iudæa vt salutaribus aquis tingeretur, à Nobis instructa est. Alter item Mahometis de grege adolescens, quem anno superiore mysteriis nostrę Religionis imbuendum susceperamus, hoc anno Bonnę in album Christianorum adscriptus est, & modum Christianè viuendi â Patribus istic edoctus. Ad hęc lustrata Nosodochia, aditi Carceres, expiati qui commissa capite luituri erant: reconcinnata pax primores inter familias: æs malè partum, redditum: exculti spiritualibus commentationibus aliquot. In his Nobilis Saxo Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, ex hæreticis parentibus; qui pecuniam instructori oblatam repudiari, miratus est. Frequentatur templum nostrum ab aduenis iuxtà ac incolis. Viri Principes, si qui huc veniunt, id religiosè inuisunt; vt non ita pridem Illustris Comes Isenburgicus, qui Electoratu olim sponte se abdicauit, cum coniuge & liberis, factitauit; qui sibi pietatem, ac Religionem templi nostri admodum placuisse testati sunt. Festis solemnibus magnus confitentium & communican-

nicantium numerus,& maior, quam annis aliquot præteritis. Sub Domini Natalem diem terni deni Confeſſarij ſatisfacere omnibus non potuere, etſi noctem diei iungerent. Flagra, Cilicia, cæteraque id genus corporis cruciamenta, iam vulgaria ſunt: adduntur noua. Fuit matrona primaria, quæ catenulam vncis prominentibus aſperam, corpori domando circumdaret. Virgines aliquot in cœnobia ſe abdidere: aliæ voto nuncupato ſe CHRISTO addixere: vna vitæ potius, quàm caſtitatis periculum maluit ſubire. Voce cæleſti admonita eſt, quæ deſperationi proxima erat, quendam è noſtris adiret, cuius ſimul nomen, nunquam ſibi antea auditũ retulit; eum morbo illi medicinam facturum. Non vanam fuiſſe vocem, ſecundus rei euentus docuit. Sacerdos quondam noſter, poſt Canonicus, in morbum letalem inciderat. Aduocat Confeſſarium; ſed illico à ratione deſtitutus furere,& clamoribus implere omnia. Vbi venit vocatus Pater, velut detersâ nube mens rediit, ſalutat, diem illum & horam deteſtatur, qua exijſſet è Societate, etſi impetrata dimiſſione. Orare itaque & obſecrare per ſanguinem Chriſti, per merita B.P.N Ignatij ac Xauerij non deſtitit, filio prodigo poſtliminio redeunti aditus ne intercluderetur, & corpori exanimo locus inter noſtros concederetur. Prius iam iam morituro datum, negatum alterum. Virgo quæ nouem iam vicibus epilepſia ita graui correpta erat, vt expiratura putaretur; vbi B. P. Ignatij effigiem religioſè oſculata eſt, libera ab omni morbo die tertio templum adiit, grates actura DEO. Huic affine eſt alterum è Bonnenſi Reſidentia, quod eam ob rem hic ſubiungere viſum. Femina graui partus

dolore tertium iam diem cruciabatur, vt tantùm non ad desperationem adigeretur; simulatque B.P. Nostri manu exarata epigraphe laboranti admota est, extemplo sensit dolores minui, & mox partum feliciter edidit. Venio ad scholas. In iis iuuentus frequens, plurimi è flore nobilitatis: inter quos Comites duo. Varios religiosorum ordines amplexi aliquot, in societatem nostram adscripti tres, confecto Philosophiæ stadio, indole egregia, & spe magna adolescentes. Quibus accessit quartus ex altero gymnasio. Sodalitas Parthenia vtraque viget & floret, quà numero, quà pietate. Religionis & Pœnitentię seuerioris exercitia plerisque satis familiaria. Horum laudi succrescunt tirunculi, qui sub Angelorum tutela. Extulerunt ij quendam è suis, filium ciuis è plebeio ordine, plurimis prælucentibus tædis, præter morem vrbis. ideóque parentes à quodam parum beneuolo, rei acti legis sumptuariæ; sed euicêre Sodales infanti sua facundia, & sine vllius patroni opera effecere, vt secundum ipsos Consules pronunciarent, alterumque iuberent ab actione desistere. Ob hæc aliaque id genus officia in alios, vicissim aliorum in nos beneficia nec leuia, nec rara experti sumus. Quo in genere primas suo sibi iure deposcit Serenissimus Princeps Coadiutor, cuius in nos animus is est, qui hactenus, vno verbo, Bauaricus. Ostendit id re ipsa cum alias, tum R. P. Rectori ad curanda Prouinciæ negotia in vrbem eunti. Etiam Senatu beneuolo vtimur, eius nomine Consules ipsi petiuere, vt quot hebdomadis vnus è Nostris, religionis Christianæ principia pueris orphanis traderet in sacello quondam nostro, & primorum in hac vrbe Patrum,

&

& multorum pie religioſeque factorum memoria, nobis merito venerando, quò etiam impetrarunt facilius. Viſus eſt Deus Opt. Max. noluiſſe, prima hæc velut incunabula Societatis in hac Vrbe, prophanis vſibus addici; quod futurum erat, ædibus in aliorum iam poteſtate conſtitutis. Cum ſacerdos noſter primam Deo hoſtiam oblaturus eſſet, Conſules inuitati non tantùm ſacro religioſe, ſed & frugali prandio adfuere beneuolè: & raro exemplo, ſuo & Senatus nomine oblato ritu ſolenni vino, ſuam erga nos beneuolentiam teſtari voluere. Aucta ſuppellex templi, & res familiaris piorum liberalitate. Illuſtris Comes à Marca, vt gratam ſibi accidiſſe filij inſtitutionem teſtaretur, plauſtrum vini optimi dono miſit: alij alia, atque hæc domi. Porro etſi noſtram induſtriam foras emanare longius, non ſinant vndique obiecta pericula; præcedaneo tamen Paſchæ ieiunio, & iterum ſub Aduentum Noueſiana excurſio iterata eſt; etſi non ſine periculo aliquo. Laboratum ſedulò, nec irrito conatu. trecenti adulti ad exomologeſin adducti: imbuta fidei principiis ætas tenera; ſcholæ, carceres, valetudinaria adita; depulſa ab vno Dæmonum terriculamenta: corporibus animiſque, qua licuit, ſubuentum: obfirmati ſalutaribus monitis concionibuſque animi, contra ſibilos viperarum è Lemano lacu. Virgo erat è Caluinianis prognata, quæ occulto religionis veræ deſiderio tangebatur, ideoque noſtrum ſacerdoté conuentum cupiebat; ſed obſtabant parentes, vix domo pedem efferre ſinebant, nedum inferre in templum. Tandem eluſis male cautis cuſtodibus, de peccatis confeſſa cum lacrymis; quam vno illo congreſſu hauſit fidem, ita tuetur, vt ſe prius

dexteram carnifici præſcindendam tradituram dicat, quam ſponſo hæretico, qui à parentibus obtruditur, ad firmandam coniugalem fidem. Femina altera nocturno ſpectro territa, in epilepſiam inciderat: dein frendere dentibus, ferocire, variorum animalium voces edere, conſpuere obuios, maxime ſi preces ſuaderent; omnes à dæmone obſideri dicebant. Vocatus noſter cereum è collo agnum ſuſpendit, confeſſionem ſuaſit, paruit, conſanuit.

RESIDENTIA
BONNENSIS.

DVo è Noſtris, Sacerdos cum fratre vno, viuunt in Domo Aulę vicina, liberalitate Sereniſſimi Principis, & iam ſe liberius in ciuium ſalutem procurandam effundunt. Ideoque animi cladibus pręteritis, nonnullà etiam prauorum dogmatum contagione languidiores, ſenſim erigi incipiunt. In Aula pax, concordia, modeſtia Chriſtiana curata, neque opus hic magno opere, cũ Princeps ipſe ad omnem pietatem exemplo præeat. Ad ciues conciones habitæ in æde primaria, & alibi: ſcholæ item Catechiſticæ Dominicis feſtiſque diebus, magno ardore omnium. Non puduit etiam maturæ ætatis Virgines palam decertare reddendis capitibus Religionis noſtræ, & præmiolo donari. Cæteri puelli & puellæ vix cubitales, ad parentum ſtuporem, quæ hominem Chriſtianum ſcire decet, probè callent, & recitant accurratè. Acuendæ puerorum induſtriæ, munuſcula liberaliter ſuggerit Sereniſſimus Princeps, & amici alij. Nec voce
tantum

tantum & institutione, sed etiam re, quibus opus erat, quantum licuit, subuentum, qui aut vinculis, aut morbis attinebantur. Religiosus ob æs alienum nexus, nostra opera liberatus, & piis insuper Commentationibus exercitatus, abiit à nobis plenus gaudio, alios sui ordinis ad idem exercitationum genus se inducturum promittens. Puero in portis vrbis fame potius, quam morbis periclitanti non in præsens tantum subuentum per nos; sed & vestitus, & pecunia donatus ad suos rediit. Dæmonum infestatio à captiuo, per cælestis Agni effigiem depulsa. Alterius, quæ veneficij rea tenebatur, & ad omnia salutis monita obsurduisse videbatur, vt viri religiosi frustra desudarent; victa tandem à sacerdote nostro pertinacia est. Itaque mortem, quam ante perhorruerat, iam vt flagitiorum pœnam potius exoptare cœpit. His aliisque officiis demeremur ciuium animos. Ad quotidianum sacrum, quod in parochia facimus, multi confluunt, cum rari anteà censerentur. Curata sedes confessionibus excipiendis, & clathræ ligneæ ad dec[..]ntiorem Sacrosanctæ Eucharistiæ administrationem; sed & Ara nostra donariis ornata, & nostro instinctu templa alia, adhuc vastitatem & Hæreticorum rabiem sua nuditate præseferentia, paulatim ornari & instaurari cœpta. Excursum sæpè ad varia Monasteria, plerumque Rectorum rogatu; restituta disciplina religiosa; impeditæ discordiæ, quæ in vno maximè Monasterio, ob mutationem, magnæ timebantur. Excogitata res per Nostros, ad pietatem ciuiū promouendam imprimis accommoda. Sacellum est Sanctæ Crucis passuum quinquaginta itinere ab vrbe distans, nece sanctorum Cassij & Florentij è legione Thebæa

 nobile,

nobile, sed iam pænè desertum. Eò feria sexta itare cœpimus, quauis hebdomada per æstatem ferè, & sacris operari: Confluere tandem alij atque alij, vt iam celebretur locus, & sint qui per exploratores obseruent nos, si quando egrediamur. Habetur istic breuis exhortatio, & relegitur via piis de sanctorum vita colloquiis, aliisúe de rebus ad animæ salutem procurandam. Concludam insigni exemplo raræ patientię, ex pio Sacramentorum vsu haustæ. Mulieri cuidam venefica vipeream animam inhalasse credebatur; correpta illico nouo, & pleno cruciatibus morbo: ad remedia licita, illicita, doloris vehementia impellebat. Itaque tentata omnia, sed frustra. Suadet Noster diuina, & tandem persuadet. Totius vitæ noxas aperuit, & deinde sex ipsos menses, quibus immota lecto affixa hæsit, cum insigni patientiæ significatione transegit, donec tandem omnibus munita Sacramentis, sensibus integris, vultu subridente, placidissimè defuncta est.

COLLEGIVM TREVIRENSE.

CONCIONIBVS habendis, confessionibus excipiendis, tradendæ Christianæ doctrinæ, ceteris item muneribus nostrę Societatis, vacatum hoc anno seriò & gnauiter; nec sine fructu: indicio erunt paucula illa, quæ subiungam. Dum de Christi Redemptoris nostri cruciatibus ad populũ verba fierent, exemplo latronis pænè ex ipsis Orci faucibus benignissimè erepti, ita quidam motus est, vt illico ad pedes Sacerdotis accideret, & erra-

ta annorum decem magno animi ſenſu retexeret. Mater familias eſt, quæ vitæ ex diuinarum legum præſcripto agendæ monita, ita & hauſit auidè, & altè imbibit, vt non familiam tantùm, ſed & aduentores hoſpites (exercet enim cauponariam) quà monendo, quà increpando, ab inueterata illa iurandi conſuetudine, omnique ſermone laſciuiore abſterreret ſedulò: neque verbis tantum, verùm cum parum ſe iis promouere cerneret, ſuccenſa zelo pio, maledico homini pugnum in os ingeſſit. Ab hæreſi abducti duo; inducti ſex ſupra viginti vt ſpiritalibus exercitandi meditationibus, in ſacrum illud armamentarĳũ ſeſe abderent. Magnus in Catecheticis concertationibus ardor puerorum, adeò vt ſæpe Auditores etiã alios accenderint. Inter hos virum è Clero primarium, vt præter roſaria, aliaque munuſcula, thecas argenteas viginti tres, quibus cereæ cæleſtis agni effigies includerentur, diſtribuendas peritioribus obtulerit; promittens inſuper, ſi duret fructuoſus hic labor & feruor, auro etiam obductas ſe curaturum. Cum puer vtróque parente orbus, qui aliunde in vrbem aduenerat, ſola linea interula amictus, ita ſuam induſtriam probaret Catechiſtæ, vt eum collaudatum inuitaret ad reditum, adderetque fore vt veſtibus nouis donetur; extemplo itum à multis in certamen eſt, quis hoc Chriſtianæ pietatis officium occuparet. præuertit vir honeſtus, puerulum in ædes recipit, veſtit, educat, literis & moribus bonis ære ſuo informandum curat; nec riualem fert, adeo vt ſubmiſſa ab aliis remiſerit. In caſtitate aut tuenda, aut Deo ſacranda, Virginum aliquot inſignis enituit virtus. Vindicata quędam à periculis & inſidiis, quas ſorores ipſæ & affines ſtruebant: alia

ſecundò

ſecundò tertióque blanditiis & muneribus ampliꝰ tentata, generoſe reſtitit; & cum ſoli vim intentarent duo ſpurci ganeones, educto cultro, prius illo ſibi coſtas tranſadigi paſſuram reſpondit. Nobilior fuit etiam alterius Virginis victoria de impuro adoleſcente, qui cæteris è familia peregre profectis, perfractis cancellis, clam noctu in ædes irrepens, ſolam aggreſſus, nefariis artibus impugnare, ſed expugnare non potuit pudicum pectus, diuino timore & Confeſſarii monitis obarmatum. Eis vt ſe periculis eximerent, duæ intra religionis ſepta,& ſponte concluſere commemorabili exemplo. Altera diutinis precibus cum parentes fatigaſſet, tandem impetrauit, vt ipſi peccatis prius expiati, ad aram D. Virginis miraculis celebrem, filiam Deo diuæque matri deuouerent; quæ res ſpectatoribus vberes lacrymas exciuit: & pauperibus amicis ſponſi ſui, vt epulum lautius appararent. Altera ex parentibus hæreticis, vt roſa è ſpinis orta, matris hæreticæ hortatu, quod mireris, apud Confeſſarium è noſtris, reatus totius vitæ eluit, & vitæ religioſæ præceptis imbuta, D. Claræ inſtitutum amplexa eſt; illud vnum ſibi moleſtum accidere dictitans, quod parentes denſa errorum nube ſeptos videret; quos abeuntes, fixis humi genibus, ſuppliciter obteſtata eſt, ſpretis nouitiis commentis, ad patritam, auitamque religionem vt ſe reciperent. Extracti aliquot è flagitiorum cœno. Qui ſub feſtum Pentecoſtes ad D. Matthiæ religionis ergò venerant de more; hoc etiam anno ad D. Annæ ſacellum, recens à quadam pia femina ex eleemoſynis extructum, & ædem noſtram, ſupplicationem decreuere; vbi plures ſexcentis cæleſti pane refecti ſunt. Frequenter ad

vicina

vicina loca excurſum, firmati ad extremam luſtram mortis rei; & ex occaſione Præfectus Caſtri cuiuſdam cum familia tota, pluribuſque è vicinia confluentibus, Pœnitentiæ, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentis expiati & refecti. Curionum quorundam inſcitia factum, vt Extremæ vnctionis Sacramentum non rite adminiſtraretur: & ſuperſtitioſis obſeruationibus eius vſus iam rareſcere cœperat, vtrique rei opportune per nos occurſum. Inopiæ noſtræ per ſuos non ſemel conſuluit benigniſſimus Deus. eximium ſe patronum exhibet R. D. Officialis quà conſilio, quà auxilio; auxit rem domeſticam bobus, ouibuſque pluribus dono datis. Alter plauſtro vini optimi, & quingentis daleris Bibliothecæ augendæ. In ſcholis Diſcipulos numeramus nongentos circiter. Sodalitas vtraque Parthenia, & tertia, quam adiunximus, Angelorum, vigent. Eluxit illorum pietas ſanctiore hebdomade in ſolenni diuerberatione, in Choro templi noſtri, epulo duodecim pauperibus dato, continuata per diem integrum à variis, pia de Domini cruciatibus commentatione, ceteriſque id genus piis exercitiis. Nouum hoc loco ſpectaculum, nec minus pium, præbuere hebdomade Virgini in cœlos aſſumptæ ſacra, quod penè vrbem totam exciuit; ideoque viſum prolixius aliquanto commemorare. Indicta à Sodalibus ſupplicatio eſt ad ædem D. Virgini, & Martyribus Treuericis ſacram extra vrbem, hoc ordine: Prodibant bini, vt mos eſt, armis Pœnitentiæ inſtructi, agmen ipſum & candelabrorum fulgore, & multa face collucebant. In medio ſacerdos crucem prægrandem geſtabat, byſſino pellucente velo obductam: pone Præfectus aurata in veſte, cinctus hinc

hinc Diacono, illinc Subdiacono, tribus aliis ſequentibus in Dalmaticis, vt vocant, auro grauibus. Interſtinguebant agmen terni Muſicorum chori. Rapuit ſecum pium hoc agmen non tantùm Canonicos, Doctores Theologos, qui Sodalitio illi adſcripti erant; ſed & alios è viris primoribus plurimos. Excepti à Religioſis iſtic feſtiuo æris campani ſonitu, habita latina concio, in terga ſæuitum: hinc ad ædem noſtram reditum eſt. Religionem, quam apud nos hauſerat puer, hæretica in vrbe, ex parentibus itidem hæreticis natus, ita retinuit conſtanter, vt nec Fratris prædicantis aut minis, aut blanditiis, nec domeſtico carcere, cui incluſerat eum inops conſilij Bucco ille, nec parentum, aliorumque hortatui ceſſerit. Fuga ſiquidem ſaluti conſulens, mauult apud nos ſtipe oſtiatim coacta, quàm inter ſuos parentum ære viuere, cum animæ certiſſima pernicie.

DOMVS PROBATIONIS.

IN ſui victoria, & ſolidarum virtutum ſtudio tironum enituit induſtria. Exercita illa eſt variis modis, & probata in peregrinationibus, more Societatis, per hæretica loca; vbi puerorum ludibria, maleuolorum ſannas, famem, ceteraque incommoda magno animo ſuſtinuere. Nec defuere vocationes non vulgares, & conſtantiæ exempla. Adoleſcens è vetere & Nobili admodum familia, Gallia Italiaque luſtrata, aulicam iam vitam occœperat agere. Hærebant interim animo igniculi pietatis, quos indiderat aliquando diſciplina

plina nostra, & vehementiùs incenderant meditationes sacræ, quibus in Spirensi Collegio excultus est. Itaque despicere primum splendidam illam seruitutem, omnes peccandi occasiones, & vitæ licentioris declinare. Quare diebus præcedaneis verni ieiunij, fœtis plerumque scelerum & peccatorum, subducere se clam, & cum Nobili viro paris animi, quem ad spiritualia exercitia aliquando induxerat, precibus se, piisque colloquiis dare, dum alij Baccho & Licentiæ operãtur. Nec his terminis stetit religiosus animus; perruptis vinculis coniugij, quod parabatur, elusa amicorum spe, omnibus insciis, stupente Aula, & pęnè vrbe Spirensi; ad Societatis tirociniúm confugit; relictis in multorum animis aculeis. Et verò par in proposito constantia, vti palam factum, cùm literis suorum, tum ad ipsum, tum ad Reuerendissimum Electorem datis, quibus de iniuria grauiter querebantur, non minus prudenter, quam generose respondit, vt spem omnem suis excusserit; & cùm fraternis minis, blanditiis, & violentię propemodum inuicto robore restitit. Alter qui animum ad Societatem adiecerat; sed rudior, quàm hominẽ Societatis esse oporteret, sibi videbatur, interim parentum voluntate mercaturę vacat: dum in Hispaniam tendit, in piratas Anglos incidit, prę̨senti cum vitę periculo: ibi memor propositi pristini, vouit, Societati dicaturum sese; & insperatò planeque diuinitus, vt ipse existimat, periculo eripitur. Cęterum cũ in Hispania homini Germano & ignoto negaretur ad nos aditus; Romã cogitat, literis nostrorũ commendatus; sed placuit Deo probare constantis animum iuuenis: grassante siquidẽ pestilentia, ingressu Italiæ prohibitus est. Itaque pedestri itinere Hispania, Lusitaniaque

&

& Gallia emensa in Germaniam rediit, vt voti sui compos fieret. Quod singulari animi voluptate, tandem sibi obuenisse gratulatur. Fuit alius, qui parentis minas, verbera, imò & vulnera, præ amore Societatis nostræ pro nihilo habuit. Etsi porro in tironibus formandis, opera ferè tota posita, non neglecta tamen occasio bene merendi de aliis, pro sacerdotum raritate, translatis iam alio Patribus, qui tertium annum probationis agunt. Habitæ in Monasterio Nobili exhortationes, magna approbatione & fructu: excursum vel in Lotharingiam vsque Iubilei tempore, aures confitentibus datæ, Catecheses institutæ, tanto vtrumque concursu, vt omnibus nostra non sufficeret industria. Exerciti spiritualibus exercitiis aliquot; è quibus eques primarius religiosi ordinis, & alter Cathedralis Ecclesiæ Canonicus; qui & commemorabili exemplo religiosam peregrinationem ad ædem Virgini Matri sacram, aliquot millibus passuum distantem ab vrbe, religiose instituit. Ostendit in nos paternam prouidentiam benignissimus Deus, vt in summa inopia defuerit nihil. Reuerendissimus & Nobilissimus D Quad, Canonicus senior summæ Ædis, centum daleros testamento nobis legauit, aliis alij eleemosynis nostram sublcuarunt inopiam. Excessit è viuis tironum vnus Godefridus Huls, magnæ spei iuuenis, de quo in Spirensi Collegio.

ÇOLLE-

COLLEGIVM MOGVNTINVM.

MVLTITVDO Discipulorum maior, quàm alias; eorum prætertim, qui maioribus artibus dant operam; ex quibus magna ad Sodales accessio facta est. Ii priuatim vincendo se, refellendo improbitatem aliorum, integritatem fortiter sunt tuiti. Quidam castitatis studio, pugnis insidiantium amplexus discusserunt, vel fuga se proripuerunt. Sodales hoc anno, maiore numero & ardore corpora sua afflixerunt ieiuniis, ciliciis, & maxime verberationibus; vt necesse fuerit ei operi duos dies quaque hebdomade tribuere. Duabus verò ante Pascha hebdomadis, que ad pulsum campanæ, quæ passionis dicitur, sub vesperam templum hominibus ad psalmi Miserere lugubrem cantum confluentibus, compleri solet; hoc anno primum ausi sunt prælata cruce, per medium populum, ante summam Aram proni primum orare, tum acriter in sua terga sæuire. Ea res primum in populo admirationem, ob magnitudinem & nouitatem: tum gemitum & lacrymas, ob tristem speciem, commouit. Alterum istud vrbem etiam ad spectaculum conciuit: Locus est octo millibus passuum distans, sancti Valentini reliquiis nobilitatus, eò publice itum est apparatu & specie accommodata ad pietatem, suspenderant singuli ex collo præcatoriorum globulorum orbem, insigne Sodalitij, & manu tenebant baculum peregrini modo. Ea forma dispositi per classes bini ibant certo interuallo, intercinentibus.

Musicis,

Muficis, anteibat Crux, & facra vexilla præferebantur in medio cum armis Crucis: fequebantur viginti quatuor nudis pedibus, & pœnitentium habitu humeros onerati flagellis: ad latera procedebant Ordinum Ductores; qua ibatur, pariebat longa feries admirationem: triftis facies religionem & metum. Itaque pagis omnibus, oppidoque, qua iter erat, ornata templa; & æris campani pulfu, & eo etiam loci, vbi confiftendum fuit, occurfu linteatorum puerorum, parochi, & Sacerdotum aliorum, & Senatus, data eft honoris fignificatio. Nec deerant armati, qui per agros tutelæ cauffa obirent. Cœptum eft inde facrum, & peracta publica diuerberatio. Sub facro vir grandæuus, qui ab Heidelbergenfi Academia venerat, primum omnium Catholico ritu facram fynaxim obijt: tum corporibus refectis, gratiæ in templo actæ funt; & in reditu ad omnia templa itum eft, & falutati Patroni locorum, per quæ via fuit: deducentibus Parochis, & concurrente vndique populo. Pridie fupplicationis conuenere partim Nobiles, partim alii adolefcentes opulenti, & noctem tranfegerunt in precibus: induti ciliciis, quibus mane etiam procefferunt. Iam ifta, lauiffe pauperibus pedes, addita eleemofyna: Cilicia crebro vfurpaffe: adduxiffe hæreticos ad Catechefin Chriftianam; flagitiofos ad vitæ infamiam abolendam: libros fufpectos eripuiffe de fide periclitantibus; publice propofuiffe, pœnam fibi decerni in vindictam peccatorum, vetera videbuntur. Verum infolitus ardor noua fecit. Certe non defuere qui magnam partem noctis piis colloquiis, & bonorum librorum lectione tranfegerunt. Inuenti etiam funt & honefti, & nobiles adolefcentes, qui ad fignificandum religiofę perfe-
ctionis

ctionis desiderium, vltro se offerrent, ad colligendam stipem ostiatim die media per vrbem,& ad notorum maximè domos. Vnus quidē eorum,cum id impetrare non posset, toto biduo non comedit aliud, quàm ius carnium, quod inter pauperes post mensam distribui solet. Vnus quidam puer ex loco hæretico ad nos missus,cum fidem Catholicam imbibisset,& in patriā reuersus esset, adeò etiam contra parentis clamores,Catholicę fidei Magistros defendit,vt cum ille Prædicantium laudes ingeminaret; puer,se scire,omnes Prædicantes esse Nebulones,clara voce parenti in os ingereret. Tandē verò, dum parentis ira deferueret, ad vnum alterumque diem, fuga sibi consulere coactus est; quæ pueri constantia licet parentis animum nondum emollierit, matris tamen mentem ad fidei Catholicæ amorem inflexit, vt eam suscipere in animum induxerit. Alius item Adolescentulus, cum in scholis nostris Catholicam fidem didicisset, adeò in ea constanter perstitit, vt reuersus aliquando in patriam, in quam interea Reuerendissimi Archiepiscopi iussu, Catholica sacra reduci iussa erant; omnibus aliis, etiam parentibus & cognatis renitentibus; ipse tamen & Catholicis sacerdotibus adhæreret, & palam quotidie in templo versaretur, sacris inseruiret: neque vllo aliorum risu, & sannis ab eo officio auocari posset. Præcipua virtus fuit duodennis pueri, quam dæmon infringere omni ratione conatus est. Erat studiosus quidam ex Gymnasio vicini Collegij; Is cum, vt fit, studiorum caussa aliò se conferret, deuenit in oppidum quoddam; in quo cum studiorum commoditatem quæreret, videt hæresi infecta omnia, quamobrem cum inde recipere se decreuisset, mora die-

rum aliquot, eius, qui Prædicantem ibi agebat, filio persuasit, Catholicam religionem patriæ perfidiæ præferret, & secum in Catholicam aliquam Prouinciam proficisceretur; secutus est alter alterum. Prædicans, missis qui filium quærerent, repertum apud Iesuitas, continuo domum reducendum curauit. Ibi grauissimè exceptum, & modis omnibus tentatum, constantissimè in sententia perseuerantem, multis verbis & verberibus oneratum, domo expulit, non sine conuitiis in nos. Adolescens profugus huc se contulit, vbi quod hospitioli pretio soluendo non esset, reculis per vim retentis, ab hospite in publicam plateam abiectus, in ea, asperrima hyeme, cum nix alta cecidisset, pernoctauit, præ reditu ad hæreticos omnia leuia arbitratus. Ex hoc pietatis Gymnasio exierunt Religiosi aliquot: tres Carthusiensium, duo nostram familiam ingressi sunt. Venio ad ea, quæ in populo facta sunt. Domi quidem ab hæresi absoluti sunt octo supra sexaginta; vnus, qui fronte hæresin multos annos texerat, & Sacramenta quidem in publico vsurparat, sed in speciem duntaxat, vt hominum oculos falleret; sententiæ interim suæ & perniciosarum opinionum tenacissimus. Alter vtramque speciem sumendam sibi persuaserat, argumentis vanissimis. Publica verò conuersio fuit Clarissimi atque Doctissimi D. Adami Hortzog, quæ celebrata sermonibus & fama, dolorem hæreticis, Catholicis gaudium attulit. Fuerat ille verbi minister, apud Caluinianos plurimis annis, & postremis etiam superintendens, vt appellant, Hanouiæ, opidulo ob hæresin infami; & ex eorum numero vnus, qui libro Concordiæ subscripserunt. Eò loci primum clam rectè sentire

cœpit:

cœpit: deinde inter ſuos pro veritate liberiùs loqui: tum palam agitare quæſtiones. Vbi feruere ipſe maximè cœpit, ibi diſſuadere hæretici: promittere, minari, nihil ad expugnandum omittere. Tamen ſalutem tulit ante pericula, & ad nos ſe proripuit, & in ſolenni ſacro, præſentibus multis viris Nobilibus & honoratis, ex formula ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi, fidem confeſſus eſt. Alij alijs modis adiuti ſunt, referam ex multis pauca. Quidam poſt admiſſum flagitium, chirographo ſanguine ſuo conſcripto, dæmoni ſe deuouerat, ſi peccaret ſecundò, ſed lapſus denuo eſt. Illicò aſpectabilis dæmon cœpit obire domum oblonga ſtatura, nigra ſpecie, & ſtrepitum ciere. Id vbi biduo factum eſt, trepidus accurrit ad nos: ibi Noſter, quod deſperabundus videbatur, ſpopondit partem pœnitentiæ in ſe recepturum, & ſacra aliquot in eum finem facturum. Ea vbi promiſſa & facta; ipſe domuſque omni moleſtia liberati ſunt. Affine iſtud eſt: Mulier erat honeſta & diues; ſed coniugem habebat vinolentum, is ſæpius redibat domum ebrius, & iurgiis implebat omnia. Id cum moleſtè & impatienter ferret femina, nec dolorem continere poſſet; factum tandem eſt cum intempeſta nocte miſceret omnia, & ipſa dæmonem in vindictam aduocaret; adfuit mox ille, & deiecto viro ex loco, non altiore duobus cubitis, ceruicem fregit. Exhorruit ad tam dirum exitum mulier, & pænè ad deſperationem adacta; ſed erecta à noſtro. Felicior exitus fuit alterius. Erat is vir ſenatorius è primaria Germaniæ, ſed hæretica vrbe: peregre in thermis conſtitutus, diſſenteriæ morbo correptus eſt. Qui cum ſpiritali auxilio deſtitueretur, à noſtro forte ibi agente oportune viſi-

tatus eſt; idque humanitate effectum, vt Confeſſionem de tota vita inſtituerit, & Euchariſtiæ ſacroſanctæ (quod clam ex propinquo pago allatum eſt) refectus piiſſime obierit. Sed foris in vtilitatem proximi laboratum ſæpius. Sacerdos quidam ad audiendam Reuerendiſſimi Archiepiſcopi confeſſionem aliò profectus, eadem occaſione Catholicorum Nobilium vtriuſque ſexus confeſſionibus vacauit. Reſtitutiones non exiguæ procuratæ. Alius circa Paſchę tempus in vicinum oppidum miſſus eſt cum ſocio, rogatu Reuerendiſſimi & Nobiliſſimi Domini Præpoſiti ſummæ Ædis; qui perſonam ſuam ita egit, vt communicantium numerus maior nunquã fuerit, nec ſacra ſolennia auguſtius peracta: Catecheſin penè quotidie habuit primum in ſcholis, deinde in publico; eo fructu grandiorum & gaudio parentum, qui acceſſerant, vt altero die, quotquot domi haberent liberos, miſſuros ſponte pollicerentur. Conuertit ſe hinc ad templa oppidi exornanda, quæ negligi videbantur. Et cum perprugaret ſordibus obſitum ſacellũ quoddam, in quo Beatiſſimæ parenti quotidie ſub veſperum Salue regina decantari ſolet, ſedulò iuuerunt ciues. Id quod etiam ſequentibus diebus præſtiterunt in Parochiali templo exornando. Adiit poſtea hoſpitale & carceres, & vrbis capita, quæ ob offenſionem Principis in mœrore erant. Quæ officia gratiſſimis animis accepta, percrebuerunt etiam locis vicinis. Prętoris cuiuſdam filius in propinquo oppido Caluini veneno infecto, olim à Noſtris ad Catholicam religionem adductus erat. Is vt apud Noſtrum confiteri poſſet ipſo Paſchatis die, & Euchariſtiam percipere; à parente, licet Lutherano, claues oppidi, vt cum alio ciue egrederetur,

deretur, obtinuit, quò posset ante meridiem, sub ministri Caluinistici declamationem clam reuerti. Res cum fructu & sine periculo abiit. Officia ob ista præstita, summa beneuolentia erga nostrum in summis, & infimis concitata est. Euocandi tertij sacerdotis ista occasio fuit. Edixerat Reuerendissimus Archiepiscopus noster per Comitatum Konigstein, vt ne in posterum reus plecteretur, nisi comitante orthodoxo Sacerdote, eo modo reformationis facturus initium. Incidit paulo post caussa capitis, & accersitus est è nostris vnus, qui Prædicantis loco educeret reum, quod à septuaginta annis factum non fuerat. Quæsiuit ille omnia consilia rei benè gerendæ; primum reum ab hæresi traduxit ad religionem Catholicam: cum raperetur ad supplicium, clausulam ex salutatione Angelica, sancta Maria &c. repetiuit identidem, monente Nostro, circum cuius latera prædicantes ibant, & indignabundi mussabant. Eadem opera Noster, dum apud Præfectum loci hæsit, purgauit templum Arcis, & reliquias bonæ notæ & nominis disiectas, & sordibus commixtas, restituit suo honori. Concludam annales fælici obitu P. Guilielmi Bajomuill, qui vltimo anni die vitã, ætatis suæ quadragesimo septimo clausit: Professus quatuor votorum vixit in Societate annos fere triginta, Superiorem egerat Herbipoli; ibidem atque alibi multos annos conuictoribus præfuerat. In omnibus vero officiis prudentiam & magnitudinem animi cum submissione coniunctam probauit: & cum esset præferuida & biliosa natura, & nihil quereretur magis, quam quòd videretur impatientia quemque læsisse; eo tamen tempore, quo morbus ascenderat maximè, ne signum quidem grauis animi de-

dit. Itaque placidiſſime mortuus eſt, relicto bono exemplo.

MISSIO LOHRENSIS.

LOHRA oppidum eſt in Comitatu Rineck primarium, errorum ab ipſis propè Lutheraniſmi incunabulis pertinaciſſimum. Eò miſſus vnus è Noſtris Sacerdos, & Magiſter alter. Feudum illud anno 1559. morte improbi Vaſalli, ad Moguntinum Archiepiſcopum redierat; ſed non ad patriam religionem: neque hactenus tentare rem, tutum videbatur. Peruicit tandem zelo diuinæ gloriæ ſuccenſus Reuerendiſſimus Elector, qui comitatum alterũ Konigſtein iam antè, bonis omnibus approbantibus, comite ſacerdote noſtro, expulſis barbatulis iſtis nugiuendis, ad ſacra priſtina reuocarat. Itaque per ſpeciem venationis, vicinam arcem ingreditur: illicò Magiſtratum per Legatos conuocat: proponit ſuum de recipienda vera & vetere fide, non iam conſilium, ſed præceptum. Tergiuerſari illi, & pedem ſtruere fruſtrà. Exautorati protinùs perfidiæ Magiſtri, & Miniſtri cum Æedituo, & altero profanarum Cantionum ſuſcitabulo. Exhauſta hac ſentina, in Ciuium ſalutem & ſanitatem toto pectore Noſter incumbere cœpit; ſed animi præfracti hactenus medicinam reſpuunt. Prima Concio mulierum lamentis, & complorationibus mœſta accidit; adeò ne ad aures quidem ſaniora conſilia admittebant: & trecenti & amplius, ante ſumpto prophano bolo, velut deuotione quadam obfirmarant animos. Sed miteſcent paul-

paulatim, ſperamus. Tria iam quatuorue coniugum paria, Sacramentis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ munita, ritu Catholico iuncta matrimonio. In tenuiore ætatula ſpes eſt, eam Catecheſi imbuimus, nonſine fructu: crucem efformare, Beatam Virginem religiosè ſalutare, quod flagitium & pænè capitale antè cenſebatur, nunc honori eſt. Hiſce de rebus concertationes publicę, magno vtrinque ardore inſtituuntur. ad ſummum, tertium iam menſem nulli labori parcitum, ternis per hebdomadam Concionibus, Catechiſticis Inſtitutionibus, Colloquiis & conſiliis priuatis; omni deniq; ope adlaboratum, vt obcęcatis mentibus allucere vel radios aliquos veritatis liceat. Spe non dubia tenemur, etſi obſurduiſſe videantur, laborem noſtrum non fore inanem in Domino.

COLLEGIVM HERBIPOLENSE.

VNIVS è ſacerdotibus tentata grauiter valetudo, amicorum, & in primis Illuſtriſſimi Principis operâ, & liberalitate ſuſtentata & recreata fuit. Alteri Leonardo Fiſchero, vis morbi vitam eripuit. Coadiutor is erat, patria Thuringus, annorum quinquaginta quinque, ex quibus in Societate vndetriginta, in Culinæ ferè functionibus exegerat. Vir recto & ſimplici ingenio; pietate, vt ſub finem patuit, maiore quàm multorum opinio tulerat. Vnius iacturam, lectorum Adoleſcentum octo, diuina bonitas acceſſu compenſauit. Complures alij Societatem noſtram ardenter expetunt, inter quos opimas non pauci conditiones,

& opulenta Sacerdotia reiecerunt, vt huiusmodi rerum tricis soluti, expeditiore animo conceptum Societatis desiderium persequerentur. Collegij nostri status hic fuit, vt nullius hoc anno nostrorum, vel in domestica disciplina, vel in munere suo obeundo, partes sint desideratæ. In proximorum salute curanda laboratum vtiliter: estque ea apud nos frequentatio Sacramentorum, vt, si superiores annos cum proximis conferamus, maiores quotidie gratiæ habendæ sint Deo, qui nostros labores tam frugiferos reddit. Eorum, qui Sacram Eucharistiam in angusto nostro templo sumpserunt, numerus initus multò iam fuit, quam alias maior, sexdecim millium nongentorum & amplius. Ventitarunt ad nos, expiandi sui caussa, vtriusque sexus homines non è vicinis tantùm, sed dissitis quoque è locis, ipsaque Norimberga. Succursum etiam in Paschate multis extrà Parochis, oppidis, & pagis, fructu non spernendo, quem partim Confessionibus excipiendis, partim Concionando, partim è colloquijs & familiari institutione retulimus. Fuitque vsque eò grata nostrorum opera, vt pro se quisque domum eos inuitaret, submissis etiam in eam rem filiolis suis, cum ipsi minus auderent. Actum cum oppidi cuiusdam Pręfecto, de vini, quod ibidem in sacrificij vsum dari consueuerat, acerbitate, indignum scilicet videri, vile dati vinum in tanti sacrificij vsum, quando optimo se vilissimi homines inebriarent. Tantum valuit hæc apud Præfectum ratio, vt in omnem vitam reciperet, tantum se præstantis vini eam in rem daturum, quantum toto anno sufficeret. Adita in vrbe nosocomia, ægri vel stipe per nos collectâ adiuti, vel ditioribus, medicisque commendati. Neque
verò

verò neglecti ſunt Carceres; tres inde operâ & ſtudio noſtrorum exempti; Venefici, aliorumque criminum rei tum à noxis expiati, tum ad piè moriendum inducti. Ad ægros vrbanos & moribundos frequentiſſimè: ad exteros, plurimis etiam miliaribus hinc remotos, aliquoties euocati ſumus. Piis libellis multorum in ſacris rebus inſcitia: agni Dei, vt vocant, fruſtulis, dæmonum præſtigiæ, & importunæ exationes propulſatæ. Adoleſcentulus erat, cui ſæpius de nocte ſpectrum quoddam faceſſebat moleſtiam, apparebat ei mulier candido habitu, quę nonnunquam operimenta quieſcenti detrahebat: aliquando etiam è lecto abreptum de gradibus deturbabat. Huic ſuaſum, vt Angelo tutelari ſe ſedulò commendaret: neque vllos deinceps cum dęmone illo ſermones miſceret: neu vlla in re ei obtemperaret, (contra quàm aliàs moleſtiis euictus aliquando fecerat) data inſuper ſacra Agni effigies, quâ è collo ſuſpenſa, monſtrũ illud quidem eminus ſe oſtentare aliquando, non tamen nocere valuit: tandemque omninò profligatum apparere deſtitit. Præparauerat ſe quidam Diſcipulus noſter ad vniuerſæ vitæ peccatorum expiationem poſtera die faciendam. Hunc Dæmon viſus eſt impedire voluiſſe, dum incumbenti ſe obiicit canis atri, diſcurrentis per cubiculum ſpecie; quâ re conſternatus ille tantoperè eſt, vt mente alienatus, clariſſime vociferari per vndecim amplius horas inſtiterit. Vocatus ſacerdos noſter, orationes nunc ſolus, nunc comprecantibus aliis fudit, ſacram lipſanothecam capiti eius impoſuit; nihil quidem tunc aliud effectum, verum non multò poſt à prandio ita ſibi reſtitutus eſt, vt lectulo conſurrexerit, decentiſſime ſe veſtierit,

erit, reuocatoque Confessario nostro, tam accurate exomologesin peregerit, ac si nihil vnquam eiusmodi passus fuisset. Patuit sacræ Confessionis vis in ciue quodam, qui apoplexia tactus, cum per nutus & signa se sacerdoti aperuisset, vix semihoræ præterito spatio, perfectè eloquendi vsum, vt antè habuerat, recuperauit. Alius periculoso morbo cum laboraret, facto proposito sacri, simulac reualeret audiendi, è vestigio cœpit consanescere: breuique, dum propositum exequitur, conualuit. Iam omni die sacris interest. Febri liberatus alter, eodẽ die sabbati relapsus in eã est, quo contra præscriptum Ecclesię carnes gustarat. Persuasum cuidã à sacerdote nostro, vt quod collo gestabat contra febres medicamentum, si quidem superstitiosum suspicaretur, abiiceret. Fecit ille, & eadem die se à febre desertũ fuisse postea testatus est. Diffidentes grauiter parentes à filiis, mariti à coniugibus, alii ab aliis, in amicitiam reducti; in quibus par Coniugum fuit, cuius decem propè annorum diffidium, affines quoque & agnatos in se mutuò concitarat. Deductus à voluntariæ necis proposito non nemo, quem aduersæ fortunæ casus malè mulctarant. Confirmati etiam & retenti in auita fide, qui non leuiter periclitabantur. Aggregati ad Ecclesiæ gremium triginta nouem, qui omnes nostris sacerdotibus confessi, sacrâ synaxi se refecerunt. Iam de scholis & Deiparæ Sodalitio, quę duo præcipua nostri fundi noualia sunt, sequitur, vt pauca dicamus. Discipulos numerainus, quot antehac nunquam, supra mille quinquaginta: plerosque ad pietatem iuxtà ac studia litterarum accensos. Exciuit disciplinę nostræ fama tũ longinquis è regionibus complures: tum verò ex hęreticorum quoque Academiis

cademiis præſtanti quoſdam indole maturaque ætate Adoleſcentes, qui Catholicam à noſtris fidem edocti hæreſim eiurauerunt, vnáque & fidem, & mores Catholicos induerunt. Ex his vnus ad verbi miniſterium propediem euehendus cum eſſet, ab eaque re magnopere abhorreret, nec tamen paratas ſe pedicas euadere poſſe videret; fugâ ſibi conſuluit, & clam Patre, hic apud nos in egeſtate tolerare vitam Catholicus mauult, quàm apud ſuos cum gloria magnicrepum agere verbi præconem. Alius Heidelbergę natus, videndæ Academiæ noſtræ cauſſâ cum huc veniſſet, colloquiis captus Noſtrorum, ſaniora conſilia cœpit: repudiatoque Caluino Catholicus effectus, Philoſophiæ apud nos ſtudia pauper, qui apud parentes nullius indigens, prę optauit abſoluere. Pręter hos minori ætate aliquot adoleſcentuli veniunt, in hęreſi ab infantia educati. Inter quos aliquot nobiles ex Franconica & Haſſica nobilitate, qui fidem Catholicam cum pietate, tempore breui, ſic imbiberunt, vt eorum feruor Præceptoribus, & Principi admirationi & voluptati ſit. Nec deeſt benè cœptis conſtantia; parentes enim quorundam nobiles, re intellectâ, minacibus illos litteris à Religione abſterrere ſunt conati; ſed fruſtrà. Paruulus quidam puer, cum in ſcholis noſtris audiſſet, quam abominabilis eſſet carnium eſus in Quadrageſima, nullis ſuorũ blanditiis adduci potuit, vt carnem guſtaret, quare incœnatus ſubinde, quod alii cibi negarentur, cubitum conceſſit: nonnunquam & verbera ob eam rem eſt perpeſſus. Alius matri iiſdem diebus carnem obtrudenti, reſpondit: ſtrangulari ſe malle, quam facere, quod à Præceptore audiſſet, ſine peccato committi non poſſe; quo reſponſo id deni-

denique consecutus est, vt etiam mater se ipsa respexerit, atque adeò correxerit. Audierat quidam in scholis, quantũ etiam ipsi pueri in reducendis ad salutis viam errantibus efficere possint, si verbi gratia temerè domi iurantes, aut parum honesta effutientes, aut tardiores ad rem diuinã, obeundumq; confessionis sacramentũ, ancillas famulosque, quà monendo corrigendoq; quà inducendo suauiter lucrifacere studerent; id sibi præ cæteris dictũ reputans, eâ felicitate & cõstantiâ prestitit, vt famulos, diebus festis ad templũ prodituros, se cogeret precedere: famulas vero continuis suis correctionibus vsq; eo fatigaret, vt de filii importunitate apud herũ querelas deponerent: ipse vero ab iuramentis tantũ abhorruit, vt cum aliquando à procacibus pueris, ad rem iuramento absque graui caussa confirmandam inductus esset; sic indoluerit, vt præ lacrymis vix matri doloris sui caussam profari potuerit, nec conquieuit, antequã confessus esset. Contrà alius quidam mirâ ad maledicendum iurandumque procliuitate, prauam consuetudinem, post multa nequicquam tentata remedia, hac ratione dedidicit: Suasum ei, vt quotidiè cũ cubitu surrexisset, ter recitata oratione Dominica & salutatione Angelica, B^mæ. V. opem in eam rẽ imploraret; simulq; ad scholas rediens, preceptori significaret, num id prestitisset. Fecit, quod suadebatur, constanter & diligenter: omneq; illud peccati genus, non solũ ipse iam studiosè cauet; sed etiam acerrimè persequitur in aliis. Pueri duo repetitis iis, que in scholis de confessionis Sacramento, rebusque similibus audierant, septem mature ætatis homines, partim famulos, partim cõiugatos, in quibus nonnulli adhuc hæresi infecti, ad obeundam confessionem inductos, ad Confessarios

rios ipsi adduxerunt. Graui horrore, & febrili correptus frigore quidam, pedibus ægrè insistere poterat; cum admonitus à quodā, vt priusquam incumberet, B.P.N. Ignatij opem imploraret; quod fecit, sensitque præsentem opem; sic vt postero die sanus omnino, lętusque scholas reuiseret. Huic non dissimile est, quod nobili cuidam viro accidit. Is in graui morbo adhibita ad affectum latus particula interulæ B.P. Ignatij, illicò sensit melius, & post triduū omninò conualuit. Præceptorum monitu & libri vetiti magno numero prompte traditi, & egentium ægrotantiumque discipulorum inopia liberaliter subleuata. Fuit è discipulis nostris, qui à feria quinta maioris hebdomadę, ad Christi vsque resurgentis solennia, nil cibi gustauit. Alius non antè quietē animi est adeptus, quàm Deo & Bmæ. Virgini perpetuam vouisset Castitatē. Ceterum Sodalitas vtraq; Bmæ. Virginis, flos gymnasij nostri meritò dici potest, quippe quæ aliis scholarum nostrarū alumnis, tum literarum, tum studio virtutis præstat. Plurima ex ea quot hebdomadis sacrosanctam Eucharistā, pleriq; quot mensibus percipiunt. Inusitatus in quibusdam ardor pietatis, flagransq; studium non suæ tantum, sed alienæ etiam salutis: vsitatę multis corporis afflictiones, cilicia, cingula, funes. Flagellationes verò vt alias, omni feria sexta maioris ieiunij; pręsertim verò sacra hebdomade, peracres à multis magna contentione etiam adhibitæ. Interuisæ Domus hospitales: ægri re, verbis, admonitione, piorum libellorum pręlectione, aliisque modis, corpore & anima recreati. Fuit ex Sodalium numero, qui omni sabbato, à domesticis carnē vorantibus exagitari potius voluit, soloq; pane contentus esse, quam sibi quicquam contra Ecclesiæ legem indulgere.

Reper-

Repertus eſt, qui in Natiuitatis Chriſti ſolennitate vndeuiginti ſacris miniſtrarit, & duo inſuper audierit: qui idem honeſto cæteroqui loco natus, & fortunę non contemnendę, non erubuit aliquando facie luto deformata, habituq; quantũ licuit, mendicorum more compoſito, in vicino pago, Chriſti pauperis amore, ſtipem colligere. Kalendis Maij auertendæ pruinæ, quæ vitibus fere tunc imminere ſolet, ſupplicationem ad templum noſtrum, vtrumque Sodalitium inſtituit, prælucentibus facibus, nec ſine Muſico cantu. Omnes tunc Chriſti corpore refecti. Herbipolenſis quidam è Sodalium numero ciuis, ad nundinas Francofurtum profecturus, cum intellexiſſet, Reuerendiſſimum Moguntinum Comitatum Lohr ad auitam reuocare fidem, vnumque ex Noſtris in præcipuo oppido eam in rem commorari; eò ſe contulit, ac in D. Virginis natali die, inibi confeſſus, ſacram ſynaxia ſumpſit; quò publico exemplo ſuo incolis eſſet incitamento. Communicantem multi, ipſe etiam Nobilis Præfectus nõ ſine lacrymis ſpectarunt. Ad quem deinde in diuerſorio agentem, complures ciuiũ adierunt. Quos ille, commemorandis etiam temporalibus incommodis, ſi relicto, quem haberent, Eccleſiaſtico Domino, ad ſæculares alios commigrarent, ad reditum cum Romana Eccleſia in gratiam ſic inflammauit, vt aliqui ſe eius conſiliis parituros polliciti ſint. Deſerüerat nonnemo è Philoſophiæ Magiſtris, per ſocordiam, Dei matris Sodalitium, illudque iam contemptui habere videbatur, permiſit Deus, vt non multo poſt graui morbo corriperetur; ex quo dum ſe moriturum putat, denuo recipi in Sodalitatem petiit, & impetrauit. Eo die, quo ſe recep-

ptum

ptum,ac iam pro ſalute ſua à Sodalibus preces fundi cognouit, conualeſcere cœpit extraque mortis periculum conſtitui. Neque verò Collegium aliorum in ſe beneficientiæ & liberalitatis expers fuit, centum florenos moriens legauit Herbipolenſis mercator; quos & dare teſtamenti executores non diſtulerunt. Sacra ſuppellex, vt minutiora præteream, aucta eſt ſcyphis argenteis ad vſum ſacro epulo accumbentium quinque; quorum duo affabrè facti & inaurati.

COLLEGIVM SPIRENSE.

CONCIONIBVS & Catecheſi, quas intra vrbem habuere Noſtri,conſtanti adhuc Auditorum frequentia & fructu, non contenti, ad vicina loca excurrere, quàm aliàs crebriùs. Sexaginta oppida pagique luſtrati, opera tã incolis grata,quam neceſſaria ob hæreſeon contagionem, quam vndique afflant vicina Caluiniana luſtra. Coacta in templum plebs, manè quidem ad concionem audiendam: ſub veſperam iterum ad implorandam Dei, Diuorumque opem, ſolenni prece, quam litaniam vocamus. Oppugnata ſedulò praua & vetus iurandi conſuetudo, eam in rem ſententiæ è ſacris literis typis expreſſæ, & paſſim affigendæ diſtributæ: inductus magiſtratus, vt huic rei operam det ſedulò: effectum vt domeſtici ſe tranſgreſſionis commonefaciant, ſi labi contingat, pœnamque imponant. Nihilo ſegnius laboratum domi, ſpiritualibus exercitationibus exculti tres ſupra viginti, in his Doctores duo, & alij viri primarij,

& accidêre quædam memoria non indigna. Vir erat à primis annis hæresi infectus; hunc ægrè licet tandem tamen expugnatum, Noster perpulit, vt ad eluendas penitus dubitationes de religione, quibus frequenter & acriter pungebatur; sacris iis exercitiis se daret; paruit. Dum eum de more inuisit Pater, libellos duos in mensa relinquit; alterũ quidẽ de industria, quo capita religionis nostræ breuiter explicabantur & firmabantur: alterum casu, aut diuino potius instinctu, vt res docuit. Erat is libellus de imitatione Christi, quem aperuit, in caput decimum sextum libri tertij incidit, vbi docetur homo se Deo offerre paratum ad quæuis: atque illicò velut radio quodam lucis occultioris ictus, in genua prouoluitur, secundò ac tertiò sacra ista verba iterat, quæ legerat; sibi suæque deliberationi accommodat: atque ecce omnis illa dubitationum nubes dissipata penitus. Ipse nihil iam hæsitans familiam etiam omnẽ ad nos iisdem sacris, quę se suscepisse gaudebat, imbuendam misit. Adeo in medio nationis prauæ diffusus ille salutaris spiritalium exercitiorum odor, vt à nouem miliaribus tres imperialis vrbis ciues huc attraxerit. Curiones officij sui admoniti per nos: reductus vel postliminio vsus sacramenti Extremæ Vnctionis, aliaque id genus præstita, quæ, quia communia sunt, præterimus. Ab hæresi absoluti centum septuaginta nouem circiter. Inter illos quidam magno labore plurium etiam annorum constitêre. Famulam ægram in errore educatam, parente vtroque præsente, in perfidia vt persisteret adnitente; pio dolo, dimissis aliquantisper parentibus, extraximus è cœno illo, & cælesti viatico instructam, in Beatorum sedes, vt speramus, dimisimus. Adolescens

ſcens Nobilis, de quo in Domo probationis actum, hic Societatem noſtram inijt, quam cum altera in Cælis commutarunt quatuor. Primus fuit Pater Ioannes Armbruſterus, è Moguntina diœceſi, annorum quinquaginta, quorum triginta in Societate religioſe egerat, Coadiutor formatus; vir bonus & religioſus. Hunc paucis poſt diebus ſecutus P. Andreas Vermadius Arnemius Gelder, Profeſſus quatuor votorũ, anno ætatis quinquageſimo octauo, Societatis trigeſimo quarto inſigni morum ſuauitate & perfectionis religioſæ ſtudio: multis vtiliter laboribus perfunctus Coloniæ, Spiræ, & alibi. Excepit hunc ætate par, ſed annis octo Religione prior, Pater Gerardus Maſſetus Leodienſis, Coadiutor formatus; qui cum à multis iam annis ob geminam apoplexiam, à publicis functionibus ceſſare cogeretur, inſigni charitate & humilitate obibat domeſtica munia. Acceſſit his quartus Godefridus Hüls Weſtphalus tiro; qui huc peregrinatum miſſus, patriam Beatorum feliciter reperit. Mira in iuuene animi æquitas, inſtanti iam fatali hora: mira pietas. Videlicet horroris & trepidationis loco, identidem ingeminabat: Benedictus Dominus Deus Iſraël: &, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: & illud B. Ambroſij: Mori non timeo, quia bonum Dominũ habemus. Interim ne hæc temeraria ſecuritas eſſet, cilicio indutus optabat expectare Domini aduentum; cui, vt ſe arctius deuinciret, ſub extremum momentum votorum formulam pie pronunciantem, ſpiritus primùm ac vox, vita dein ipſa non multò poſt deſeruit. Moriatur anima mea morte iuſtorum, & ſint nouiſſima mea illorum ſimilia. Ad extremum aliorum in

nos liberalitatem subiungam. Reuerendissimus Princeps, præter altare summum, quod opere magnifico faciendum locauit; crucem argenteam dono dedit trecentis florenis æstimatam: & annuè trigintos tres florenos templo nostro attribuit, è censibus beneficij cuiusdã ciuitatis hæresi infectę, quibus nos tamdiu frui voluit, donec illa hæresim exuat. Reuerendissimus & Nobilissimus D. Andreas, ad Oberstein Decanus, vt viuus singularis extiterat patronus Collegij Nostri, ita & moriens, quingentis florenis testamento nobis relictis id confirmare voluit. Vxor viri nobilis ducentos; centum alia legauit nostris. Donauit alia centum florenos pro casula aurea coëmenda: alia catenam auream totidē florenorum. Duo Bibliothecarum suarum nos hæredes esse voluerunt, quæ trecentis florenis æstimantur. Ad hæc quatuor vini plaustra ad subleuandam domesticam rem dono data.

COLLEGIVM
FVLDENSE.

A Reuerendissimo Abbate fundatore nostro, bonum anni principium; qui Kalendis ipsis ad indulgentiæ fructum carpendum, præsentibus adhuc Cæsariis legatis, & frequenti hæretica nobilitate, quæ restituto iam tum honoris causa aderat; in templo nostro sumere sacratissimam Eucharistiam voluit: perfunctusque ingressus sui solennibus, illicò curas ad religionem & disciplinam Ecclesiasticam resarciendam admouit. Neque via expediendi occurrit expeditior negotij, quàm vt de inspiciendis huius Ecclesiæ Parochijs, & fidei capiti-

capitibus nonnullis neceſſariis paſſim promulgandis ageret: de conquirendis idoneis miniſtris, qui ſemi-hæreticis, vel apoſtatis ſubſtitui poſſint, conſilia ſuſciperet: morborū denique conditiones perquireret, quo tempori idonea remedia ſubditis ægris afferret. Viſitationis igitur munere ad Domiuū Ioannem Erneſtum Hunfeldenſis Eccleſiæ Canonicum, Collegij Germanici nuper alumnum relegato; voluit, vt è Societate Sacerdos huic aſſiſteret, qui pro inſtituti noſtri ratione, opem in parte ferret, conſilioque proueheret munus inſpectionis. Quod vt laboris fuit pleniſſimum, ita fructus tulit non pœnitendos. Ditione enim ad hunc modum explorata, Eccleſijs inſpectis, Parochorum vita diſcuſſa, propoſitis Reuerendiſſimi decretis; dici non poteſt, quàm inſignis animorum inclinatio ſecuta, incolis ad nutum & imperium Principis, omnia & pati, & facere paratis. Porrò inter viſitandum, haud indignum literis, quod oppidum Herbſteinianum, montibus & locorum aſperitate à reliqua ditione prope diuiſum, ſectariorumque vicinia vndique cinctum, religioni Catholicæ colla ſubiecit, cum nemo ciuium vel incolarum iſtic ſanæ religionis eſſet. Abdicato quippe verbi miniſtro, & Principis voluntate propoſita, noſter ſacerdos, quod ſacrum ornatum adhuc ibi repeririſſet, illicò à concione, ad rem diuinam peragendam, altare petiit: totoque auditorio cum ſtupore tremenda illa myſteria oculis & animis vſurpante, omnia in ſilentio & attentione rite patrauit. Quo facilius, qui deinde ſubmiſſus ſacerdos Catholicus, incolas in officio veteri continuit; quippe qui minime maligni homines, ita ſibi putarent viuendum, prout Magiſtratus præſcriberet.

Ceterum negotio non caruit, capita huius oppidi atque Senatum, falſæ doctrinæ tenebris occupatum, à priſtinis erroribus in veritatis lucem afferre; qua in re eximius zelus eluxit noui Parochi ex noſtra diſciplina, qui non contentus horum nonnullos priuatis congreſſibus, & diſputationibus laceſſere; ſed & huc ad Collegium adducere ſtuduit, quo fortius ſuperati, victoriam liberalius concederent. Sed hac tota luſtratione ditionis, quæ vitia Eccleſiaſticis detracta, qui mores inducti ſalutares, quæ morborum incognitæ ſpecies detectæ, nimis quàm ſit prolixum recenſere ſingula. Certe vigeſimo ſexto Februarij ſuſcepta fuit, finita vigeſimo ſexto Martij, imminente iam Paſchæ ſolenni, quo fructus inde maior item emanauit. Nam & variis Noſtrorum excurſibus, & occaſionibus vndique per totum annum captatis, quod hic vniuerſe dicendum eſt, Dei tanta ſuper obſtinatos miſericordia deſcendit, vt Fuldæ centum ſexaginta in quibus non pauci honorati, ab infelicibus Lutheri paſcuis, ad ſacroſanctæ matris Eccleſiæ gremium confugerint: alibi præſentibus noſtris duceni, treceni, & quod excurrit; quin & toti pagi ac hominum conuentus, cum animorum ſumma conuerſione, reſipuerint. Itaque præter eos, qui calculos ſubterfugêre noſtros, & quotidie ad Eccleſiæ caſtra, vel matrimoniorum, vel aliorum officiorum cauſa confugerunt, numerati ducenti ſupra quinque millia; qui abiecta Lutheri perfidia, vel prauis inſtitutis, Catholicam hoc anno fidem complexi ſunt. Dedit quoque benignus Deus, vt Noſocomia toties hic Fuldæ à nobis obita & ſollicitata, fructum ſuum vel ſerotinum efferrent. Nam quod ſancti Leonardi vocant, ma-

rium, in vrbe media situm: & quod feminarum minus in suburbano; vna muliere dempta, post notabilem peruicaciam, vniuersa sacris Catholicis restituta sunt. Lamiarum quoque crebra supplicia, sobolem auxerunt Ecclesiæ: sexaginta, in huius vrbis conspectu, per huius anni tempus, flammis exustæ. Teterrima multarum & species oris, & graueolentia pedorque carcerum, quibus abstrusæ, vix ferenda: Obstinatio durior per crebros Dæmonum & incuborum accessus: alias hæresis simul, & omnis conscientiæ, & religionis obliuio dementarat. Assiduitate tamen Nostrorum & tolerantia laborum, pleræque omnes ad placidam mortem; vniuersæ, vel ad detestationem facinoris, vel saniorem fidem, vbi illa corrupta, reuocatæ sunt. Profuit & hoc supplicij genus nonnullis vrbanis matronis, quæ nisi hac via, portum salutis nunquàm inuenissent. Profuit & rei Catholicæ,cũ ex Magistratu primariorum coniuges, de Magia suspectæ, maritos hæreticos metu pœnarum, vna secum fugere, & hinc migrare coëgerint. Iudæi quoque Fuldenses, quorum, ob multitudinem, & Synagogæ celebritatem, haud obscurum in Germania nomen; ad mediocritatem illam fœnoris, Societatis hominum stimulo reuocati, quæ tolerabilis in imperio haberi consueuit. Qua castigatione correpta gens auara, quæstuum debilitata spe, sensim magno ciuium bono migrare cœpit. Cetera quæ in ministerijs nostris vsurpata tenemus, seu olim inculcata, non repetimus; nisi de conuictu, & Seminario Pontificio,quod numero & Nobilitate floret, cognoscere iuuet, aliquot item ex hac gente, spreta degeneri parentum fide, ad germanam & Catholicam conuolasse: vnum Societati dedisse nomen;

nomen; & Abbatem sancti Blasij, monasterij in Sueuia longe lateque clarissimi, commotum fama disciplinæ, sex vno tempore, longissimis itineribus, in veste religiosa Monachos, huc misisse; quò pietate & literis imbuti, suis olim ornamento forent. Par verò Comitum aliquot Germaniæ, & hæredis Mauritij Lantgrafij comitas, & in Collegium scholasque beneuolentiæ significatio declarata; cum & salutatione Nostrorum, & exercitationum Gymnasij varietate permoti, licet Caluino sane quam addicti, plurimum tamen Societati honoris deferrent, & omnia nostra inhiantes, intentique aspicerent. Diem quoque suum piè defunctus est D. Ioannes Cholus, qui ex Collegij Germanici disciplina, multis annis laboriosam Parochiæ gubernandæ prouinciam sustinuit: Collegióque centum florenos, testamento legauit.

Hoc etiam anno tertij anni probatio, à Nouitiorum domo seorsim haberi, & Fuldæ institui cœpit, cui rei ex animi sententia gerendę, Reuerendus P. Prouincialis Fuldam accessit, & cùm alia ad tam salutare consiliũ vtiliter explicandum perficiendumque præscripsit: tùm P. Henricum Hauerum Collegij Herbipolensis gubernatione defunctum, huic inchoando muneri præposuit. Itaq; plurimum decem Patres hoc disciplinæ genus excoluere, lateq; fructus operis suscepti patuit, siue Nostrorum priuatim in se ipsis expugnandis alacria studia: siue opem ad alios ab his publice profectam attenderes. Nã & domi multiplicia ab exercitiis spiritualibus, & vario mortificationum genere nunquàm defuere exempla: & foris, siue rudes docendi, seu carceres adeundi, & educendi rei; siue leprosi & elephantiaci, aliisque tenti morbis visendi, aut so-

latiis

latiis erigendi; seu denique per aspera, & hæresi iuxta & fame tetra loca peregrinandum, probata Patrum constitit industria, id quod opportunius, partem in omnem occasione data, præstitum ab iis; quia restituto Principe, postquã religionis collapsa passim instaurare cœptum est; per excursiones & peregrinationes subito adita loca, Parochorum leuatæ curæ, omnibusque modis aliis rei Christianæ prouisum est; ita vt aliquot centenæ animæ, & integri cœtus hominum, eorum quoque opitulante studio, ab erroribus ad orthodoxam fidem sint traducti.

EXCVRSIONES.

VENIO igitur ad Paschales illas excursiones, quibus ingens fuit animarum negotiatio coniuncta. Herholezium pagus est in finibus comitatus Hanouiæ situs, nusquàm tutus à Caluinistarum vicinia. Hic, annis prope quinquaginta, incolæ Lutheri placita secuti, quàm longissimè à vero aberrabant. Missus eò sacerdos è Nostris cum socio, feria quarta sacratiore, mandatum vnà ferens, vt Prædicans iubeatur illicò templo, & solitis officijs absistere; sed Incolarum animi insueti falsis, non ita cedere parati, & dicto audientes esse, etsi Præfectus loci, vir apprimè Catholicus, vt flecteret suos, ageret omnia. Ergo in vnum locũ acciti cuncti, & iussi, qui Dei in re tam honesta voluntate timorẽ non gerere, & Magistratui suo refragari cogitarent, secedere in partem; & cum nemo se loco moueret, quies ista & silentium pro approbatione accepta: quare mox Catholici futuri, in con-

fessione obeunda, & sacra Communione percipienda, quid præstare deberent, gnauiter edocti, nec caruit res optato successu: plerique non secus, ac si à pueris fuissent orthodoxi, piè ac religiosè sacris perfuncti, testati lacrymis dolorem intimum de præteritis vitæ erratis. Excitauit pietatem illorum vetus reuocata religio, iam ab annis quinquaginta interrupta, cum vexillo sacro & cereis obeundi templum, & aspergendi aqua lustrali Cœmiterium (qua cerimonia aliqui ad lacrymas vsque permoti sunt) gratulantium, defunctorum vel serò duci rationem: aut dolentium, non superesse, qui nuper erant mortui, vt frui hac Catholica veritatis luce possent. Mirum dictu, signo compulsationis audito, quàm festinarint, ne iucundissimo hoc circuitionis spectaculo priuarentur. Valdè porrò cepit, & aduertit eorum animos, mensa Communicantium ex tempore structa, & violis suaueolentibus interspersa, ordoque decens ac pulcher ad S. Synaxin accedentium. Exciti è vicinis locis fama rei Caluinistæ, modesti auditores Concionum, & spectatores ceremoniarum affuere: nec deerant, qui palam dictitarent, si per Principem sibi liceret, alacriter ac prompte in partes Catholicas concessuros. Centum circiter & quadraginta de tota vita confessi sunt: nemoque communionis capax superstes fuit, extra feminam Prædicantis filiam. Accessere ex vicino pago Weipersiano, Lutheranis dedito, viginti. Desiderium nostri & amorem prodebant fusæ in abitu lacrymæ, insigneque studium præstandi ea, quæ pro concione docerentur. Nam cum Noster duo illis vitia maximè vitanda ostendisset, Ebrietatem & Iuramenta; eodem die plerique ad Epulum natalitium honoris caussa inuitati,

repertа

repetita concione de fugienda ebrietate, præter solitum modestißimè conuiuati sunt, identidem se mutuo commonentes, ne terminos sobrietatis excederent: eaque propter, admodum tempestiue finem imposuere mensis, absque vllo ebrietatis, aut vanitatis indicio domum reuersi. Idem hic sacerdos, circa Pentecosten, duos pagos pertinacia longè cæteris anteeuntes, Mottenum, & Cottenum, aggressus est, in quo posteriore nactus duriores hominum animos, tandem tamen contentione laboris peruicit, vt viginti quatuor è lupi tartarei faucibus eriperet: ceteri quoque malo coacti demum sapere inciperent. Memorabile hic accidit, quod ipso Pentecostes, peractis diuinis, quotquot communicarunt, perstitere, dilapsis ceteris è templo: nec prius excedere voluere, quàm manũ sacerdoti nostro, à quo communionem acceperant, quasi tesseram renouatæ fidei, præbuissent. Quod spectaculum mirificè loci prætorem exhilarauit. Nec destitere postea, vbi vbi viderunt Nostros, accurrere, & manus osculo delibutas, identidem in pignus fidei offerre. Prætoris imperio cautum erat, ne cui conuersio apud populares fraudi esset, monitique recens conuersi, si quid inaudirent, ad Magistratum referrent. Reperta est vidua, quæ Nostros falsos Prophetas appellaret, ea propter ad carcerem abripi iussa, tremens ad Prætorem accurrit, culpam deprecatum. Matrem paullo post insecuta est filia grandis natu, quæ matris periculum suum rata, cum aliud potentius argumentũ non haberet, quo matrem carcerum metu liberaret, humillimè: Condonate inquit, filię matrem, & noxam ei remittite, & ego fiam Catholica. Quid multis? & mater, & filia, quę pridie falsum Prophetam salutarant, ad

eius

eius postridie pedes accedentes cum Christo & Ecclesia rediere in gratiam, non absque magno animi sui gaudio atque solatio. Est in Prouincia Fuldensi Satrapia Fursteneca, cuius amplissima Parochia Eiterfeldia. Huc in partem vigiliarum accersitus alius sacerdos, cum ad messem opportuna cuncta reperisset, hominumq; animos mire in orthodoxam pietatem inclinatos; quacunque vicos concursabat, de Confessione rectè peragenda, & Eucharistiæ veritate, rudes pro temporis angustia instruebat. At vbi sedere pro Confessione cœpisset, tanto hominum concursu & alacritate excipiebatur, vnus vt labori non sufficiens pænè succumberet. Quare vnà cum Parocho huius loci, octingentos in pacem Ecclesiæ restitutos, Pęnitentiæ sacramento expiauit, & S. Synaxin iisdem sub vna specie distribuit, ingemiscente decrepito Prædicante, qui quinquaginta annis plebem illam miserè seduxerat: neque tamen suorum exemplum, quod Noster apud illum seriò agebat, amplecti volebat. Porro in Nostro deinde omni humanitatis genere percolendo, tanto inter se studio recens conuersi certabant, vt plurium officiosæ hospitalitati non faceret satis. Idem hic sacerdos alium in Pagum, cui Hosefeldiæ nomen profectus, Prædicantem loci septuagenarium, qui quadraginta annis illic hominum mentes occæcarat, ex Apostata Monacho, à concubina separatum, intra Dominici gregis ouile reduxit: & quinquaginta ex incolis in eandem caulam compulsis, hoc iucundum spectaculum vsurpauit, quod qui istic loci Ducatum gesserat verbi, cum Laicis palam, communionem sub vna specie, magno Neophytorum exemplo, frequentarit. Magnum id documentum ouibus, à segrege in de-

uia hucuſque abductis, cum ſacerdos noſter palam pro Concione denuntiaret; fore, vt eorum dux ad ſaniora reuerſus, vnà cum ipſis feliciter ad Eccleſiæ Catholicę paſcua pabulatum veniret. Excurſionibus alijs memorãdis, licet euentu feliciſſimis, enarrare ſuperſedemus. Nam & Herbſteinium oppidum poſtliminio tentatum, quadraginta matri Eccleſiæ liberos genuit: Vicus Giſelanus ſexaginta, quorum pars nunquam in vita Sacramentis operata, pars ob hęreſin refugerat; ſpeſque tenet, ſi cœptis annuerit Deus, & vita longior comes Principi extiterit, vniuerſam ditionem auitam maiorum religi o nem aliquando ſecuturam.

MISSIO HAMELBVRGENSIS.

EST Hamelburgum oppidum huius ditionis, Franconiæ finitimum, in Satrapia Salecana, apud Salam fluuium, Caroli Magni donum: quo in oppido, & ante viginti ſeptem annos Reuerendiſſimus Abbas honore ſuo exutus eſt: & Auguſtana confeſſio tam altas radices iecit, vt quo tempore in Imperio religionis datæ induciæ, hic locus ſe mox ab auita maiorum fide ſeiunxerit, & nouo cultu per miniſtros hæreticos inducto, reipublice ſtatum ſic formarit, vt ægre ad obſequium vel officium reuocari poſſe appareret. Degebant in hoc oppido duo Prædicantes, alter multorum ſtipendiorum magiſter, & plebicola inſignis: alter huius ſymmyſta, rudior arte & ingenio. Prior in tanta veneratione populi ac Senatus, vt licet præ ſenio ex ſuggeſtu non diceret, ſed è plano ferè ſa-

cra

cra sua volumina legeret; Angeli vocem sibi in eo percipere viderentur. Ad religionis ergo catholicę fundamenta iacienda, & veteres ruinas reparandas; primò datum nostris negotium, vt de idoneo aliquo parocho accersendo circumspicerent, atque huic Ecclesiasten ex Collegio adiungerent, qui aduersarijs opponi possent, & religionis Catholicæ veritatem populo proponere. Quæ res vbi superiorum venia diligenter curata; placuit Reuerendissimo ad initium Septembris eò honorificam mittere legationem, ac nouum Parochum ac sacerdotem nostrum iis commendare: simulque ad priscam religionem amplectendam benigne inuitare. Postquàm ergo legati cum nouis sacerdotibus adfuere; Senatus, populusque tergiuersari, recusare principis Imperium, concursuque & concione facta, tantùm non vim intentare. Parochus nihilominus in concionem adscendere, & præbere se populo in templo iussus. Vbi à cancellario principis verus animarum Pastor renunciatus est, occlamatum à populo, & attestatione publica consiliarij renunciatio infirmata. Vbi deinde abscessere legati, præcipua hæc controuersia partes tenuit, vt Ecclesiam templique claues & vsum, id quod fortiter recusabant Hæretici, Reuerendissimo, & Catholicis sacerdotibus cederent. Quare & iterata legatione opus fuit ad flectendum rebelles. Illud verò non sine admiratione prouisum à Deo, vt paucis diebus, postquã Catholici sacerdotes aduenerant, præsentibus adhuc legatis, oraculum oppidi conticesceret; id est, veterauus ille Prædicans animi dolore breui dierum spatio consumptus, tristi suorum spectaculo efferretur. Mox & imperio Principis alter verbi præco exulare iussus, ac templi

pli tandem aditus, sacrarium, calices, multiplex vestium sacrarum ornatus, venerandæ imagines, bibliotheca, quæ cuncta prouidus futuri Senatus abdiderat, Parocho & vsibus Catholicis restituta. Inuenta in penetrali istic Inscriptio gemina, digna quam posteri obseruent, hac iam secuta vicissitudine. Prior, quâ hæresis istuc importata memoria repetebatur, ab anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto; altera, qua, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, vigesimo nono Octob. publicè in Prætorio Plebi propositum docebant librum Augustanum, quem Interim vocant. Neque componi motus huius oppidi tam subitò potuere, oppidanis, quod vi nequibant, dolo Principis authoritatem illudentibus. Itaque nuncijs crebris, ac literis ad vicinos Principes missis, patrocinium libertatis, & sectę tuendæ vndique quærere auxilia; impetratâque à spectatæ potentiæ & authoritatis Principibus suffragia, quibus veniebatur contra Reuerendissimi consilia: neque sine comminatione illi Nostrum hortabantur, desisteret incœptis: neue dolorem aut molestiam afferret afflictis religionis suæ consortibus. Deniq; huc res abiit, vt interposita authoritate Cęsaris, Hamelburgenses suo parere Magistratui ac Principi, omniaq; facere, quę ad Religionē Catholicam pertinent, sint coacti. Interea R. P. Visitator, cū Fuldę munus suū perageret, ad feliciorē rei successum, addito ex tertii anni Patribus alio sacerdote, in Missionis formā hanc Nostrorum operā reuocauit. Quare duo iam de Nostris, Concionibus ad populum instituendis, obeundis vicinis pagis, hæresi iam imbutis, magno rem Catholicam conatu, auxilioque subleuant. Qua in re præsidio sunt Præfecti Catholici, recens

à Reuerendissimo dati, & Nostris apprimè commodi: duoque Parochi, Ministris hæreticis nuper suffecti. Fructus extitit per ferias natalitias nō spernendus; Nam & in vrbe maiore frequentia Ciues, hostiliter anteà in nostram Religionem coniurati, diuinis officijs interfuere; astitere quoque non otiosi spectatores diurnis, nocturnisque natalis Domini sacris: nihilque tam suspexere, quàm communionis antiquum ritum a Catholicis circiter quatuordecim repræsentatum, qui nostrorum sermone & opera, ad id exemplum, populo Lutherano præbendum, inuitati fuerant. Neque tacendū, ciuem hæreticum, qui nocte natali reuerentiam tecto capite negaret sacro loco, cum à Præfecto Catholico correptus, morem non gereret, apparitorum manu circundatum, adduci iussum in carcerem, quos cum fuga declinasset, graui posteà æris multa fuisse punitum. Sacerdotis socij, qui interea vicino in pago rusticis dabat operam, fecundior item laboris successus; vtpote qui cum incolas pænè omnes haberet in potestate, ijs tamen in Pascha dilatis, ad plenum erudiendis, præter alios ab se expiatos, duos supra viginti, quos ritè probauerat, ab hæresi absoluit, pane cælesti refecit, magnumque sui desideriū apud omnes reliquit. Ceterum, quia à Cæsare Rudolpho & Reuerendissimo Principe, Hamelburgensibus aliquot modó mensium induciæ præscriptę, quibus elapsis vel doctrinam Lutheri abiicere, vel solum vertere iubentur: confidimus certe Deo dante, circa Paschæ ferias, vberem Nostros ex arido crudoque nouali messem reportaturos.

COLLEGIVM HEILIGENSTADIANVM.

A Beneficentia & liberalitate Reuerendiſſimi atque Illuſtriſſimi Principis Noſtri ſumenda principia. Fecit is benè Collegio ſcholiſque. Illud non ſolum à moleſto viciniæ deſpectu, ſumptuoſa domus cuiuſdam coemptione vindicauit; verum etiã ampliori agro ad lupulum plantandum liberaliter auxit. Scholis verò, ne quid vel ad vſum Diſcipulorum, vel ad ſtudiorum incitamenta deeſſet, ita proſpexit: vt daleros duodecim præmiorum diſtributioni, totidemque plauſtra lignorum depellendo frigori, anniuerſario cenſu in perpetuum inſtitueret. Sed & cura pium inceſſit Principem, de luſtratione huius patriæ, vt ſi qua infelicibus horum temporum annis conſenuiſſet, rectè beneque inſtitutis, ad melioris ſaculi pietatem ac religionem renouaretur. Eam ad rem viros delegit, & ablegauit, quorum alij negotium agerent Religionis, alij politiæ ruinas reſtaurarent; quin & comitem è Noſtris ſacerdotem eſſe voluit, vt quantum per Societatis rationes liceret, in partem laboris ſubueniret. Res acta fortiter & peracta feliciter. Fructus in animi bonis ſaltuatim percenſendis ſpectandus; vnctione ſacra confimati, ſupra hominum millia ſeptem, quingenti: duo templa, quorum alterum prophanorum cadauerum ſepulturis iampridem contaminatum, priſtinæ venerationi ac decori reſtituta. Reliquarum vero Eccleſiarum, & altarium prophanatio, ne fraudi eſſet Religioni ac pietati, in vicem conſecrata ſunt, quæ

ſuſque

ſuſque deque portari poſſent, altaria quatuordecim. Inhibiti pleriſque Cœnobiis vani & curioſi concurſus: clauſtra limiteſque ad regulam conſtituti: indicti Paſtoribus ſynodales conuentus: et Concilij Tridentini præſcripto, Concubinarijs officio interdictum, & vt ad frugem ſeriò reuocarentur, periculoſa Caſtimoniæ ſeruitia procul ab Parochiali domo & pago abacta: Bibliopego etiam, ne libros hęreticos vel compingeret, vel venderet, librorum multa cautum. Venio ad propria & conſueta Societatis opera. Illa vt annis præteritis, ita etiamnum ſuum habuere tenorem & fructum. Carceres aditi, ſupplicijs addicti ad mortem æquiori animo ſubeundam animati; domi foriſque Chriſtianæ doctrinæ inſtitutio frequentata. Tulit ea varios euentus, ex multis vnum alterumue dabo. Dum Præceptores noſtri ex more, rudibus agreſtium animis formandis operam nauant, incidit ſacerdos noſter olim in D. Magni præſentiſſima ope celeberrimum ſacellum, opportunè id deſtitutum fuit Miniſtro: ergò plebeculam ſigno dato conuocat: cauſſam & neceſſitatem exponit ſui aduentus: pollicetur reditum, auditur beniuolè; nec latuere ſtudia inimicum: nam cum eadem officia Noſter, alteri pago hæreſi infecto offerret, hominem nimiſquàm iratum, & ferreâ fiſtula armatũ habuit aduerſarium; itáque pro tempore cedendum fuit furori. Sequentibus tamen diebus eodem redijt, & in D. Magni Eccleſia iam tantum effecit, vt accolæ loci, lumine Catholicæ veritatis capti, ritu veteri viuere & credere inchoarint; nihilque prius habent, quã veteris ſui templi ruinas reſtaurare, ſacramque ſupellectilem, collectis vndique ſubſidiis, ad ornamenta Eccleſiæ reparare. Fama

rei

ma rei denique ad Reuerendiſſimi noſtri aures perlata, rem prope confecit, aſſignauit is (quando alios omnes reditus hæreſes auertit) maldera frumenti annua ſeptem ad ſarta tecta, honoremque domus ſacræ conſeruanda. Sed & feroci illi, de quo dicebam, profuit pia Catechiſtæ admonitio, nam cum imperterritam ſacræ doctrinæ promulgationem aliquando audiuiſſet, vltrò homo barbarus ferociam poſuit, patrique ſupplex factus eſt temeritatis ſuæ deprecator. Voluntates multorum inclinatæ, odia etiam iuramentis obfirmata, amori & charitati data Chriſtianæ. Erat, qui, vt ſe de inimico vindicaret ardentius, & animi deſideria expleret liberius, deterrimo mancipium daret diabolo; nec tamen ea inter Sacramentorum vſu ſibi interdixit, futurum nempe ſperabat, vt animi cruciatum, & conſcientiæ aculeos tempore & annis obtunderet. Verum, cum noſtrum audiſſet, tormentum ſilentij vltra ferre non potuit, itaque genibus ſacerdotis aduolutus, occultum facinus prodidit, pauidamque mentem ſynceræ confeſſionis antidoto tranquillauit. Suum quoque fructum tulerunt ſcholæ, quæ vt numero minus ſunt ſpectabiles, ita in ſpem patriæ deſtitutæ erudiuntur ardentius. Theologiæ morali dant operam quindecim, multi in populo ac vrbe non magna, reliquis Claſſibus quinque, ſuus ſibi conſtat numerus & virtus. Argumento eſt Cyrolus Artrianus renouationi ſtudiorum, ſummi Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis noſtris legatorum approbatione, populique applauſu datus. Quam porrò non facile ſit, deſertis ſcholarum legibus manum ferulæ ſubducere; vnius periculoſa docuit emendatio. Quidam moribus ſuis, alienaque viuendi ra-

tione sibi aditum ad scholas nostras præclusisset, itaque tabernas frequentauit. Quadam die Diuo Nicolao sacra, compotatori suo cingulum empsit, simulque iurat, in dæmonis potestate futurum se, ni redderet; audiit & annuit stygius Iupiter, interim vrget alter, postulatque suum sibi reddi cingulum, tandemque, postera die raptoris animum precibus expugnat. Securus ille sui iuramenti, & desponsæ hostiæ, cubitum proficiscitur, somnumque amplectitur; cum ecce adulta nocte cacodæmonem lateri hærentem glabrum, & vitri instar persentit. Exanimis timore iuuenis, frontem pectusque signo crucis exarat, hostemque mox rediturum, ni meliora capessat consilia, propellit. Sed vt adolescentia viæ, quam semel ingreditur, tenacissima est, monitionem surda aure prætetire cogitabat adolescens. Redit ergo voti exactor, forma humana oculis nequaquam ferenda: tum demum è domo sua profugus, ad Collegium anhelus sub canucinium venit, singultibusque & lacrymis verba frangentibus rem explicat, auxilium deposcit, & in integra peccatorum suorum confessione inuenit. Præcipua laus Adolescentum est eorum, qui in Sodalitio sub Deiparæ Virginis vexillo stipendia faciunt. Eorum studium latè patet, siue domandi corporis, malorumque affectuum expugnandorum feruorem, siue pietatem in alios manantem exemplaque spectes. Priuatim frequenter: in sanctiore, vero, hebdomade, totius propè vrbis in conspectu, non nemine ciuium admixto, se diuerberarunt plures quinquaginta. Quidam, cum ob domesticorum improbitatē suæ deuotioni parere non posset, in solitudinem ac syluas secessit, vt de acerbitate Dominicæ flagellationis, aliquid solitarius

rius deguſtaret. Sunt qui ſaxis denudata ſua pectora, magni illius Eremitæ inſtar, incurrêre. Verum gemina ſupplicatione potiſſimum, eorum ſpectata fuit pietas atque modeſtia. Altera ad D. Magni, de quo antea memineram, veteris patroni inſtituta; Altera ad montem, vt vocant, Adiutorij ducta. Illa cum pridie anniuerſariæ B. Magni feſtiuitatis in ſcholis indicta fuiſſet, tanta omnium expectatione fuit excepta, vt animis planè promptiſſimis, poſteri diei crepuſculo maturrimè adeſſent. Educuntur ergo ordine compoſito. Nouitas ſpectaculi vna ſecum Vrbanos, Paganos: viros, feminaſque traxit; votis ſolutis, rebuſque diuinis ſolenniter peractis, Beato Magno ſuus honor, Deo gloria, incolis fides veteriſque religionis ſchema, reſtituta. Illa autem quę ad templum Saluatoris in monte ſitum ducebatur, hac multò ad pompam iuxta ac loci dignitatem fuit nobilior, vtpote quæ Sodalibus Parthenicis propria, etiam tres religioſarum familiarum Abbates allexerat. Dies ſupplicationi deſignata fuit ea, quæ ſolennitatem præcurſoris Chriſti præcedit: cumque cælum mane pluuias & tempeſtates minaretur, negotium Sodalibus Deiparæ datum, vt ſuę ſerenatrici & patronę iuſſa itinera commendarent, nec fruſtra. Triſte & ſtillans cęlum, ſub meridiem, ad placidam multorum dierum temperiem ſerenatur. Ergo ad ſigna conueniunt Sodales: agmen componitur: per vrbis plateas piè ac modeſtè decurritur, tædia viarum partim cantu, partim piarum hiſtoriarum recitatione alleuantur, nox inſequens ſub cælo agenda erat; ſuæ virtuti ac patientiæ vt quiſque caperet experimentum; omnium tamen animi corporaque, dicer æſtu ſitique grauiter, in loco deſerto, tentata; ita

ſteterunt, vt ſequenti luce omnes propemodum Dominico corpori communicarint, ſic paſti, eo ordine, quo venerant, domum reuerterunt, Deumque miraculorum patratorem, locique ſanctimoniam collaudarunt. Concludam vnius miraculi recentis enarratione. Virgini nobili, anno ætatis ſuæ decimo quinto, ſtruma deformis collo innaſcitur; quæ cum manum medicam ſemel iterumque fefelliſſet, ſpe formæ & ſanitatis abiecta, doloribus & mœrore immoriens, monetur à femina ruſticana antiquæ fidei & fiduciæ in Deum, niſi à diuina accuratione, huic malo curam non eſſe, voto Deo Saluatori ad montem adiutorij facto, ſanitatem recuperari poſſe: inſedit puellæ, & placuit conſilium; ſed ardua mox viſa res, & præter Lutheranæ fidei decreta, quibus innutrita fuerat, vota concipere: occurrebat parentum de eiuſmodi pietate iudicium: quid agat? quod voueret, non ſuppetebat. Meminerat vitulum donatione ſuum in armentis eſſe paternis. At hoc nimis magnum viſum anathema. Itaque ceræ libram vnam votum facit, in proximam ſupplicationem perſoluendum, & dictu mirum! nullo medicamine detumeſcit indies colli ſarcina Virgo egreſſui apta, ſtato die viam init, montem conſcendit, votumque ſoluit. Interim domi vitulus, quem auara Deo negauerat, morti conceſſit, reducemque docuit, Deo liberaliſſimo exoſas auaræ mentis eſſe ſordes. Elabitur vnus & alter annus, nec memor puella formæ ac ſanitatis ſuæ, ſecura ſui, Saluatoris intermittit peregrinationem. Recruduit ergo malum, diuque muliebri artificio tectum & obuelatum, tandem paternum auertit oculum; cui ille: Et heus tu, inquit, mea filia, grandeſcit denuo ſub mento collum.

lum. Pupugit verbum; virginemque in lacrymas & solitudinis amorem dedit. Hic illa demum interne curantem sensit manum, melioraque de salute suscepit consilia; quæ vt certius assequeretur, cum Deo dicatis Virginibus rem communicauit, nostroque sacerdoti eodem delato, diuina in se opera pandit: atque nunc Catholicè instituta, hæresin, & omnem anteactam vitam, hoc primum anno, cum aliis octoginta eiurauit: nunc, quæ diuinę largitatis est abundantia, animo & corpore læta ac sana, Christo seruatori suo grates pro possibili sua persoluit.

COLLEGIVM MOLSHEIMENSE.

CORPORIS valetudo aut sana, aut mediocris fuit, plerorumque; vno excepto, Casparo Fessinger Spirensi, in media Grammaticæ scholæ Professore; quem anno ætatis vigesimo quinto, ab ingressu in Societatem quinto, visum est diuinæ clementiæ, post vnius anni languorem, phtysi non dissimilem, ex huius vitæ militia, quam ille solidarum virtutum, atque obnixo Religiosæ perfectionis studio, laudabiliter gesserat, ad beatæ & immortalis vitæ præmia euocare. Redierunt ad signa rursus, dissipati bellicis tumultibus adolescentes, quibus erudiendis operam damus: & nos ad consueta munia, etsi ipso etiam belli tempore cessatum minime sit. Expiati militum animi; pax constituta, impedita duella, ægris & saucijs in pedore, & squalore subuentum. Et quia in diuina ope spem potissimum collocarant exercitus Catholici

duces; insperata & diuinitus oblata victoria ita aduersas partes fregit, vt vtrimque ab armis discessum sit. Victoriam illam, de Maliano Generosus Dominus exercitus Imperator, Beatæ Virgini, cui votum religiose nuncuparat, in monte Serrato Hispaniæ persoluendum, acceptam fert. Magna in nos fuit beneuolentia tam illustrium Comitum, Decani & Canonicorum, quàm belli Ducum, qui templum nostrum adire frequenter, rei diuinæ operam dare, precibus intense Deo rem Catholicam commendare, egregio exemplo non destitere. Nos aliis armis pugnauimus, & expugnauimus quosdam magno ipsorum bono: decem sub suaue Ecclesiæ iugum missi. Inter illos octogenarius, professus aliquando Basileæ Dialecticam, vetulus fabularum hereticarum choragus; qui spiritalibus exercitiis perfidiam omnem eluit. Illustris vero conuersio fuit viri egregij plane ac literati, Iosephi Langij; qui amœniores literas Argentinæ magna cum laude palam docuerat, & iam mathesin cœperat. Hic opimi Sacerdotij annuo censu contempto, fama & existimatione, quam sibi apud nos pepererat, neglecta; quam ex libris Illustrissimi Bellarmini, & exemplo iusti Baronij de religione vera conceperat opinionem, palam apud nos professus, hæresimque detestatus, ac salutaribus Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis expiatus, in gremium matris Ecclesiæ magno Catholicorum gaudio, non minore hæreticorum dolore, repositus est. Enimuero hi fremere, calumniari, fraudes & dolos more suo machinari; donec admonitus à suis, cum vxore ac liberis, quos ad Religionem auitam partim adduxit, partim inclinauit, Vrbe excessit. Nunc liberalitatem Illustrissimo

mo

morum Canonicorum, aliorumque experitur promptam, contra atque illi ominabantur, à quibus abiit, mali vates. Speramus exemplum viri huius plurimis scrupulos iniecturum. Alij, qui nutabant, confirmati; subuentum iis, qui Parocho destituti erant; concordia inter multos restaurata; veneficij, aliorumque criminum reis, non defuit opera nostrorum: neque nobis aliorum beneficentia. Illustrissimus Comes à Mandersheit, frater fundatoris nostri, vestes pretiosas quadringentis vel quingentis aureis æstimatas, Collegio dono dedit.

COLLEGIVM CONFLVENTINVM.

CONCIONVM, Catecheseon, ceterorumque officiorum nostræ Societatis, quæ obita hoc anno, nihilo segnius, quam annis superioribus à Nostris, fructus aliquot carptim seligam; ex quibus æstimari de reliquis possit. Duodetriginta domi ad Ecclesiam aggregati sunt, foris quinque. Expiata salutari lauacro baptismatis Hebræa, à nobis Christianæ fidei elementis imbuta. Adolescens item Anabaptista Holandus, qui multum Indico iactatus mari, tandem feliciter apud Confluentes portum attigit, & nunc merces non perituras perseuerat quærere. Confessiones de vniuersa vita exceptæ multæ; sopita odia; dissidia composita; carceres aditi; coacta stipe succursum ægris in Hospitali domo: & inducti, quà verbis, quà exemplo nostrorum, ciues honesti, & matronæ primariæ, vt illud caritatis Christianæ opus insuetum, & insolens hoc loco, sedulo & libenter obirent: cibaria suis

suis manibus adferrent ad ægros. Aliquot dum à nobis corporis salutem expectant, simul animo curati sunt; eam in rem excursum sæpius. Frequentatæ hoc anno ternæ illæ iam solennes, sub Pascha & Natalem diem excursiones, Andernacum, Montaburum, Lincium. Crescit indies Ciuium in nos, & in res sacras propensus affectus: suscitata Lincij maximè multa pietati promouendæ, quæ propemodum obsoleuerant. Inter cetera crucifixi statua elegans in locum diffractæ, & multos annos hæreticorum rabie & incolarum incuria mutilæ, nostro curante substituta. Nec defuit piorum in nos liberalitas. Reuerendissimus Princeps, & generosus Teutonici ordinis Commentator, solitum erga nos animum, & eleemosynam annuam non intermisere. Matrona honesta centum florenos aureos, & cingulum eiusdem propemodum pretij, templo legauit. In loco vicino hæretico vir erat, quem intemperiæ quædam agitabant, adeo vt à dæmone obsessum plerique arbitrarentur; imploratum est auxilium à Lutheranis rabulis, illi indicere preces, adire hominem, solari è verbo Dei: denique omnia tentare, sed frustra, tandem potestas facta accersendi sacerdotem Catholicum. Venimus; sed hominem non exorcismis, sed aphorismis Medicis egere deprehendimus. Ceterum illud non iniucundum accidit. Princeps hæresi infectus, adiit Collegium; dum autem Bibliothecam lustrat, rogat nulline suæ factionis sint libri? Responsum: eos secludi, ne incauto lectori vel nescienti venenum allinant. Probabat factum: idem in horto suo, quem habebat cultissimum, aiebat se mandasse, aconitum cęteraq; letiferas herbas seiungi ab aliis.

Ita

Ita ille seu ioco, seu serio, verum de suis tulit testimonium. Inter discipulos eminent, qui se in Dei matris tutelam dederunt; de quibus non pauca perscribi possent, quæ hic quidem noua, & cum multorum admiratione; sed quia iam alibi similia commemorata sæpius, perstringemus tamen capita; vt quod ipsis Hilaribus, cum alii compotationibus, ipsi precibus vacarent, supplicatione extra vrbem ad montem S. Beati indicta: & quod pulchro exemplo, eluuiem nosodochii, squaloremque verrendo perpurgarunt: quod epulum duodecim seniculis pauperibus dedere magnificum: quod in se publicè flagris animaduerterunt sæpius: quod in solenni altera supplicatione, à Reuerendissimo Archiepiscopo, indicta, multum exemplo suo ciuium pietatem promouerunt; quam anteà peculiari, adhoc instituta ab ipsis supplicatione, accenderant.

COLLEGIVM
PADERBORNENSE.

LICET hic annus insolentissimus omnium ordinum discordiis fessus iuerit, nihil tamen de consuetis Societatis mnneribus omissum, qui iam multos annos ob timorem, aliumue respectum humanum, pecuniæ bono caruerunt; in explicatione Dominicæ passionis, à nostro Concionatore habita commoti, cum animi sensu de peccatis confessi sunt. Eodem concionis præsidio, qui aperti hæretici, aut dubii, se Catholicos profiteri cœperunt. Studium suum verbi diuini auditores factis declararunt, in attrahendis ad Conciones

&

& Collegium doctis indoctisque; quin è nuptijs Prædicantem etiam salutari fraude, monstrandæ Bibliothecæ obtenta, rapuerunt; gauisi, quod loquacissimo illi verbi viro sic os fuerit obstructum, vt coram suis comitibus hæreticis profiteretur, se Iesuitis imparem esse. Nutantes in fide, & iam redi-tum ad hæreseos volutabrũ concludentes, efficaciter retracti & confirmati. Ab impijs falsarum Religionum sectis, ad Catholicã veritatem traducti nouemdecim, quorum nonnullæ conuersiones iucundæ. Venerat huc quidam, vt breui futurus Prædicans, arma à nobis contra nos sumeret, sed is, in cuius manu sunt corda filiorum hominum, excellentius quid eo egit, factus enim ille Catholicus omnia alia cogitauit. Alius hoc sibi insolens in hac ciuitate accidisse narrauit, quod cum primum Lutheranorum ingressus templum confessionis caussâ, duos offenderit ibidem prædicantes, à pecunia verius, quàm à peccatis homines expiantes; quorũ alter hunc pœnitentem pecuniæ spem præbentem, ad se nutu & gestibus (occultè tamen, ne primarius Lupus aduerteret) alliciebat. Ergo ab hoc varijs ex Lutheri prescripto promissionibus oneratus, & nummis emunctus, domum abijt. Insequenti die cænatum eodem reuertit, pane ex summo altari sumpto; & reposita pecunia; progressus ad aram lateralem, vt è calice biberet, præter expectationem etiam hic sibi denuo prius offerendum, quam ex calice quid auferendum, videt; pudore suffusus pedem refert, penetrat turbam, & pecuniam tum quidem pro calice cambit: ceterum de Lutheranismo deserendo cogitare cœpit postea. Philosophiæ Magister, & Iuris studiosus, cum et Battauica Academia hanc Ciuitatem intrasset,

&

& ad ciuem nuper conuerſum diuertiſſet; cœpit, vt iſti ſcioli ſolent, iacere rete, quo hoſpitem ſuum caperet, ſed comprehenſus eſt aſtutus in aſtutia ſua; perductus enim ad Collegium, & conuictus ex Lutheri tomis, manus dedit: Luthericam euertit conſcientiam, & priorem errorem carmine Heroico, erat enim laureatus Poëta, execratus, veram fidem proteſtatus eſt. Qui bibliothecam ſuam, maiorem partem hæreticam, ægrè purgari patiebatur, permotus tandem Apoſtolico exemplo, Act. 19. omnes libros ſuſpectos, noſtro arbitratui tradidit: & Societatis opera Catholicos comparauit. Summa hæreſis impunitas, & vitæ licentia, confeſſionis Sacramentum his in regionibus propè eneruauit; an piè, an ſacrilegè obeatur, non magno æſtimant: qua in re nulli parcitum operæ, iſque ſecutus conſolationis fructus, quē libentius admiramur, quàm ſcribimus. Nobiles, ignobileſque, nunquam ante Noſtris vulnera ſua aperire auſi, medicina confeſſionis de omni præterita vita ſanati. Premebatur non nemo iàm inde à triginta annis, varijs Conſcientiæ terroribus; nequit alijs ſatis prædicare, quantum ſit conſolationis, Sacerdoti Societatis confiteri. Ad hebdomadarium Sacramentorum vſum, poſt Confeſſiones vniuerſales, inducti quidam. Inter diſcordes coniuges pax poſita; pellicatus vt in matrimonium tranſiret, effectum: per ſacra Agni Dei ſymbola, metalla benedicta, & luſtralem lympham, multi conſolationem & auxilium vnà ſenſerunt; quidam filium ſuum deſperatæ à Medicis valetudinis, ad templi aquiminale duxit; intra paucas horas linguæ enormiter inflatæ tumor abſceſſit, non ſine omnium ſtapore; vt iterum loqui & comedere potuerit. Pompæ Theo-

Theophoriarum illuſtriores redditæ, ob comitatum & præſentiam perſonarum authoritate valentium, ad eas celebrandas noſtrâ operâ inductarum. Iuuentus numero & virtute niteſcit; cui hoc anno Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps, non tantum ſedulitati, & doctrinæ præmia dedit; ſed deinceps quoque ſe ſoluturum recepit. Ex hæreticis locis plurimi, non ſine fremitu ludimagiſtrorum illorum, noſtris præceptoribus imbuendi ſunt traditi. Tres hinc in tyrocinium migrarunt ad diſcenda Societatis rudimenta; è principijs Emanuelis alter, vt Coadiutor ſit: è Rhetorica duo. Quidam ex Caluiniana vniuerſitate, deſerta optima conditione, huc ſe contulit: elegit apud Catholicos ſiccum magis panem, quam inter Sacrilegos delicias. Per Studioſos priſca reuocatur conſuetudo, feria ſexta & Sabbato abſtinendi à carnibus. Sunt enim parentibus, alijſque exemplo & eruditioni. Excellunt verò Parthenij, quorum virtus ſe oſtendit toto quidem annô, Sacramentorum, Ciliciorum, ſpontanearumque diuerberationum vſu; maximè tamen, per quadragintadiale Ieiuniũ: ac Dominicę Cœnæ memoria die ſacro, prandium duodecim pauperibus præbuerunt. Ciuis quidam honeſtus ſingulorum pedes abluit, numaria impertita eleemoſyna. Tribus illis ſanctioribus diebus, continue interdiu ad ſepulchrum Domini orauerunt. Spectaculum lugubre ſua induſtria iucundum reddiderunt, quando Sodalem cyrcęo pane à venefica quadam enectum, raro exemplo tumularunt. piè ſane Adoleſcens ſeſe toto ſeptennio, quo cum morbo luctatus eſt, ad mortem præparauit. Vnum enim puerum, præter alios quotidianis eleemoſynis adiutos, pæne ſolus ſuſtentauit:
nun-

nunquã præstigiatricem verbulo læsit. Sodalitium Angelicum nihil cedere conatur Parthenico, tũ in operibus misericordię procurandis, tũ voluntariis verberibus, tam priuatos inter, quam publicos parietes; Cingula potius, & interulæ cilicinæ, quam frequentia postulantium vota defuêre. Iucundissimam alacritatem feria quinta magnæ hebdomadis exhibuerunt, dum duodecim pauperes albis panibus, vino, musicâ, refecerunt. Experti sumus item in difficultatibus scholasticis, Consulum fauorem, licet Resp. turbata, ac ipsimet vix securi vitæ essent, imò nuper etiam ciuium in studiosos didicimus animos, cum quidam Catilinæ omnia sursum deorsumque vertere adlaborarent, atque suum psephisma furiosè vrgerent; vt vno temporis puncto vniuersi nostri studiosi vrbe exigerentur, vulgò persuadentes, nihil domi à Ciuibus dici, quod studiosi Iesuitis non referrent, hi Principi. Huic figmento, exceptis desperatorum asseclis, reclamarunt omnes etiam hæretici. Foris quoque fundatum, in itinere mercatoribus persuasum, vt diebus ab Ecclesia prohibitis carnes non comederent: neue libros hæresi infectos legerent, aures Rabulis euangelicis accommodarent. Hebdomade sanctiore, quæ anastasim præcedit, Nobilis quidam vnum è nostris in Ciuitatem hæreticam euocauit, in quam conscripti ad Exomogesin faciendam, ex diuersis remotis locis duodecim Nobiles; inter quos duo, abiecta contumacia, suauissimo Romanę Ecclesiæ iugo colla subdiderunt, & vnà cum alijs per mediam ciuitatem, ad templum quoddã Religiosorum, supplicantium forma inusitato exemplo, ciuibus admirantibus se contulerunt sacrificio Missæ interfuturi, & diuinum epulum

pulum celebraturi. Ad rogū damnatis veneficis & lycanthrópis, vtiliter opera nauata: vnius, quæ nullis verborum machinis expugnari poterat, vltima die insignis conuersio, laudem & beneuolentiam Societati peperit. Alia per nos casses diaboli euasit. Quàm grata nostra opera fuerit, ostendunt trium pagorum rustici, cum viginti quatuor plaustra lignorum, in grati animi significationem obtulerunt. Hoc anno prouidentia diuina opportunissimam, & nostris vsibus exoptatissimam domum cum horto & viuario, inter duo amœnissima Paderæ fluenta, media fere in ciuitate liberam ab arbitris, stupentibus & indignantibus hæreticis, accepimus. Denique Reuerendissimi & Illustrissimi Principis beneuolentia hoc anno, quam in tertium annum, maleuolorum nubibus obductam, non videbamus, reluxit. Reuerendum Patrem Visitatorem ad se euocauit, & perhonorificè accepit, & de fundatione Collegij tractauit; quam re ipsa secuturam speramus. Quam antè vulgi sermones iactabatur, Societati domum ædificari cœptam, eum traditurus; nuper vrsit, vt aliqui immigrarent. Duo igitur incolunt. Vt Sacellanum Reuerendissimi mors sustulit, cœpit sua Celsitudo vti nostro sacerdote tantisper. Aulicus quidam perpetuò Societati nostræ detrahebat, moriturus tamen, ea nocte, quæ vltima vitæ fuit, sæpius ingeminauit nomen Patris illius, de quo infandum crimen falso sparserat; & sibi in supremo certamine adesse voluit. Manè adfuit. Didicerunt videlicet omnes, quando viderunt eidem inimico funebrem haberi à nostro concionem, Societatem nouisse in bono vincere malum.

COLLE-

COLLEGIVM MONASTERIENSE.

VBERIORIS messis occasio fuit Iubilæum, hoc anno his locis promulgatum; comparari ad id omni studio animi, nostrorum opera. Summa doctrinæ Catholicæ de Indulgentijs breuiter & perspicuè comprehensa, typis descripta, ad Curiones missa est, vt pro concione populo explicarent, quod factum magno cum fructu. Excitati sunt è vicinis stabulis duo Caluini de grege, qui allatrare ausi, & schedia quędam palam spargere, etiam in Vrbem inferre; sed maturè à Magistratu itum est obuiam: proscriptæ illicò pestiferæ merces, cum institore suo. Catholicorum planè nouus feruor extitit. Indicta supplicatio celeberrima, prorsus inusitata ab annis plus minus septuaginta, seu apparatum, seu frequentiam spectes. Vexillum splendidum, insignia Serenissimi Electoris, inter Diuorum Petri & Pauli, Caroli Magni & Ludgeri imagines ostentans, à tribus nobilissimis adolescentibus per vices efferebatur, præcinentibus quatuor tubicinibus, & præeuntibus tædis octo: cingentibus verò hinc inde adolescentibus è flore nobilitatis. Clerus omnis & Parthenij Sodales, in suas quisque Classes pulchre centuriati prodibant; aureæ, argenteæque statuæ, quæ iam inde ab Anabaptistico furore delituerant, nec vnquam fuerant palam, circumlatę. Et ne singula persequar, eâ modestiâ, religione, ac maiestate res gesta, vt Vespertiliones nostri admodum hac luce perculsi, oculis vehementer doluerint. Pulchrum in primis specta-

ſpectaculum prębuere Sodales, licet & ſupplicati-onis authores & incentores, præter Noſtros, magna ex parte fuerint; iucundiſſimum, inquam, ſpectaculũ dedere, cum pauperes mille octingentos in aream ſcholarum coactos, per Reuerendiſſimũ Suffraganeũ, lumen & decus non Cleri tantùm ſed & totius ditionis huius, præfectum ſuum, & Noſtros Patres, principiis Religionis noſtræ diligenter imbutos, liberali eleemoſyna donarũt. Quo facto ad piam æmulationẽ incitatus Nobilis Dominus Cathedralis Decanus Eccleſiæ; qui vbi id intellexit, ſuo & Collegarum ſuorum nomine liberaliſſimè pecunias in pauperes erogandas curauit. Sequuntur dein Eccleſię aliæ; ſed & Ciues opulentiores pro ſuis quiſque facultatibus. Quod Chriſtianę pietatis opus hæretici noſtri, qui cetera carpebant, non potuere non admirari, & probare. Ipſo Pentecoſtes die, qui Indulgentijs promerendis dictus erat, in templo noſtro mille quinquaginta, in Paræcijs propè innumeri, Sacroſancta Euchariſtia refecti ſunt. Illud porro notare eſt, mirè confirmatos & erectos Catholicorum animos, & deiectos aduerſarios, qui omnes ſuos conatus irritos eſſe viderunt, ideoque minus iam impudenter ſuam exhalant mephytim. Plurimum iam Catholicam promouent, qui ex ſcholis noſtris prodiere Parochi; ſed & aliorum inſignis in religione conſtantia eluxit, quam nobis Doctoribus hauſerant. Fuit, qui ex Holandia, in qua triennium mercatori perditè Caluiniano operam dederat, huc expiandæ Conſcientiæ gratia ad nos ſe conferret. Virgo pia in domo hæreſi infecta ad prandium compulſa, neque ludibrijs, neque ſannis, neque fraude quorundam, qui ſe Catholicos mentiebantur, & licere

veſci

vesci quibusuis appositis, si aliud non daretur, deblaterabant: neque vlla demum ratione induci potuit, vt aut carnes, aut pisces carnium contactu infectos gustaret. Quare certatim superstitiosam, à Iesuitis seductam proclamare, maximè cum orbem saltatorium versare cum ceteris recusaret. Alia varia tentata, vt Religionem, quam à nobis didicerat, abijceret ;non tamen præstitit; sed & matrem nutantem erexit, & ad Confessionem communionemque adduxit. Non par alterius constantia & grauitas fuit, quæ anum fatidicam adijt & audijt, nocte vero insequenti miris spectris territa, visa præfocari à Dæmone, donec ad Pænitentiæ remedia confugit, vnde & alter, qui iam laqueum sibi pararat, opem consecutus est. Adducta ad nos est femina, quę energumena credebatur; sed remissa, quod nulla indicia aduerteremus; dum curru insidet ipso itinere, ecce tibi biduo columba niuea identidem aduolās, quasi immurmurat nescio quid in aurem. Illa se monitam, ait, Monasterium repetat, ibi liberandam ab insessore dæmone. Redijt itaque ad nos, edocta munire se signo Crucis, & columbę illi occinere, si reuertat, Omnis spiritus laudet Dominum : tum etiam conspuere accedentem; ita ab omni morbo, omnique illo consortio cum illa columbâ liberata est. Illustre illud : Mercator ex Hollandia huc venerat, ad Francofurtunas nundinas iturus, qui religioni, quam in nostris scholis ante annos aliquot didicerat, iam septimum annum lucrum antepofuerat. Hic dum templa Vrbis huius lustrat, in picturam incidit, quæ supremum Christi iudicium referebat, quo spectaculo totus cohorruit: & licet salutarem illum timorem varijs artibus conaretur excutere; non

tamen; adeo vt cum socijs se itineri dare non auderet, præ conscientiæ terrore: nec animo prius quieto esse potuit, quam per exomologesin cum Deo in gratiam redijt. Quindecim ab hæresi absoluti: libri noxii subtracti, odia sopita; capitales inimicitiæ compositæ, disiectæ perniciosæ societates, aliaque id genus præstita. Fuere qui flagris, catenulis, ciliciis crebrò carnem edomarent, non tantum Sodales Parthenii, sed & matronæ honestæ & Virgines. Scholę florent; etiam ex vrbibus sub Caluini iugo gementibus pelliciunt auditores. Oldenzalia vna, veteres Salios inde emigrasse nonnulli putant, denos quinos misit, licet Buccinatores Caluiniani non desinant palá è suggestu contra furere; sed adeò feliciter, vt quidam, qui eam ob ré traducebatur à Rabula, filium alterum, qui inter Lutheranos agebat, inde reuocatum, huc ad fratrem nobis operam dantem, miserit, eadem disciplina imbuendũ. Interim rumpuntur ilia Codris illis, parricidas filiorum parentes illos proclamant; sed vano boatu. Ostendêre sępe pietaté discipuli, siue in respuendis constantissimè vetitis cibis, siue in hęreticorũ contra nos aut religionem nostrã calumniis, siue in adducendis ad faciendam peccatorum confessionem; adeò vt puer quidã sexagenarium, à miliari vno, eam in rem huc attraxerit. Creuit liberalitate piorum res domestica, & templi supellex. Æs alienum mille dalerorum, quo iam premebamur, dissolutum: trecenti amplius Daleri ad inopiam subleuandam dati: totidem ad templi ornatum, accessere peripetasmata auro argentoque intexta quinque, vnà cum vestibus sacerdotalibus omnibus magni pretii: aliaque nonnulla, quibus suum in nos, templumque nostrum animum declararunt.

MISSIO

MISSIO RITBERGENSIS.

ETSI non abs re missio Ritbergensis produci videbatur longius, quàm fortassis rationes Societatis ferrent; egerunt tamen magno studio Comites generosi cum superioribus, ne operâ Nostrorum, in hisce recentibus conuersionis principiis destituerentur. Hęresin deseruerunt Nostrorum opera quatuordecim, pluresque supersunt religionis Catholicæ candidati. Fuit Adolescens domi nobilis, obfirmatus adeò in Lutheranismo, vt amplius biennium in illo expugnando nequicquã laboratum sit. Hoc primum anno, cum Iubilæi gratiam festo Ascensionis celebratum iri in Arcis sacello cognosceret, magno se ardore dedidit; etsi matrem videbat ex infelici dolore dies aliquot decumbere, vixque posse sustinere filii aspectum. Vt autem iuuenis ob bilem matris ne fatisceret, Ill. Comes Ioannes eum ad se, vt tum ex pedum dolore in lectulo attinebatur, euocauit, & acri oratione ad constantiã incitauit. Hoc vero vt exemplum vidit soror adolescentis natu grandior, quamuis iras matris longè magis formidabat; tamen conueniendi Patris furtiuam captauit occasionem: postque auditam accuratius doctrinam Catholicam, manus dedit. Quidam ad hæc nobili genere, in aulis hæreticis annos non paucos exegerat, obduratior in erroribus, hunc cum ab Hungarico reducem bello sacerdos humanius esset per varia interualla allocutus; venit tandem vltro in cubiculum, petiitque de Confessione informari: nec mul-

tò post Sacramenta singulari pietate vsurpauit, vt iam mirentur, in bellicoso homine, admirandam metamorphosin Aulici. Alterum, idem, ex eadem expeditione reuersum, cum morbus grauior occupasset, bidui magno labore, diu multumque tergiuersantem, exemptis omnibus scrupulis traduxit ad fidem. Adierat officij caussa, ex ditione Comitis non Catholici, Virgo nobilis arcem, vel primis ab annis hæresi tam addicta, vetulo vt Prædicanti psalmodiam impiam è suggestu inchoanti, succentricis operam, conspicuo in loco præstaret; quæ auditis concionibus, cum experiuisset colloquium de Religione, capta ad extremum fuit: neque prius discessit, quàm hic obeundis Eucharistiæ & Pœnitentiæ Sacramentis Catholicam sese factam ostendisset. Et quoniam erat huic Virgini cautè procedendum, ne mutationē intempestiuiùs cognoscerent hæretici; Comites ipsi propinquam eius, induratam in Lutheri stultitia, distulerunt in seram noctem, dum in sacello confessionem Virgo absolueret; vixque reuerterat domum, cum Lutherani Nobilis Collegij Antistitam, honoratam feminam permouit, vt Patrem ad se vocaret; quæ licet hæresin pertinaciter diu adamarat, tamen mutauit omnino animum, decreuitque abdicato Luthero, referre se ad maiorum fidem; utque securius confiteretur, quoniam Ritperga est nimium suspecta, vir Nobilis, & ipse emersus ex hæresi, obtulit hospitium arcis suæ; vt per speciem epuli inuitentur Virgines, ac tum adiungantur ad Ecclesiam. Nam cum Virginis Ritpergæ conuersæ feruorem notasset Prædicans, quod iam recusaret cantillare in templo, & obuerso tergo pium in librum esset abrepta; furere cœpit ac bacchari; & tamen Virgo nobilis

nobilis perſtitit, ſororemque acciri è vicino loco curauit, vt ipſa quoque eriperetur ex inueteratis malis opinionibus. Miles quidam ſaucius apud hæreticum decumbens, Sacramentis Catholicè munitus eſt: & altera Virgo in fide, quam non ita pridem ſuſceperat, nutans, firmata. Edixit ſerio generoſus Comes, ne feſtis diebus vlli ſubditorum, itare in arcis ſacellum cupientium, aditus pręcluderetur: & iuſſit præterea nobiles, Equiteſque non Catholicos, qui adhuc refugerant templi conciones, conſequi ſeſe, vt iam numerus auditorum ſit denſior, ſpeſque appareat non paruula, complures captum iri. Excurſum inſuper ad varias Nobilium arces, vulgique mappalia, & in agrum finitimum, vt paullatim primores Societati conciliarentur, & rudis turba Catholicam fidem, pietatemque cognoſceret: nec vertit malè apud nobiles, quorum animos pellexit in ſtudium Societatis, & reſipuere item plebei, apud quos tanta eſt in hoc tractu ignoratio rerum ſacrarum, vt oblata Crucis imagine, myſteriũ ſe neſcire affirment, & pręcepta à ſe diuina ſeruari poſſe impudenter abnegent. Sed eſt in hac ora cacodęmonum in filios diffidentiæ mira poteſtas, vt incantationibus veneficiiſque non pauci ſint addicti, cogaturque Magiſtratus ob maleficiorum graues iniurias, ſeueras habere de ſontibus quęſtiones; quare præter captiuos alios, quos viſere Pater ſolet, etiam ſagarum carcerem luſtrauit. Erat verò ex veneficorum numero decrepita anicula, quæ pertinaciore ſilentio obdurarat aduerſus acerbiſſima tormenta; cui poſtridie, aſſiſtentibus claro die excubitoribus, ceruices diabolus eliſit; quod euenit etiam alteri, cum ſtaret erecta apud quæſitores, leuiterque tantummodo

in dexterum humerum caput reduceret. Igitur in aperiendis diaboli fraudibus, & explicandis veneficiorum caussis, suggerendisque remediis laborandum apud Catholicos hæreticosque, haud modicè fuit. Puella iacebat rusticana horrendis exagitata intemperijs, quarum finem inuenire mœsti parentes cum non possent, Ritberga bis Patrem euocarunt, qui in frequenti confluxu agrestium censuit placandum ante omnia sollicitis precibus Deum, nixusque genibus cum Rusticorum turba fecit orationem: deinde audiit confessionem ægrotæ, perque hanc occasionem de Cacodæmonum callidis imposturis euitandis admonuit conuenas, & separatim improbi detexit plani fraudes, qui ex monstroso libello coniurationes se felicius editurum iactabat, quam faciant sacerdotes Catholici; nam cum illum valde premeret noster, ad promendum exorcismorum volumen, tergiuersari tandem cœpit, donec vulgus hominis impietatem pænè tangeret, atque etiam apud Patrem detestaretur. Libri noxij sublati; subuentum iis, qui morbo aut egestate premebantur; captiuis à generosis Comitibus venia impetrata. Cum autem ab Vngarico perdifficili bello sospes tandē reuertisset Comes, cordi fuit illi in primis, vt grati animi testificandi causa, cum generosa Coniuge familiaribusque aliis, religiose Sacramenta perciperet: tum quoque pecuniam copiosam, quam pro incolumi reditu desponderat, in pauperes expenderet. Sed assecIæ Martiales, cum se in otium recepissent Aulæ, ex molestissimis hybernis morbo duriter affligi cœperunt, quare viscera materni amoris in illos præcipuo studio effudit pia Comitis coniux; dumque Pater obiit lectos clinicorum, audit exomologeses;

geſes, corpora diligenter ipſa curabat: nec cellam modò patere vinariam ac penu volebat, ſed ſuo in cubiculo habiliorem confouendis ſtomachis cibum coqui. Inter hæc viſum exercere Illuſtrium fidei tyronum patientiam Deo, extincto præter opinionem filiolo primogenito, quem lætitia, ſuperiori æſtate, ſuſceperant, quod contigit eo die, quo Saluator commune generis humani delictum atroci morte perſoluerat; cum ambo Comites vſque in multam veſperam, pro ſalute infantuli comprecati ante diuinam Euchariſtiam fuiſſent; neque tamen ceciderunt animis, cum enim inauditum eſt in cubiculo de interitu pueri, conuerſa ad Illuſtriſſimum maritum Generoſa Domina: Bono, inquit, animo ſimus, mi Domine, hodie Saluator noſter mortem pertulit, & cum ipſo paruulus noſter expirauit; certi equidem ſumus, optimè eſſe defuncto: incerti eramus de ventura ætate, quâ poterat intellectum eius mutare malitia: abſtulit primitias matrimonij Dominus: compenſabit eaſdem nouâ benedictione. Vt autem rara eſt ſola calamitas, ita ſuper hoc vulnus additum aliud eſt poſtridie, cum nunciatum fuit, Comitem fratrem, quem ſperabant adiunctum iri Eccleſiæ, in ætatis flore extinctũ in itinere; tum vicem animę miſerati non fleuerunt, ſed eiularunt, vixque vllam admiſere conſolationem: & tamẽ ſequenti die communionem piè admodum in ſacello celebrarunt: paulloque poſt cum funebri Catholica ſymphonia efferri ad ſepulcrum infantulum curarunt. Neque voluit opportuno dolori lenimento deſtitui Generoſos Comites Deus. Nam Pontifex Max. amantiſſimas miſit literas, quibus dolorem piorum Dominorum perhumaniter mitigabat; & partum no-

uæ ſobolis, paterno prorſus affectu, cum Apoſtolica benedictóne imprecabatur. Dein adulto fermè Autumno, cum ſe breui ſpatio bis percipiendæ religiosè cæleſti Euchariſtiæ comparaſſet Domina, feliciter enixa filiolum fuit, quam Noſter in conuentu ſpendidæ Nobilitatis, ſuſcipiente Illuſtriſſimo Paderbornenſium Principe, baptizauit in ſacello, poſt habitam de Regenerationis myſterio ceremonijſque concionem, quæ tam ſecundis auribus eſt excepta ab hæreticis nobilibus, vt dixerint, ſe vel diem integrum audituros ſacerdotem fuiſſe: ſeque etiam ſeparatim perbeneuolos Patri oſtenderunt: ac breuiter, facit lætitiam bonis Comitibus eximiam, quod videant, non modo Religionem hic inſtauratam bene ſuccreſcere; verum etiam Ritpergam ſuam effici paullatim tutum confugium illorum, qui in finitimis ditionibus Dominorum non Catholicorum deliteſcunt fideles: vel qui pertæſi erroris, etiam redire ad maiorum religionē cupiunt: ac fecere duo Legati à Comitibus non Catholicis, qui confectis negotijs hinc relegere viam prius noluerunt, quam, facta exomologeſi, ſacram Euchariſtiam publicè percepiſſent.

COLLEGIVM
HILDESHEIMENSE.

OPERA Noſtrorum cum pijs, tum impijs fructuoſa fuit, Conciones ordinariæ in ſumma æde, & diuerſis in pagis, magno Auditorum bono, frequenter ſunt habitæ.. Exercitijs ſpiritualibus aliquot exculti: artes magicæ abiectæ: plures tùm Eccleſiaſtici, tum ſæculares, ad frequentio-

rem

rem vſum ſacramentorum traducti: epulis cæleſtibus accubuere bis mille, ſexcenti ſexaginta. In duobus pagis ab vno tantum Sacerdote tredecim ſupra ſexcentas confeſſiones auditæ: conſuetudo ſæpius communicandi introducta. Doctrina Chriſtiana hucuſque propter pericula, quæ ab hæreticis imminere videbantur, intra mœnia in vnico ſacello ſe continebat. Hoc tandem anno in quatuor pagis, maximo incolarum fructu, explicari cœpta; in quibus tanta erat ruditas, vt vir quidam quadraginta circiter annorum, publice profeſſus ſit, ſe nunc demum cognouiſſe, quis orationis Dominicæ, ſalutationis Angelicæ, & ſymboli Apoſtolici author extiterit. Malæ conſuetudines abrogatæ; & quòd diebus feſtis, facta Eleuatione, turmatim templo excurrebant. Inducti ſunt etiam, vt templum ingredientes & egredientes, aqua benedicta ſe aſpergant. Is amor Roſariorũ in vno pago excitatus eſt, vt viri iuxta ac feminæ nec precibus, nec pretio parcant, vt habeant: nec aliter, quam collo appenſa circumferant, quò nocte vti poſſint. Nonnulli ſub hæretico Principe degentes, Roſariis pænè quotidianis, quæ ſub concione ſuorum miniſtrorum identidem recitant, religionis mutationem, per interceſſionem Beatæ Virginis, ſe impetraturos ſperant. Egregia in ornandis templis ſuis & ſtatuis, Ruſticorum liberalitas extitit. Supplicationes longo tempore intermiſſæ, ſuadente noſtro ſacerdote, iam reuocatæ ſunt. Horum ſtudium in templi ornatu, pagi vicini æmulantur, & ſupplicationes intermiſſas omnino reuocare in animum induxerunt. Itum præterea eſt bis ad loca quædam Saxoniæ remotiora, quæ Principibus à Catholica religione alienis parent; vbi ſacer-

ſacerdotes in audiendis Confeſſionibus, & ſacris faciendis inſtituti: modus ritè confitendi pleriſque traditus; centum circiter, per Confeſſionem peccatorum, conſcientias ſuas emacularunt, & ad meliorem vitam ſe receperunt. Inter nonnullos diu multumque diſſidentes, pax compoſita eſt. Maritus cum vxore quatuor annis, non optimè conueniebat: res eò deducta erat, vt filij parenti vitrico mortem minitarentur. Perſuaſum omnibus, vt præmiſſa generali confeſſione, iras & ſimultates ponerent: viro præterea, vt, quàm hactenus factum fuerat, rebus diuinis ſtudioſius operam daret, pecuniarum amori modum poneret: vxor, vt marito præiret exemplo, quod præcipuum erat in ſuo mundo muliebri, cingulum argenteum D. Virgini ſacrum eſſe voluit; vt, quo ipſa mundo ſeruiens ſe cinxerat, modo corona argentea caput D. Virginis cingeret. Item duo alij, qui diu fatale odium fouerant, ac alter alteri mortem minatus fuerat, ope noſtri ſacerdotis, datis vtrimque dextris, reconciliati ſunt. Mulier ægra, voto D. Virgini facto, habere cœpit melius. Quidam ex vicina ciuitate hæretica oriundus, cum diu aduerſa valetudine laboraſſet, nec ſanitatem recuperare poſſet; vouit Deo, Catholicum ſe futurum, ſi priſtinæ valetudini reſtitueretur. Voto facto, ſtatim ſanitati reſtitutus fuit, & votum Deo reddidit. Qui cum publico ſcandalo, vxore viuente, multos iam annos pellici aſſueuerat, ad ſaniorem mentem reductus. Gymnaſium noſtrum curſum ſuum tenet, & celebratur conſilio & iuſſu R. P. Viſitatoris. Claſſes in domo Collegio vicina coniunximus, quas alias, non ſine magno noſtrorum incommodo, diuerſis in locis habuimus. Ære campano iam Di-
ſcipulos

cipulos noſtros conuocamus, & hæreticorum auditoribus deſiderium noſtri Gymnaſij excitamus. Ægrè ferunt verbi miniſtri, tam inſignes Adoleſcentes ex diuerſis locis ad nos confluere: Superintendens in patriam & nomina ſingulorum diligenter inquiſiuit; vt à Principibus Lutheranis, per ſuos ſymmiſtas, interdicta extorqueat, quibus reuocentur. Sed brutum fulmen parum terret pleroſque. Sunt qui dicant, ſe potius patriam, parentes, & omnia derelicturos, quam agnitam ſemel Catholicam veritatem. Nobilis puer in ſcholis noſtris Eccleſiæ partus, vehementer à matre, cognatis, & Prædicantibus ſollicitatus fuit, vt ad hæreticos rediret; maximè cum Princeps mandato interdixiſſet, ne vel nobiles, vel alij ſubditi, filios ad Ieſuitarum ſcholas amandarent: & qui eas frequentarent, quamprimum reuocarentur. Sed irrito planè conatu; nam non ſolum omnibus illorum artibus illuſit, ſed etiam animo obfirmato ſtatuit, potius in exteris terris oſtiatim ſtipem colligere, quam à Catholica religione iterũ deficere. Quatuor ex Noſtris diſcipulis ad S. Benedicti diſciplinam ſe receperunt, quam alter, noſter itidem aliquando diſcipulus, deſeruit infeliciter. Non multò enim poſt nefariam defectionem, dum ſpiritu Lutherano, meroque ebrius bacchatur cum ſuis, quatuor illi letalia vulnera inflicta: & quamuis mortem euaſerit, ægrè licet, vſu tamen dexteræ manus, qua iuramentum ſceleratum præſtiterat, nunquam ſe popinam Lutheri deſerturum, priuatus perpetuò: ad hæc pronus, velut incuruiceruicum pecus ingreditur, deſpectans ſibi paratas apud inferos ſedes. Sodalitas B. V. in dies magis & magis effloreſcit, cui iam non tantùm adoleſcen-

tes,

tes, sed etiam viri graues Ecclesiastici, tam cathedralis, quam aliarum Ecclesiarum Canonici, nomina sua dare cœperunt; è quibus vnus, genere nobilis, ac virtute, olim Collegij Germanici Alumnus, hoc tempore Sodalitatis præfectum agit. Parochus quidam, nunquam alias Nostris confiteri solitus, ad Sodalitatis probationem admissus, octauo quoque die optimo Catholicorum exemplo, publicè nostro sacerdoti exomologesin facit. Corporis flagellationes, & cilicia spontè suscipiunt: Diuam Virginem singulari amore prosequuntur. Pauper quidam pane & aquâ propemodum victitans, nummos nomine eleemosynæ sibi datos studiosè collegit, & imaginem D. Virginis annunciatę, inscio Patre Sodalitatis, quatuor daleris artificiosè pingi curauit, eamque Sodalitati obtulit. Abducti ab hęresi triginta sex; inter quos adolescens quidam Martinus Lutherus, eiusdem planè nominis cum notissimo illo Germaniæ hæresiarcha; qui tanti à Prędicantibus fiebat, vt sperauerint, imò etiam dixerint, per illum Lutheranismum iterum instaurandum. Sed spe frustrati sunt: nam per Diuæ Virginis Sodalem ad sacerdotem nostrum adductus est; qui ei ex tomis Lutheri, doctrinę Luthetanæ ortum & progressum à diabolo esse, perspicuè monstrauit: itemque Lutherum credidisse, & docuisse diabolum ritè Pastoris officio fungi, & Sacramenta administrare posse. Post hunc congressum, valdè humanitatem nostri sacerdotis admiratus, religionem sibi faciebat, quod antea tanto odio Iesuitas fuisset prosequutus: cumque iterum & tertiò accessisset, constitutum planè habuit, Luthe-

ro

ro vnà cum hæresi nuncium remittere, & in gremium Ecclesiæ Catholiæ se recipere. Interea superintendens de re certior factus, & Rector scholæ, qui adolescentem non tantùm nebulonem publicè in auditorio proclamauit; sed mandauit insuper, hospes supellectilem eius quam diligentissimè includeret, nec quicquam ei, nisi iussus restitueret: apud quem adolescens, fide ardens, cum sermonem de religione, & contradictionibus Lutheri instituisset, ad Superintendentem abire iussit, se Philosophum, non Theologum esse dictitans. Instabant etiam condiscipuli, vt vel propter nomen suum Pappista ne fieret Superintendens multis modis eum reuocare à veritatis luce conatus fuit, timebat nimirum, ne summo cum dedecore ipsorum, Martinus Lutherus scholas Iesuitarum frequentaret. Itaque cum aliud non possent, negant supellectilem se restituros, nisi chirographo testetur, se apud maledictos Iesuitas literis operam non daturum, nil recusauit adolescens, sic enim ipse secum cogitabat. Non equidem apud maledictos Iesuitas in studia literarum incumbam, sed apud benedictos; ac proinde haud inuitus tale chirographum ipsis relinquam. Igitur dato chirographo, & supellectile recepta, quamprimum ad nos aduolauit: & inscijs omnibus, per octo dies Exercitijs spiritualibus animum magis excoluit: ac tandem facta professione fidei, & animo per confessionem expiato, sacraque Communione percepta, aliò studiorum prosequendorum caussa ad Nostros profectus est. Alius Adolescens noster discipulus nomine Benedictus Eggardus, cuius & parens Prædicans, & auus Superintendens, antequam

antequam ab hæresi absolueretur, maius certamen cum eodem superintendente, & aliis verbi Ministris habuit. Nam cũ suis popularibus, hęreticorum scholas frequentantibus, affirmasset se ad fidẽ Catholicam inclinare; Lutheranam Ecclesiam diaboli synagogam esse; vehementer rogarunt, vt non pateretur se à Iesuitis decipi: vna cum ipsis superintendentem adiret, & ea quæ dixisset, probaret; si vera conuinceret, se Catholicos futuros: sin minus, ipse Lutheranus, vt erat, maneret, eorumque scholas adiret. Accepta conditio, & superintendenti ab illis indicata; qui adolescentem per Deum obtestari, se conueniat, suasque difficultates proponat. Factum; accipitur primò humaniter; sed vbi cœpit premere acrius, illico homini fastuoso bilis in naribus: petit adolescens, aliquem sibi nominari, qui idem prorsus cũ ipsis senserit vnquam. Hic primum furere Doctor ille Euangelicus: solennem hanc Iesuitarum esse cantilenam dictitare: tandem Ioannem Huss, execrandæ memoriæ hominem edere: verum cum adolescens reuersus ostendisset, in scheda etiam allata, discrepare eos maximè; pro Lutherana modestia discerpsit schedam, & obbrutuit. Deinde adolescens de libris Lutheri quæsiuit, in quibus se aiebat apud Iesuitas nimis quam obscœna & indigna legisse; & ipsum adeo Lutherum in sua doctrina dubium, & in omnibus inconstantem agnouisse; ad quæ cum Doctor ille nihil aliud respondisset, quam frigidum illud: Quid tibi cum tomis Lutheri? occupationes prætendens adolescentem dimisit, aliàs redire iussit, fecit ille quod erat iussus; sed vix tandem cum tertium rediisset, aditum inuenit; quoniam magnus ille minister sibi à puero

metuens,

metuens, tres alios Prædicantes in consilum adhibuit. Actum primò de locis notatis ex tomis Lutheri, posuerat inter cetera, tanquã superbè & impiè dictũ à Luthero, se Euangelistam esse, nec doctrinam suam aliunde, quam à Christo de cælo acceρisse. Hinc stomachari & indignari Prædicantes, & dicere: Ecquis hic error est? quę impietas? nonne nos omnes Euangelium habemus à Christo? nonne Lutherus fuit Euangelista? nonne hic superindens noster: nonne cæteri Collegæ nostri: nonne parens tuus est Euangelista Dei? tum adolescens: Modeste, inquit, mecum agatis velim, si in viam reducere me paratis; alias me potius deterrebitis. Nam si Lutherus fuit Euangelista Dei, & ore Christi locutus est, omnia quæcunque docuit, firmiter ab omnibus sunt credenda. Quod cum illi assensi essent, protulit confestim sententias Lutheri contrarias de numero Sacramentorum, de alijs; ex quibus cum se explicare non possent, neque tamen absisterent adolescentem perurgere, in fide Euangelica & Apostolica permaneret; Agedum, inquit, primum & certum Papisticæ religionis authorem nominate: tempus, locum, quo primum secta illa cœperit designate, & vester ero. Cui superintendens: Mi Benedicte intermitte ista, & nostras scholas ini; dabimus operam, vt bonum hospitium habeas. Sed ille: certum authorem, quæso vos, Papisticæ Religionis date. Hic superintendens: Innocentius incœpit, ait; non fuit tamen omnium primus, sed nonnulli ipsum antecesserunt, quos non ita nominare possumus. Cum vero adolescens mentionem sancti Dionysij, de quo forte audierat, fecisset: illumque in doctrina cum Papistis conuenire affirmasset; excepit Minister: Se

nec

nec Dionysium, nec Augustinum curare. Postrema quæstio fuit de Sacramentorum numero, quam vltro Prædicantes ad olescenti posuerunt. Quibus ille: Si de Catholicorum Sacramentorum numero quærant, expeditum se habere, quod responderat: si de Lutherano, certi quid affirmare non posse, cum ipse Lutherus nunc vnum, nunc duo, nunc plura, nunc pauciora numeret. Ex Catechismo, inquiunt, quot didicisti? Ego quidem, ait, olim duo didiceram; sed nunc, si Lutheranus esse velim, non habeo quod credam: ecce enim duos Catechismos eiusdem authoris (Morlinus is erat, magnus nuper in his partibus superintendens) quorum alter duo, alter tria memorat Sacramenta, & simul in mensa ponit vtrumque. Confusi, sed non pudefacti Prædicantes aiunt: Tu patrem tuum sequere, & quem ab eo didicisti Catechismum tene: & si quidem scholas nostras frequentare animam induxeris, ad nos redi: sin minus, abi quò lubet; nos scrupulum tuum non curamus. Adolescens itaque in fide Catholica confirmatus, sic ab illis discessit, vt statim de peccatis confessus sit, & sacram communionem perceperit. Quod cum Prædicantes intellexissent, timentes, ne quam ignonimiæ notam contraherent, publicè contra eum sunt concionati, suosque admonuerunt, ne vel cum Iesuitis, vel etiam cum eorum discipulis de Religione disputarent; desperatum esse de conuersione illorum. Nobilis quidam adolescens, cum vanam opinionem, quam de Religione imbiberat, eiecisset; interrogatus, an adhuc aliquod dubium circa Religionem haberet, respondit, se certo scire, Lutheranam Religionem esse falsam; ac proinde

Cal-

Caluinianã minus poſſe eſſe veram, cum à Luthero profluxerit. Quidam canitie venerabilis in extrema quodammodo ſenectute, relictis Lutheri erroribus, cum Eccleſia Catholica in gratiam rediijt. Alius noſter diſcipulus Catholica religione ſuſcepta in patriam reuerſus, parentes in multis de fide Catholica edocuit, & libros hæreticos, conſentientibus illis, combuſſit. Quædam parentum Catholicorum filia, etſi nondum Catholica, cum ad vicinam ciuitatem hæreticam transferenda eſſet, ad noſtrum ſacerdotem confugit, ac multum rogauit, ne ſineret ſe in hoc animę periculum incidere. Actum cum parentibus, & bona ipſorum gratia hæreſeos periculo exempta. Monialis virgo olim Catholica, hæreſin magis externis actibus, quam animo, ob metum complexa, incidit in hydropem morbum; quo aliquot annis conflictata, ſummis precibus à Superiore etiam hæretica contendebat, vt ſibi liceret ad Monaſteriũ Catholicum huius Ciuitatis aliquamdiu concedere: neganti Superiori, ac diuerſitatem Religionis excuſanti, tum quidem acquieuit; ſed poſtea, conſcientia ſtimulante, illud ſaltem impetrare conata eſt, vt in vrbem hanc adduceretur, atque à Medicis curari poſſet. Impetrauit, adducta eſt, & apud ciuem quendam hæreticum collocata. Sed nulla quies Virgini, donec ad optatum Monaſterium perueniſſet; vix vnum diem manſerat inter Virgines, cũ morbo comitiali in lectum deijcitur: & ſacerdos noſter acceſſitur; qui vbi religionem pertentat, illa catholicam ſe viuere ac mori velle ſignificat, quare Eccleſiæ Catholicæ reddita, & ſacræ vnctionis Sacramento munita, piè in Domino defungitur.

COLLEGIVM EMBRICENSE.

INGRESSI ſocietatem tres Adoleſcentes: duo Exercitijs ſpiritualibus exculti: res familiaris non cenſa, ſed amicorum liberalitate creuit. Scholæ quadringentos auditores habuerunt, quot nunquam noſtris moderantibus. Aliquantum poſteà peſtis interuentu, diminui cœptæ ſunt; quæ etiam diſcipulos aliquot ſuſtulit; quorũ vnus grandiſculus eam à contubernalibus laudem ferebat, quod horas quotidie aliquot in precibus conſumeret. Poſt Kalendas Iulij, cum & haberi annua ſupplicatio, & nundinæ ſolennes, in magna conuenarum frequentia ſolent; exhibita eſt ſancti Ioſephi à Diſcipulis hiſtoria, tanto concurſu, vt tota oppida etiam hæreticorum, effundi ad ſpectaculum viderentur: nec ampliſſimum fori ſpatium multitudini ferè ſufficeret; tanta agentium dexteritate, vt nihil homines magis dolerent, quam poſtero non reddi: tanto ſpectatorum motu, vt plurimis lacrymæ manauerint. Cum cælum illa die eſſet pluuium, contra quàm Catholici expectabant, & optabant hæretici; tota actione conceſſa, ſingulari Dei beneficio, eſt ſerenitas. Sodalitas Beatiſſimæ Virginis vt numero aucta, ita & ſtudio piarum exercitationũ; quas magna ſemper Sodales frequentia & alacritate, non minus reliquo anno in feſtis maioribus, quã per quadrageſimam quot hebdomadis, egregiè in corpora ſæuientes obierunt. Adoleſcẽs quidã lenta tabe conſumptus, ingredi non poterat: videnſque mortem propinquam, vt confeſſarium haberet è

Noſtris,

Noſtris, longiſſima via à matre ad ſacellum noſtrum ægrè perductus, confeſſus eſt & communicauit: deinde, quod dudum deſiderauerat, Sodalitati etiam adiunctus; cum non multo poſt vita vireſque penitus deficerent, Sacramentis nouiſſimis petiit muniri. Itaque ſacerdos Sodalis, multis facibus prælucentibus, & longo ſequente Sodalium ordine, ad eum ſacroſanctam Euchariſtiam detulit, inunxitque; hominibus in reditu paſſim ad inuſitatum ſpectaculum ſe in vias effundentibus, adeoque approbantibus, vt quinquaginta annis nihil ſimile viſum faterentur; cumque pari pietate vniuerſa Sodalitas mortui funus duceret; ea res charitatem Sodalium tota vrbe celebrauit, quod ob id accidit, quod eiuſmodi occaſio Sodalitati nondum obtigerat. Hunc conſecutus haud multò poſt veteranus, qui fine ſtudiis impoſito, in patriam reuocabatur; vbi cum ſaluti eius magnum diſcrimen impenderet, Beatiſſimæ Virginis, quam impenſe amarat, precibus, raptus eſt prius, quam malitia intellectum eius mutaret. Apud hunc moribundum, cum Sodales inuicem vigilaſſent, mortuum maiore etiam honore extulerunt, diuerſis feretro epitaphiis præfixis; & iure, cum ſupremis congregationis muneribus, ob virtutem præfuiſſet. Alius cum vrente peſte vicinam mortem perſentiret, voto ante facto, religioſæ vitæ ineundæ ſi conualeſceret, piè apud nos ſacramentis ſe muniit, ac tum demum in patriam regreſſus, cum magna ſuorum ædificatione, Deo ſpiritum reddidit. Pueri quoque Nobilis inſignis hac in re virtus apparuit; qui ad ſuos æger reuehendus, etſi minus periculi ſuberat; tamē quod domi ſacramentorum facultas deeſſet, deferri ad ſe ſacram hoſtiam orauit, eaque ſumpta

alacrior abiit. Præter eos, qui Societatem, alias item religiones aliquot complexi sunt. Sacellum nostrum festis diebus solennioribus, ingenti pœnitentium concursu celebratum est, sic vt ob angustias,& sacerdotum penuriam satisfieri omnibus non potuerit. In Paschate quidem ad multam noctem sedere confessarij, dimissis etiam qui expectabant. Visa multum creuisse pietas incolarum, & frequentandis supplicationibus, quę hoc anno summa religione & ordinum densitate sunt obitæ: & sacramentis obeundis. In vna Processione quinquaginta paria nudis pedibus incessere, in quibus non paucæ è primoribus: aliæ cilicijs indutæ fuerunt. Ad Iubilæum emerendum, præter multorum dierum operam in audiendis confessionibus positam, in vno sacello nostro, in quo impertita semper populo est, solennioribus diebus, communio; plures quàm vnquam antehac, Eucharistiæ ferculo sunt pasti. Ab hęresi absoluti aliquot. Confessiones generales & multorum annorum, & ab ipso viuendi initio, auditæ plurimæ. Fuit, qui ea solum de caussa, ex Hollandia huc ventitaret. Danus negotiator Lutheranus, per Hollandiam dòmum rediturus, venit ad nos flagitans communionem, quo tutius iter in patriam exigeret; cuius statu cognito, sacerdos noster eum in Catholica fide instruxit, effecitque vt, facta totius vitæ confessione, Catholico ritu communicaret. Fuit matrona locuples in Catholica religione confirmata, quæ eius vnius rei caussa patriam reliquerat. Hæc in Hollandia hæreticos habet parentes; cum vndecim annorum esset, angi vehementer cœpit, an veram fidem haberet, multisque lacrymis orabat Deum vt veritatem sibi ostenderet: addebatque, diui-

no

no instinctu, precibus afflictationem corporis. Cum huius rei sollicitudine diu mœsta incederet, animaduertit id ex cognatis Catholica quędam; cui cum animi ægritudinem aperuisset, ad sacerdotes adducta est, & de nostra fide instructa. Tum cœpit carnibus abstinere, statis ieiuniorum diebus: & si quando cur id faceret, parentes rogarent, causulam aliquam prætendebat. Iussa vero conciones adire ministrorum, turbæ egredientium è templo se immiscebat, cum interea Catholicos accederet: sicque parentes eludebat. Vbi ad nubiles annos peruenit, inuitæ ac renitenti hæreticus maritus obtruditur; quem cum ad annum reiecisset, intereaque semet confirmasset; hac tandem conditione coniugium iniit, vt sibi Catholicæ religionis colendæ arbitrium coniunx relinqueret. Hic multa vtrimque inter ipsos de religione orta disceptatio, cum ille hæresin persuadere vxori omnino conaretur, hæc omni ratione fidem defenderet: tandem ille importunitate mendaciisque, vxorem non quidem ad se traduxit, sed vt de fide dubitare inciperet, pepulit; cum præsertim nunquam, quæ ratio viuendi credendique in locis Catholicis seruaretur, vidisset. Non destitit tamen Deum obnixe rogare, ne se desereret, quiduis facere parata, vt certam salutis viam cognosceret, atque huiusce rei caussa fugam aliquo paullatim meditari; vrgente eam maximè liberorum periculo, quos iam grandiusculos, cogere pater ad Ministrorum conciones audiendas planè statuerat. Cum ergo in morbum grauissimum incidisset, trepidantique & anxiæ sacerdotis copiam sibi vir negasset, decreuit primo tempore ab eo se seducere: captataque eius rei oportunitate, simul ac conualuit, Embricam se cũ

ternis liberis contulit. Ibi sacerdotem nostrum adiit, eique consilium statumque suum totum aperuit, qui dedit primò operam, vt in fide Catholica eam recte instrueret: confirmatamque ad ferendum quemuis, pro salute sua Christique fide, casum compararet. Postquã ergo veritatem edocta, mores etiam Catholicorum, ceremoniasque sacrorum nostrorum aspexit, gustato etiam sacramentorum vsu & precationis; nostræ religionis sanctitate animo ab omni dubitatione iam soluto, Christi improperium omnibus Ægypti opibus volens libensque præfert. Multi peregrini è diuersis locis huc Sacramentorum caussa venerunt: multi in magnis difficultatibus adiuti: quædam è pellicatu extracta, cui de salute animæ cogitanti, obiiciebat hanc blasphemiam dæmon: Nunquid ego tam bonus, quam Deus? sed sacramentorum remedio ad frugem tranquillitatemque, post summos conscientiæ cruciatus, reducta per nostrum est. Matrona primaria è propinquo hæreticorum oppido, omnibus festis, rei diuinæ caussa Embricam ventitat, & apud nos crebrò sacramenta frequentat: ac licet sit iuncta matrimonio, mirum tamen in modum est orationi & pænitentiæ dedita, vt biduum interdum sine cibo traducat. Quædam etiam anus pauperes, è remotiore oppido, magno labore, pedibus aliquoties huc sacramentorum caussa se conferunt; multi è vicinis Catholicis, hæretica loca habitantibus, ad festa maiora liberos suos propinquosque huc mittunt, vt in fide instruantur, sacramentisque confirmentur: multi etiam, huius rei caussa, eos apud ciues in hospitio collocant, vt inter collegij fructus non sit postremus, qui ex aduenis ab hæreticorum terris capitur. Catechismorum

rum & concionum muneri,sua auditorum nec frequentia, nec ingens vtilitas defuit. Sacerdos rogatu Canonicorum, missus in Paschate ad quoddam oppidum, concionibus confessionibusque audiendis,non solum magnam Societati gratiam collegit; sed magnũ etiam fructum retulit,omnibus fere incolis per ipsum expiatis: eratque tanta confitentiũ frequentia, vt biduum triduumque aliqui expectare cogerentur; vbi tum aliqui post multorum annorum errorẽ à fide, primas confessiones fecerunt. Illud deniq;non prętereundũ,per speciem spectandę comedię,Embricam venisse ex hæreticorũ terris aliquos,vt Sacramenta vsurparent;& sanè per illos dies multi externi homines nostris confessi sunt.

COLLEGIVM AQVISGRANENSE.

EXPERTI non semel diuinum præsidium sumus; & quando pars Catholici exercitus ob solutionem dilatam duci rebellis, ciuitati huic ferrum flammasque minata accessit,atque vrbem terrore armatisque compleuit:& quando principis vicini suburbana spolians miles, pæne seditioni populari dedisset occasionem.In qua post occupatam curiã sermo fuit,mox in ædes nostras impetum factũ iri.Adfuit hęc inter,diuina prouidentia,&consternationem à nostris excludendo,& citius opinione discrimina auertendo. Varia etiam ratione Reuerendus admodum P.N. hic nostros recreauit, tum misso R. P.Visitatore,cuius monitis atque exemplis fructum insignem sunt consecuti: tum residentiæ huius in Collegiorum numerum euectione.

ne. Illum autem abeuntem, Magiſtratus parte præſidij ſui militaris, ac ductore equite fideli, aduerſus pericula muniuit. Neque deſideratus eſt fauor & auxilium aliorum. Nam Sereniſſimus Elector Colonienſis, Monaſterium quoddam ſanctæ Crucis appellatum, habitatore vacuum, Apoſtolica authoritate, noſtris applicauit. Illuſtriſſimus Dux Iuliæ difficultates noſtras, centum quinquaginta dalerorum Imperialium eleemoſyna ſubleuauit. Generoſus Comes in Gronsfeldt, prædicti Monaſterij patronus, iure ſuo lubentiſſime ceſſit, operamque in eo negotio promouendo adiecit. Alij aliis beneficiis ſibi noſtros deuinxerunt: nonnulli ſacram ſuppellectilem auxerunt: multi ad domum noſtræ proximam coemendam, ſua ſtudia contulerunt. Nobilitas vicina frequens, noſtris potiſſimum liberos credens ſuos, præclaram Societatis exiſtimationem auxit: ceteriſque exempla ſe præbuit imitandi. Vnde Diſcipulorum numerus intra breue tempus, non modicum auctus eſt; qui non ſemel ſui in literis progreſſus ſpecimen dedit, affixis publice variis generis verſibus & emblematis, ac dato in theatro populis applaudentibus, cum ſtudia renouarentur, Eleazaro. Agnoſcit ciuitas, palamque fatetur, nunquam Remp. ſuam calamitates illas orbi notas, ſi ſcholis iam pridem apertis occurriſſet, paſſuram fuiſſe. Pars diſcipulorum ſanctiſſimæ Deiparæ Sodalitatem, pars Angelicam frequentat, inſigni emolumento. Magnam illi hæreticorum librorũ vim (præſertim poſt Cyriacum, cuius meminit Sophronius à Sodalibus Deiparæ Virg. productum) noſtris tradidere. Ex hæreticis ipſis nonnulli ſuos filios nobis commiſerũt; quorum alij, parentibus

bus inſciis, iam Sacramentum confeſſionis obeunt. Ad ſcholas noſtras Patres Prædicatores, Auguſtiniani, Carmelitæ, & Regulares, vt vocant, Religioſos ſuos mittunt; ac religioſas haſce familias, ex diſcipulis noſtris, hoc anno tres ingreſſi ſunt: ad Societatem noſtram admiſſus vnus. Ad caſtra ſua, vnde abierant, monachi duo noſtrorum hortatu redierunt. Cum publicæ quadraginta horarum preces in ſumma Aede hoc anno ſæpius indictæ fuiſſent, egregia pietatis ac religionis documenta, ceteris eò loci ſcholares noſtri præbuerunt. In parochia ampliſſima ciuitatis, ad quam numero magno omnis ætas munuſculis piis allecta confluxit, tantos quidam ætatis tenerrimæ fecerunt progreſſus, vt ſenioribus non ſemel rei nouitate attonitis, lacrymas expreſſerint. In his & liberi hæreticorum adrepere interdum ſolent: & acceptas ibi imagines ſacras, occultiſſimis domi ſeceſſibus venerari. Eccleſia verò Beatiſſimæ Virginis ſuperno potiſſimum loco, vbi munia noſtri ſua exercent, nunc à longè pluribus frequentatur: & omnibus quidem feſtiuitatibus, confitentium ac communicantium magna viſitur multitudo. Fuit autem in quadrageſima, cum impetratum à ſanctiſſimo D. N. Iubilæum publicatum eſt, maxima; quo tempore, vt etiam alias, & in monaſterio quodam nobilium Virginum, plures exceptæ confeſſiones. Ad ægros moribundoſque interdiu & noctu itum. Duo ægri vocibus geſtibuſque obſeſſis non abſimiles, confeſſione facta, & precibus fuſis, aſſumptaque ſacri Agni effigie, reſtituti. Iiſdem cereis Agnis terriculamenta nocturna ab aliis excluſa. Quidam in ſummis conſcientiæ anguſtiis ſubleuati. Elaboratum, ne hæreticis infirmum ac mori-

moribundum, recens ad Catholicam fidem conuersum, ad suas iterum partes, quod serio moliebantur, reducendi locus esset. Publicè & priuatim aduersus hæreses disputatum : pro reconciliatione diffidentium sudatum; & pax quidem inter aliquos constituta est. Ab hæresi absoluti nouem, multique ne peruerterentur, abstracti: alij denique à periculosa sectariorum familiaritate abducti. Itum ad carceres, & rei, capitis potissimum, adiuti: in eo discrimine, ad animam peccatorum sordibus expiandam, ac perferenda æquis animis supplicia, eosdem prosecuti sumus. Horum in numero quidam inter Batauos, annis multis miles, tam fuit à Sacerdote nostro initio alienus, vt certam illi procuraturum se læsionem accedenti asseuerauerit: ac cautelæ adhibendæ nostrum monuit Præfectus vrbis. Ferus tamen ille animus adeo paullatim sermonibus piis est flexus, vt totius vitæ noxas postea eidem aperuerit sacerdoti, & crurifragium fortissimè, mortemque ipsam, capitis abscissione, pertulerit. Spiritualibus exercitijs domi nostræ, Reuerendus admodum ac Nobilis D. Regalis huius Ecclesiæ Decanus vacauit, mira sua consolatione, & fructu ingenti, qui ad plures emanat. Traduxerant alterius familiæ religiosi ordinem nostrum tota Vrbe, & inuasionis cuiusdam sui monasterij patrandæ accusarant. Superuenit eorum Generalis; quem accedens R. P. Rector noster, rumoris eius falso disseminati fecit certiorem, adeoque bonum permouit Patrem, vt & veniam à nostro is, suo & suorum nomine petierit: & omnibus sui ordinis hominibus confitendi nostris, vel exercitia spiritualia faciendi, concesserit facultatem. Illustris & Generosus Dominus Comes de Grontz-

Grontzfeldt, ob coniugis obitum admodum afflictus, ægerque, sacerdotem nostrum euocauit; & exomolegesi de omni vita ei facta, coram Aulicis suis tanto deuotionis sensu Catholicæ fidei edidit professionem, vt lacrymis vtrimque perfunderentur. Mox locum in Arce idoneum sacello deputauit; & sacrificium totis quinquaginta annis inde proscriptum, honorificè reuocatum est. Bibliotheca eiusdem ampla, hæreticis libris amotis, expurgata: nonnulli à subditis oblati libelli hæresibus contaminati, flammis traditi. Nunc totus est Generosus Comes in Presbytero pio quærendo, qui in ampla familia bene cœpta confirmet & amplificet. Ibidem honestæ conditionis femina sacram synaxin, quã annis viginti duobus neglexerat, piè salubriterque suscepit. Admiranda Generosus Comes pietatis exempla, tum suis, tum alijs ad se luctus caussa confluentibus prębet; stupentibus nimirum tantam in viro tali mutationem; omnino speratur, eius sincera conuersione nostris partibus tantum emolumenti accessurum, quanto eius desiderium tulerunt boni omnes molestius.

RESIDENTIA
ALTENENSIS.

SPERAVERAMVS fundamenta operum Altenensium anno superiori satis feliciter iacta, hoc 1603. ad tectum fastigiumque perducenda. Verum placuit diuinæ prouidentię adhuc diutius acuere spes nostras per lenta incrementa. Interim Nostri in eo toti fuerunt, vt concessum tempus cum fructu collocarent. Habuere conuiuas epuli

puli Eucharistici sedecim supra ducentos, tres etiam peruersè de Religione sentientes iustruxere, vt damnatis suis opinionibus, iam sanam doctrinam tueantur. Difficile fuit tam paucos, è tanta errantium colluuie, in his oris reducere. Tanta siquidem Hamburgum & Altena inter se, contrariè de Religione opinantium, discordia colliduntur, vt quot domos, tot ferè hæreses reperias. Apparet id maximè diebus Dominicis, quando tam varia cernuntur examina sectarum, vltrò citróque commeantia, Hamburgum inter & Altenam, vt qui rei ignarus in ea incidat, existimet nundinas Altenæ agi. Superant omnes numero Caluinistæ, qui superiore anno è Belgio profugerunt: quicquid Francia, aliæue Prouinciæ tanquam abortiuum proiecerunt, id iis se sociat. Insidiantur & Catholicis, diuersis machinis eorum constantiã lacessentes, pauperiores muneribus, alios contumeliis & conuiciis. Dum iis sese in via adiungunt, ad factiosas conciones suas pergentes, sæpius accidit, vt cũ simul gradiuntur aliquousque, in eiusdem secum hæreseos suspicionem trahant nostros apud ignotos; vnde & non tarò graue periculum quibusdam creatum. Cauerat Senatus Hamburgen. seuero decreto, ne quis synagogam Caluinistarum accederet, transgressoribus grauem mulctam pecuniariam, & exilium intentans. Verum illi spreto Senatu, confertim magis excurrunt, gladiis & sclopis instructi, miscentque se Catholicis, quorum tres falso delati, quod conciones ipsorum frequentassent; sed tandem, post multas Lutherani Iudicis in Catholicam Religionem calumnias, absoluti sunt. Cœperat hic aperiri Caluini synagoga, anno superiore, magnis motibus; vix menses tres, quatuorue eam fundarat

pri-

primus illius doctor è Batauia accersitus, cum statim sibi lupam aliquam quærit verus lupus, vt citiùs coactus fuerit solum vertere, violato iure hospitii, & impregnata hospitis sui ancilla, &, in vrbe violato toro alieno, bis adulter, Euangelii & matrimonii. Substituunt proinde illi alium compedibus constrictum, & insigni prole Euangelicè ornatum; cuius exordia etiam minus fausta cecidere: dum enim obit mensas suorum fratrum Hamburgi, incidit in proteruam Lutheranorum turbam, à qua cũ satis diu vapulasset, parum abfuit, quin in præterlabentem fluuium proiiceretur. Questus est de vi sibi illata; sed purgabat auctores facti pro concione Lutheranus præco, hoc dicto: Quid lupo inter oues? Neque tamen sic compressus eius, sociorumque furor; sed potius irritatus gliscit in dies magis magisque. Repetita quidem in ipsos decreta sæpius à Senatu; verum calcant illi omnia, nixi multitudine satis ad seditionem concitandam prona. Verendũ, vt dæmonem eiiciat. Plus sibi periculi à Societate metuunt, quam vident hic paullatim incrementa sumere, consuetisque suis exercitiis magis inclarescere. Sub initium huius anni, hortus quà Albim respicit, dilatatus, fortissimoque contra incurrentes fluctus sępimento munitus fuit. Incumbit tota machina triginta columnis quernis, quę quatuordecim anchorarum, & plurimarum tabularum nexu colligatæ, & reciprocantis Oceani impetus frangunt, & ingestam arenarum, atque argillæ molem sustinent. Colligit eius ambitus in longitudine pedes centum tres; ęgrè admodum potuit inchoatum opus perfici, tot Aristarchos habuit, tonabat è suis acroceraunéis vicinus rabula Lutheranus bucco, fulmine diuerberans cunctas operas, quæ manum

operi

operi promouendo admouerent, reos pronunciãns æterni ſupplicij, quod euerſam dudum in hoc Septentrione Antichriſti cathedram, non erubeſcerent iterum inſtaurare. Coibat & Senatus Hamburgenſis, miſſiſque duobus è ſuo corpore Senatoribus, qui fabricam inſpicerent, conabatur eam retardare; lata etiam lege, ne quis Architectorum è ciuitate, eam deinceps contingeret, neue materialia vlla ſecundo flumine ciues aduceherent Sed & verè brutum fuit fulmen Prædicantis, & irrita lex Senatus; perſtitere ſiquidem in ſuſceptis ſemel laboribus Ruſtici, frendentes in auarum ſuum Eccleſiaſten, cui & præcipitium minitati ſunt, ni ſileret; negantes illam ſe Antichriſti imaginem in Catholicorum pecunia deprehendiſſe. Et Hamburgenſes architecti cementarijque vltrò ſe ingeſſerunt: nec defuere materialia, quæ abundè ſuppeditauerunt ciues. Explicatę dein anguſtiæ Sacrarij; annique Sæcularis gratia, ſingulari ſummi Pontificis benignitate, Catholicis horum locorum conceſſa, aliquot concionibus explicata fuit auditoribus; ad quam promerendam tot confluxere, vt contracta adhuc nimis viſa fuerit habitatio, etſi duplo magis laxata. Concio etiam parietibus hypocauſti hucuſque claudi ſolita, ex humili ſcamno in nobiliora roſtra educta, & in ſuperius oratorium tranſlata. Reddidit idem auguſtius corporum ſanitas, quam inde duo retulere, aſperſione aquæ luſtralis, quâ cæcutientium oculorum caliginem depulerunt, & dæmonum petulantiam fregere, nocturnis ſpectris domos infeſtantium, adhibita etiam imagine ſacræ ceræ. Nobilitarunt non minus illud Regum ac Principum legati, & nobiles aulici, qui in eo rei diuinæ intereſſe, & Sacramenta

Pœni-

Pœnitentiæ,Corporiſque Dominici percipere voluerunt. Ingrediebatur Hamburgam magna pompa Sereniſſ. Rex Daniæ, Chriſtianus quartus hoc nomine, quinto Kal. Nou. quem ſtipabant diuerſi Duces ac Comites; aderant & Legati Sereniſſimi Regis Poloniæ, Archiducis Alberti, & Magni Ducis Moſcouiæ, aliorumque Principum; cum iam poſt inaugurationem Regis, dato redditoque vtrimque iuramento, ciuitas vacaret ludis paleſtricis, & concertationibus equeſtribus; timebant nonnulli è Catholicis, ne extrema gaudij luctus occuparet, atque in domum noſtram torrens aliquis perſecutionis deriuaretur; quod facilè fieri potuiſſet à tanta hominum multitudine, quam tam diuerſi Duces ſecum traxerant; niſi frenum inieciſſet potens Deus, qui arena, re omnino infirmiſſima, magnam molem maris cohibet. Inuenti ſunt in Aula Regis & nobiles, & muſici, & ſatellites, quibus ædes noſtra licet anguſta, tam fuit auguſta, vt illam ſuperbis Daniæ ac Hamburgi delubris omnibus prætulerint, atque in ea præ gaudio lacrymas fuderint, dum, quod iam diu in Dania non licuiſſet, hic ipſis liceret, vt ſe læſo numini per pœnitentiam, & ſacram communionem reconciliarent. Erat inter ceteros vnus è ſtipatoribus Regis, qui cum in Moſcouia periculoſo correptus morbo, vitæ terminum ſibi imminere ſuſpicaretur, hoc vnum dolebat, quod ſacerdote carebat, cui animę vulnera aperiret. Cum hac cogitatione acrius premeretur, haurit vocem quaſi hominis (Angeli boni credidero fuiſſe) auribus hæc verba ſibi inſuſurrantis: Quod ſi vitam in melius mutare volueris, & præſenti liberaberis morbo, & ſacerdotes tibi monſtrauero Altenæ propè Hamburgum

gum, quibus te ſanandum ſiſtas, & quorum è manibus panem vitę percipias. Nec vanum ſuſurrum fuiſſe euentus docuit, quando ei confitenti aures dedimus, & cœleſti cibo languentem pauimus. Acceſſerunt ad cetera ornamenta Sacrarij tapes acu pictus, quem pientiſſima matrona Leodij defuncta, teſtamento legauit; & organa affabré facta, quæ dono miſſa Noriberga: altare item portatile Sancti Anſgarij, quod Reuerendus & Nobilis D. Aſcanius ab Heimbach, Canonicus ſummę Ædis Hildeſienſis, è Collegiata Eccleſia Rameſto iam deſerta erutum, Altenenſi Reſidentiæ deſtinauit; vtpotè quæ in veſtigia & functiones eiuſdem S. Anſgarij ſubingreſſa, id reparare laboraret, quod ante annos penè octingentos ab ipſo ædificatũ, totum ferè euerterat Lutheraniſmus. Iuncta erat altari theca reliquiaria, quã ex vrbe miſerat S. Anſgario Gregorius quartus anno octingenteſimo ſecundo, quando Hamburgũ conſtituit metropolim, omnibus nationibus barbaris ſub Arcto poſitis: eique primum præfecit Anſgarium eundem Archiepiſcopum. Vſus fuit altari, quotieſcunq; per Daniam, Sueciã, & circumiacentes Prouincias ipſi diſcurrendum, Euangeliique ſementis facienda fuit. Temerarant illud hæretici effracto ſigillo, & abraſis laminis argenteis. Delatũ proinde Moguntiam, vbi ab Epiſcopo Reuerendiſſimo Domino Stephano Webero de integro conſecratum. Non par fuit Hamburgenſium ſtudium, in conſeruandis monumentis ſui Apoſtoli. Extruxerant illi olim Maiores ipſorum nobile templum, commodiſſimo ciuitatis loco ad portum; quod magna religione adire conſueuerant, anteque vela facerent, & Oceano ſe committerent. Iam verò multo tempore

inane & vacuum relictum, non seruiebat, nisi recondendis & asseruandis mercatorum mercibus. Constans est fama, tentasse quidem sæpius Prædicantes in illo verba ad populum facere; semper tamen repulsos, iniecto nouo quodam terrore, quotiescunque suggestum cònscenderint: idque accidisse duodecim tredecimue Ecclesiasticis ordine. Videtur noluisse S. Ansgarius, vt templum sibi dicatum adulterina pollueretur doctrina, quæ repugnaret ei, quam ipse primus intulisset Hamburgo. Hoc anno itaque primum illud funditus subruerunt, ne vlla omnino extaret vetustæ Religionis, cum primo fundatore, memoria: sed difficile est contra stimulum calcitrare. Nosocomium, quod euerso templo subrogatum, parum abfuit, quin vi tempestatis luxatum conciderit; tot vinculis constrictum ægrè adhuc perstat, vt dubiam transeuntibus viam præbeat. Est plurimis sudes in oculis, præbetque materiam variorum sermonum, qui antiquitatis nonnihil studiosiores, sinistrè satis de euersoribus ominantur, eadem ipsis imprecantes, quæ primis turbatoribus Hamburgi contigisse promulgatum; quorum familiæ omnes vel extinctæ, vel ad tantam redactæ sunt inopiam & infamiam, vt obscuræ prorsus modò iaceant. Maiori honore affecere S. Catherinæ Ædem, quam noua turri exornarunt; cuius pomo incluserunt infamem Concordię librum, cum insana sua Vbiquitate. Accessit hoc anno ad vsitata exercitia nostra, puerorum in humaniore literatura institutio, ex singulari R. P. N. erga hanc nouam Indiam affectu. Cogebamur principio Sacelli partem ijs attribuere, vbi formarentur; nunc verò excitata noua domo, in nouas scholas eos transtu-

mus, tantumque hoc semestri profecerunt in vtraque lingua, vt apti sint ad Dialogos & ludos publicè dandos. Produximus illos his festis genethliacis Christi Saluatoris in scenam, vbi tam bellè egère Pastores Bethlehemiticos, vt omnes quotquot spectarunt, mirati fuerint, dexteritatem in ætate tam tenera; maximus enim natu non excedit septimum annum; repetita actio etiam tertio, plurimos semper attraxit ex vrbe, & Altena spectatores; non desinunt vrgere, vt & quartò resumatur, maximè ij, qui ab alijs eam commendari audiunt. Speramus indè haud exiguum fructum & incrementa Scholæ nostræ. Neque misericordiæ opera neglecta; præstita illa defunctis, quos ob religionem, Aduersarij à suis cœmiterijs arcebant, quorum alter infans, quem sacerdos noster non ita pridem in ciuitate baptizarat: alter erat mercator, qui è Suecia Embdam cogitans, inter Lubecam & Hamburgum apoplexia correptus, cũ diuinaret, sibi extremum diem imminere, nil aliud clamabat in hospitijs, ad que adferebatur, quam Altenam, eiusque sacerdotes, apud quos vitam ponere vellet. Delatus itaque ad nos, cum præ angustia loci commodè ipsum habere non possemus, transtulimus in hospitium, non longè à domo nostra, vbi Sacramentis Catholicè munitus, piè animam Creatori reddidit. Cadauer, quia reiiciebat vicinus pagi Minister hæreticus, noctu tumulatum in nostro cœmiterio hortensi. Prodibant in funus discipuli nostri cum sua hospita, & tres è vicinis Lutheranis, qui & operam suam in sepultura commodabant. Non siuit irremuneratum abire charitatis opus misericors Deus, excitauit viros misericordiæ, qui nobis benignè fecerunt crebris eleemosynis.

Scripsit

Scripsit ex asse hæredes mille Dalerorũ Reuerendus D. Laurentius Neibar, Canonicus Lubecensis; quorum censum ânnuum pendet Catholicus mercator Hamburgi degens. Auxere alii Bibliothecam variis operibus, D. Chrisostomi, Basilij magni, Cypriani, Maldonati, Krantzij, Pierij, aliorumque authorum. Vidit etiam hoc anno primum Visitatorem hæc Residentia R. P. Alberum, qui particeps etiam nobiscum factus alicuius vexatioris ab hæretico illatæ, quando sub vesperam Hamburgo domum rediens cum socio sacerdote, vix declinauit ictum cultri ab impio intentati.


RESIDENSIA ERFORDIANA.

FRVCTVM, quem benignus Deus nostris dedit laboribus, compendio referam. Malè parta fœnore vsurario, legitimè restituta: Animis dissidentibus concordia suasa & persuasa, venia vtrinque petita & data. In fide vacillantes confirmati: Matrimonia cum hæreticis contrahenda, impedita: mos templis sacrisque abstinendi, in viduatis quibusdam & domi desidentibus sublatus, frequentique Sacramentorum vsu emendatus. Cibo cælesti apud nos hoc anno, plures trecentis quadringentisúe, quàm superioribus, refecti; eius rei caussa etiam aliunde ad nos, ex locis hæreticis confluxerunt non pauci, latenter Catholici. Parentum in nos, nostrumque ordinem ardens odium, prolium apud nos hausta pietas extinxit. Erat, quæ diuinæ gratiæ aliquamdiu resistens, nouo quodam modo monita se agnouit. Nam corpori Dominico

communicaturæ, cum particnla, quasi linguam refugeret, ex ore excidisset, cælestem admonitionem interpretans, casum vertit ad salutem. Ad Ecclesię Romanę gremium rediere septemdecim, in quibus Virginis cuiusdam constantia enituit singularis. Erat illa annorum duodeuiginti; honesti ciuis cuiusdam famulitio dedita, & Orthodoxorum sermonum perstudiosa. Venit ergo aliorum ductu ad nostros, veritatem puritatemque Catholicæ doctrinæ audit & amplectitur, ipsoque Circumcisionis Christi festo, Lutherana deserta perfidia, nouæ vitæ fecit initia. Fama mutatæ religionis cum ad parentes perlata esset, ita homines hæreticè institutos excitauit, vt itinere duorum miliarium ad Vrbem aduolarint, filiamque repertam, vinculis, verbis, verberibusque affatim mulctarint; neque sic stetit furor & amentia: ad iudices etiam à fide Catholica alienissimos pertractam, pessimorum facinorum ream fecerunt: cumque suæ puritatis conscia, rationem sui consilij dare vellet, nequicquam audita, lumbifragio diuturnæque fami adiudicata. Parentum ergo manibus abducta, per publicas Vrbis plateas, clamosa destinatione & indigna querimonia raptata, ciui cuidam asseruanda traditur, donec pluribus restibus coëmptis, vinciatur arctius, & in patriam deducatur securius. Abeuntibus ea propter parentibus, filia funium nodos dentibus soluit, fugit, & inter Orthodoxos, frustra sursum deorsumq; quærentibus aliis, receptum & latibulũ inuenit, nunc, pulchro pro Christi fide defuncta certamine, gaudet, diesque suos in cœtu Religiosarum Virginum obire pręoptat. Non integris mille passibus à nobis agreste sacellum est, annua peregrinatione olim celebre, ab hæresi in-

fecta

fecta vix vnum. Reuocata ea processio hoc anno ab hominibus omnis ordinis & sexus quam plurimis; quos inter & Senatores, & Patricij non pauci, viri Ecclesiastici præcipui. Rhedis senis subinde, & pluribus vecti, quorum pedes non assueti labori. Equidem iucundum & visu, & auditu, Catholici nostri gregis partem aliquam, latina germanicaque carmina, per agros & vias, ritu veteri, decantare; sacris nos, & concionibus operabamur. Catholicorum animi excitati, & audaciores facti, vt spes non minima affulgeat, accessionis & populi, & pietatis.



PROVINCIA BELGICA.

NVMERAT hæc Prouincia Socios quingentos & sexaginta quinque, è quibus Sacerdotes ducentos & sexaginta quinque, Coadiutores temporales centum quadraginta quatuor, reliquos vero studijs destinatos; omnes in viginti sedes distributos; Collegia duodeuiginti, domum Probationis vnam, Residentias duas; quibus etiam accedit vna Missio. In Collegio Louaniensi quinquaginta; in Collegio Tornacensi cum domo probationis tres supra centum; in Audomarensi quinque & triginta; decem in Seminario Anglicano; In Collegio Duacensi septem & triginta; In Antuerpiensi tres supra triginta; vnus & quadraginta in Leodiensi; in Traiectensi decem & octo; plures duo in Brugensi; In Iprensi nouenos denos; In

Cortracensi viginti; vnum minus in Gandensi; In Insulensi sex & viginti; duo supra viginti in Valencenensi; plures tres in Montensi; decem & quatuor in Winocibergensi; vnum minus in Luxemburgensi; quatuordecim in Atrebatensi; in Bruxellensi Residentia; & Castrensibus tentoriis, annumeratis R. P. Prouinciali cum socio, tres supra triginta; decem in Cameracensi; tres in statione Hollandica. A nobis in cælum, vti speramus, migrarunt omnino decem: eorum vicem reddidere octo & quinquaginta in Societatem adscripti.

COLLEGIVM LOVANIENSE.

THEOLOGIÆ dant operam duodecim; viguit in omnibus religiosę perfectionis augendæ studium, quod auxit votiua ab omnibus ad Beatam Virginem Sichenienſem suscepta peregrinatio, & Iubilæi salutaris expiatio. In hoc vero incertum, suæ magis an salutis proximi habuerint rationem. Ita non tantum domi plurimos pœnitentiæ sacramento Deo reconciliarunt: sed foris etiam in animarum salute procuranda, prolixa voluntate incubuerunt. Argumento est, quod ab vno septuaginta, supra centum, confessiones generales auditæ. Concionibus autem qua in oppidis, qua ruri, qua in monasteriis; amoris diuini ardor vel auctus, vel excitatus. Nec verò doctrinæ Christianæ tradendæ consuetudo prouentu caruit. Edocti pueri Deiparæ Matris rosarium percurrere, longiusculi itineris leuamento. Sed & ætatem quoque præcurrunt elementis fidei ediscendis,

quinquennes & pæne infantes, publice decalogum diserte pronunciantes, periucundo sane spectaculo. In Clerum religiosósque ordines malèdici quidam à cauillis ad laudes, à virulentis commentis ad commendationem traducti. Meditationibus exerciti aliquot non è vulgo. Inter diffidentes, odiorum flammæ restinctæ. Quidam familiæ patriciæ labem asperserat, non nisi suo sanguine eluendam, interuenit noster, & hostis sanguine cruentandas manus cohibuit, effecitque vt alteri sua vita, alteri vita carior fama staret. Fuit adolescens qui vitiis omnibus fibulam laxauerat, salutaria omnia monita aspernatus, nec phthisi quidem mortis antenuncio excitatus; Eum adiit vnus è nostris, cui ad vltimum vitæ diem morigerum se præbuit; Ita matri, propinquisque reliquis, non tam dolori mors, quam vera animi vita, gaudio fuit. Transfuga quidam carceri datus, hæreseos insuper vinculis tenebatur, sed nostrorum opera ab vtrisque expeditus. In fide semel imbibita, quam è mendicitate erectus, domi nostræ hauserat, charitatis obsequiis delinitus, vnius eluxit constantia. Geneuam is redierat, parentes postliminio reuisurus; turbatam domum inuenit, patris morte: mater quæ solatium à filio sperabat, dolorem hausit, quod quem Geneua hæreticum dimiserat, Catholicum Louanio reciperet. Furere igitur illa, lamentari, Ministros vrgere, vt filium ab hac mente dimoueant. Iubetur Consistorio se sistere: contemnit, nec commodior visa hominem conueniendi ratio, quam si mensæ præberent se socios: Multus igitur de fide inter epulas sermo; sed victoria à Catholico stetit. Cautum proinde Magistratus edicto, vel vrbe vel fide cederet. Maluit generosus

Athleta patriæ diſpendio vitæ cæleſtis compendium facere, & exul, Chriſti patrimonio Catholicus, tenuem vitam tolerare, quàm hęreticus prouentu patrio lautiorem ducere. Suſtentata quarundam matura pudicitia, quæ iam præceps erat. Lapſæ ad veniæ ſpem & conſtantiam erectę. Vna præ reliquis nefandis amoribus implicabatur, & iam octo annos cum incubo conſueuerat: ſed vnius è noſtris hortatu, ſe dæmonis conſortio abdicauit, vetitas voluptates nunc acerrimis corporis ſuppliciis expungens. Adoleſcens lecta de prædeſtinatione theſi, totus à Deo deſperabundus abierat, is ad animi æquitatē reuocatus. Beatæ Virginis Sodalitas quatuor cœtibus velut areolis diſtincta valde effloreſcit. Ex hac multæ plantæ ad varias Religioſorum familias traductæ. Supellex ſacra duobus calicibus eſt aucta, & ampullis totidem. Acceſſit quoque pars ſacræ coronæ auro laminata, bulliſque aureis egregiè diſtincta. S. Crucis altare pro tabula capſam habet gemmis variatam, & diuite ſanctorum Martyrum theſauro nobilitatam. Anguſtiis denique rei familiaris ſubuenit piorum liberalitas.

COLLEGIVM TORNACENSE ET DOMVS PROBATIONIS.

ALET Tornacenſe Collegium viginti ſex; Nouitiatus ſeptuaginta ſeptem, pleroſque omnes indole & eruditione lectiſſimos. In Collegio præter Sodalitatem, quæ ſtudioſis conſtabat, inſtituta eſt alia virorum Illuſtrium, Epiſcopi, Ab-

batum,

batum, Canonicorum, Paſtorum, Nobilium, Senatorum, è primis ciuium. Cenſentur capita octoginta octo: nec enim omnes promiſcuè admittere viſum, quo facilior ſit gubernatio. In eam allectus non infimi ſubſellij, cuius ardorem pectoris calidæ teſtatæ ſunt lacrymæ, vbertim humum ipſam inundantes, cum fidei profeſſionem ederet, fuerat is ante vitæ ſolutioris, & nominis noſtri flagrarat odio: ſed à Patris conuentu, qui eum officij monebat, odium in amorem vertit. Graue odium inter duos quoſdam exarſerat, adeo vt niſi alterius ſanguine, litem dirimendam publicè iactarent. Paſtor cum pacem ſæpe, & fruſtra tentaſſet, monuit concionatorem noſtrum, vt pro concione contra pertinacia odia diſſereret: facit noſter, & ad rem illam adhibet exemplum peropportunum: quo diſcordes adeo fuere perculſi, vt pacem illico cogitarint & confecerint, pœna inſuper pecuniaria indicta, ſi qui prior eam infringeret. Idē peccata multis annis tecta in lucem traxit, exemplo confeſſionis mutilatæ propoſito. Alteri minax gladius ereptus, exitium propulſatum alteri. Hæc à veteranis. Illa tyronum. Aſcriptus vnus è Belgij nobilioribus, Comitis Raſemghemij frater, quem non dignitas aureis illigatum vinculis tenuit, nec rigor viliſque Religionis habitus, à ſemel inſtituto viuendi genere deterruit. Rogatus cur domeſticorum adiutorum numero & nomine cenſeri vellet, latinæ linguæ non neſcius: abunde, inquit, Societati à ſtudioſis proſpectum; pauciores, maximè ex hoc ordine noſtro, qui veræ caritatis obſequiis ſeſe dedant, auſuri alioquin & ipſi aliquid ſupra faſtuoſum hunc hominem, ſi exemplum videant. Præibo igitur ego, & glorioſi huius certaminis,
vel

vel miles vel ductor ero. Valde ea filij alacritas matri fratrique placuit, & tam incenso in Religionem studio prolixè comprobato, deprecatores insuper apud R. P. Prouincialem exstitere, vt in coadiutorum ordinem cooptaretur: fauent quoque propinqui reliqui tam generosi militis rudimentis, & sub religioso sago videre malunt bellantem bella Domini, quam inter mundi illecebras luxu diffluere, & splendentem monilibus ac purpura, specioso compede ire mundo captiuum. Alius annua, & ancipiti cum parentibus pugna luctatus, apud nos tandem in tuto se locauit. Fuit quem probra in Societatem sparsa, eiusdem desiderio incenderent. Omnes tyrones mutua æmulatione in solidarum virtutum studium inardescunt, iuuat plurimum sub præcipuas anni solennitates in rem certam defixa cura; vitij alicuius, verbi gratia, extirpationem, aut virtutis acquisitionem, quam crebra ad Deúm comitantur orationum iacula. Fructus etiam suus constitit ex exercitiis, Catechismo sedecim locis tum in vrbe, tum extra eam habito, Xenodochij frequentatione, & aliis Nouitiorum experimentis.

COLLEGIVM
AVDOMARENSE.

VERSANTVR hic præter alios, magistri tres non sacerdotes, studiosi casuum sex. Duo præcipitanti iam ætate è vita discesserunt, Pater Leonardus Villarius, & P. Guilielmus Martini: quorum mors eo fuit ciuibus acerbior, quo vita fuerat gratior; in tantum amor ab eximiis virtutibus

bus natus, omnium animos occuparat. Doctrinæ Christianæ lectio, è templo in aulam vrbis publicam, anno superiori translata suum cursum tenet, quem promouit etiam flabellans à tergo inuidia. Sed enituit imprimis catechistæ nostri industria, qui pauperiores vrbis in vnum locum conuocauit, vt fidei eos præceptis imbuat. Quæ res eo fructu, eoque concursu celebrata fuit, vt amici quidam ad munificentiam excitati, annuo prouentu pauperum hoc conclaue dotauerint, stata in singulos conuentus stipe singulis attributa. Quæ sparsa fama plures vndique contraxit, quod non tantum doctiores, sed & ditiores domum redeant. Odia multorum posita. Mater à liberis, liberi à matre distracti, mutuis odijs & litibus annis iam quatuordecim, ad pacem concordiamque redierunt. Idem inter vicinas matronas conuicijs certantes præstitum. Collocata vtiliter opera in reducendis fidei desertoribus. Nonnulli dierum aliquot itinere ad nos contendêre, animi expiandi gratia. Virgo multis annis salutis dubia, à Deo meditabatur diuortium, ea ad animi tranquillitatem reducta. Viginti trium annorum adultera, è libidinum cœno erepta; ne in turpitudinem ruerent aliæ, sano consilio præcautum. flagitiosus quidam cælesti hoc tonitru perculsus: Quid agis infelix? quem exitum vitę tuæ futurum putas? vitam in melius commutauit. Adiuti qui extremo supplicio affecti. Quidam nunciata mortis hora furiis agebatur, animo in Senatum exacerbato: is à nostro doctus, & culpam cognouit, & mortem æquo animo subiit.

SEMI-

SEMINARIVM ANGLICANVM AVDOMAROPOLITANVM.

IN Seminario Anglicano fuere hoc anno domestici plures centum & triginta. E Iuuentute Anglicanâ studiosi supra centum: de Societate decem. Duę hoc anno institutę sunt missiones in Hispaniam, quò octodecim selectos adolescentes, ad grauiora studia destinauimus: alios duos eadem studiorum cura Romam. Quibus ex Italia, Hispania, Anglia hâc transitus fuit, ijs via simul ad fidei rectæ tramitem patefacta. In his mercator Anglus ex eorum secta, qui Cathari seu Puritani appellantur, cum esset pro sectæ suæ more, pertinaciore & acerbiore in Catholicam Religionem animo, post mutuos aliquot cum nostro congressus, quibus SS. Eucharistiæ mysteria, quæ illum exagitabant scrupulosius, pertractabantur: ita de repente mutatus est, vt deserta heresi sub Ecclesię signo se receperit, & meliorem de Societatis hominibus opinionem non conceperit tantum, sed felici quoque partu apud nominis nostri hostes in dies pariat. Valde nos recreauit viginti sacerdotum, & quatuor Laicorum ad Collegium nostrum aduentus, qui multorum annorum pædore obsiti, quem in tenebrosis Anglicani carceris gurgustijs contraxerant, ad nouam velut lucem expauerunt. Inter hos gloriosos Christi Athletas quinque erant Societatis nostrę Patres, quorum duo, annos nouemdecim, carcere fuerant ita crudeliter pro fide Catholica detenti, vt eorum alter visum pænè somnumque amisse-

amiſerit, alter Societatis noſtrę frater Cadiutor ac B.P.Campiani ſocius, tot annorum ærumnas non minori patientiâ quàm conſtantia & alacritate perpeſſus, tandem inciderit in paralyſim, quę ſic hominem corripuit, vt omnium pænè membrorum vſu deſtitutus, alterius ope & opera in neceſſariis vitę functionibus vti cogeretur. Quæ tamen res tantũ abeſt, vt inhumana hæreticorũ corda permouerit, vt illum, vnà cum aliis Confeſſoribus, eiiciendum è Regno cenſuerint, & re ipſa eiecerint. Oleum Catechumenorum, Chriſma, & Oleum infirmorum, pro toto Regno Anglię & Scotię procuratum: qua in re inſignis extitit Reuerendiſſimi Domini huius vrbis Epiſcopi beneuolentia, & alacritas, qui familiæ huic Anglicanæ valde fauet; vt & menſæ communi in noſtro cęnaculo, variis eiuſdem linguę latinæ & Græcę exercitiis delectatus, ſæpius voluerit intereſſe. Si quando autẽ mercatores viroſque nobiles, ad eum deducimus oleo ſacro formandos firmandoſque, ſingulari eos charitate ac promptitudine amplectitur. Quendam etiam Pontificia facultate inſtructũ, vt ordines ſacros interrupto temporum interuallo ſuſciperet, ad eoſdem ita promptè promouit, vt ipſemet continuis diebus eius rei gratia ad ſacellum noſtrum ventitaret, officiumque diuinum dalmaticatus ac infulatus, magna & ſua, & omnium domeſticorum ſpiritali voluptate, vario vocum & inſtrumentorum Muſicorum concentu peregerit.

COLLEGIVM DVACENSE.

OBIIT ex Adiutoribus Nicolaus Liebart Tornacensis pænè octogenarius, plenus dierum & virtutum, qui Tornaco recens huc aduenerat. Tam Iubilæi, quam totius anni tempore, generales confessiones auditæ pænè ad mille ducentas: & fuit virgo quæ tertium iam diem, vt totius vitæ maculas elueret, ob populi confluxum, expectarat; quam confessarius ceteris, qui præstolabantur prætermissis ad se accersiuit, quod iam dudum eam expectasse animaduertisset. Peracta confessione incolumis domum rediit, ac sequenti die, cum domestici sacris templi officiis interessent, expirauit, matura scilicet iam cælo anima. Rei sacræ supellex aucta est cruce argentea affabrè facta, trecentorum omnino florenorum. Adiuti sumus in rei familiaris inopia, partim priuatis piorum subsidiis, partim insigni Magistratus munificentia, qui cum postremæ publicarum expensarum rationes inirentur, nobis mille florenos in annos singulos ad triennium attribuit. Scholæ tam discipulorum frequentia, quam sedulitate ac pietate floruere. Philosophi soli censi sunt ad quingentos. Edictum quod eodem anno Parisijs, vrgente Academia, promulgatum erat, vt Franci omnes qui Mussiponti, Virduni, Duaci, operam literis dabant, ilico remigrarent in Franciam; tantum abest vt scholas nostras afflixerit, quin potius etiam reddiderit illustriores. Ac primò quidem abiere pauculi timidiusculi, & ij reuera non sine lacrymis. In quibus generosi

generosi adolescentis Leonori Valencay Abbatis de Borgheuil, abitus fuit æquè generosus, cui, & iam à Rege peculiariter reuocato, dolebat summopere, quod neque dum esset de Sodalitio B. Virginis. Itaque consilium init Præfectum Sodalitatis rogandi, vt sibi, & fratri & Pædagogo, ante abitum liceret esse Sodalibus: pollicentur se summo mane generalem confessionem peracturos, & deinde alibi reliqua præstituros, quæ Sodalium munus exigeret, & loci opportunitas permitteret. Peregerunt, & inscripti sunt postridie, & abiere pernutiti non sine lacrymis plurimis, hoc vno tamen lætissimi, quod B. Virginis Sodales essent. Nec porrò edictum illud ceteros absterruit: nam & ventitarunt frequentiores; ex ipsa etiam Britannia, seni & deni cum Pædagogis pueri, per medios Parisios iter huc fecere. Quamprimum hic de restituta in Franciam Societate rumor fuit, incerto licet auctore, mirum quot & quantę vndequaque gratulationes affluxerint, & è Francia, & à Francis hic agentibus; in quibus ilico prodidêre se complures ætatis etiam prouectæ, qui iam dudum Societatem ineundi consilium cœperant. Sodalitas ciuium, sub auspicijs assumptæ in cęlos Deiparę, magna bonorum gratulatione erecta est. In hac censentur multi ex primoribus ciuitatis.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

TRANSIIT vnus è Grammaticæ vmbra ad cælestem illum, vti speramus, solem; relicto sui domi, forisque desiderio. Iuuentus in tanta vicinitate

ciuitate cruoris hostilis stetit, nec lues per vrbem grassata eam imminutum iuit; creuit etiam Sodalitas numero auctior, & flore. In varios Religionum ordines concessere omnino viginti. Templo, præter sexcentorum aureorũ ornamenta, nõ alias magis fructus fuit. Concio tam in nostra Per anni cursum, quam summa vrbis æde, Sanctissimæ Deiparæ sacra, per aduentum & quadragesimã agminatim frequentata: exedræ ad expiandas animi noxas confestim obsessæ: altaris cancelli ad animæ pabulũ coronatim cincti. Expetiti nostri in tribus vrbis paræciis, ad frugem animarum dominico horreo inuehendam; Excursum etiam ad vicina vrbi propugnacula, magno militum bono. Æs fænebre & malis artibus partum, nunc ducentorum, nunc supra, aureorum, industria nostrorum ad suos dominos rediit. Contractus iniusti apud eos etiam, quibus immensi spes lucri, vel triginta millium aureorum affulgebat, non raro rescissi; aut consiliis impedimenta iniecta ne fierent, idque perfrequenter. Concubinatus, in opulenta ciuitate creber, crebrò quoque sublatus. Adulter cum pellice, septemdecim annis coniux erat; cum ecce peste corripitur, & extinguitur, quod pellici saluti fuit. Quibus ex petulanti consortio periclitabatur castitas, eæ in tuto positæ. A meretricio abductæ non paucę: vna etiam, quæ corporis cultum eò conuerterat, à lapsu præseruata. Plures fulgentibus manu plena aureis; promissis etiam maioribus, quin & multorum millium ad stuprum solicitatæ quibus paupertas eò facilem etiam viam sternebat, crebro sacramentorum vsu, in castæ vitæ proposito roboratæ. Odia multorum posita, quibus mutuæ parabantur cædes, & excidia familiarum

magna-

magnarum. Frater fratri, filius parenti, maritus vxori non ſemel conciliati. Totius vitę acta detexere quamplurimi; inter hos perplures nunquam ante confeſſi: multi etiam quos pudor ſeptuaginta annis ſacrilegos fecerat. Nutantes in fide ſeruati. Multorum quoque animis fidei lux prima illata, eiurata hæreſi, quam à parentibus hauſerant; fuerunt ij nimirum viginti quatuor. Fuit qui in Hollandia probroſe iactaret, ſi ſacram hoſtiam nanciſci poſſet, conculcaturum; is ad meliorem mentem reductus. Fuit qui libros hæreticos continuo lectitaret, bonæ frugis igniculos identidem præfocaret, ad omne ſcelus ſpreto domeſtico monitore graſſaretur, voto etiam caſtitatis poſthabito: is quinquageſimum demum poſt annnum ſibi, Matrique Eccleſiæ eſt redditus. Illud eximium. Adoleſcens erat annorum viginti, in cuius animo hæreſis cum ætate creuerat: ſororis monitu crebro ſollicitatus, tandem diem & horam confeſſario dixit: non venit ad conſtitutum. Sed adeſt illi à tergo Deus: eadem, qua venire debuerat, hora, tribus vulneribus confoditur: memor ille propoſiti Patrem inclamat. Adeſt, confitetur, & animo expiato, corpore quoque reualeſcit. Triginta annis ſaga magicis operata, vnius è noſtris hortatu anteactam vitam recognouit, & ignis ſupplicium æquo animo tulit. Quibus nec concio nec monitio profuere, adfuit Deus ſpectris quandoque immiſſis. Continuis ſex annis ſacramenti quædam violatrix, ſubito de nocte ſtrepitu excitatur, auditque vocem identidem ingeminantem, vti occultata hactenus peccata detegeret. Puella annorum decem adeo ſpectro infeſtabatur, vt nunc tota inſtar trunci obrigeſceret, nunc in aerem ad viri altitu-

Pp dinem

dinem ſublimaretur: fauces quoque ita præcluſæ, vt ſupra Aue nihil poſſet exprimere, cui in poſterùm tranquillitas à confeſſione, & piaculari agno fuit. Alij quoque aduerſus dæmonum ludibria muniti. Quidam fide dubius, vita improbus, B. Matris viſu & hortatu, ad meliorem vitam ſe recepit.

COLLEGIVM LEODIENSE.

EXEMPTI ſunt rebus humanis duo; P. Ioannes Oranus Leodienſis, & P. Gabriel Rogerius; quorum ille variis in Societate muniis, per quadraginta quatuor annorum decurſum, cum laude functus; vir ſalutis proximi percupidus, cum alternis diebus per quadrageſimam conciones haberet, in morbum incidit, quo ſenſim gliſcente, & naturæ vires ſuperante, poſteaquam multa ſingularis tolerantiæ exempla edidiſſet, animam Deo reddidit: Hic infractus in gloria Dei promouenda, poſt viginti octo annos in Societate exactos, & ob diuturnos concionando ſuſceptos labores, viribus corporis partim hydropiſi, partim aſthmate, imminutis, horis canonicis perlegendis occupatus è viuis exceſſit. Mulieres quædam ab illecebroſo procorum colloquio abductæ, noſtrorum concionibus, & frequenti Sacramentorum vſu, tantum peccati dolorem conceperunt, nihil vt prius modo habeant, quam ne aliqua occaſione aduerſus caſtitatem delinquant. Conſimili exemplo virgo quædam, ſpecie ipſa & genere nobilior quam vita, noſtrorum ſermonibus animum à noxa, corpus à labe,

labe, quę illi ex cognati blandiusculis congressibus imminebat, vindicauit. Restitutiones nō leuis momenti factæ, quarum vna facile mille ducentorum florenorum fuit. Hæresim abiurarunt duo, quorum alter annos quidem omnino sexdecim, alter quatuor & triginta, aut etiam amplius in ea perseuerauerat: ambo generali totius vitę exhomologesi purgati, ac quieti ex perturbatis, securi ex timidis, Deo atque Ecclesiæ Catholicæ restituti. Obiere multi ignominiosam mortem constanti animo, qui priusquam cum nostris agerent, ad desperationem inclinabant. Hos inter duo, qui Hollandis meruerant, ob latrocinium comprehensi, capiteque multandi, nuncium heresi remisere prius, ingenti spectantium lætitia. Die qui D. Bartholomæo sacer, ad ædem nostrā accessit Serenissimus Elector, & Princeps Ernestus, in qua sub sacrificium (cui operam dabat R. P. Visitator) Collegij fundator declaratus est, insigni nobilium corona circumdatus. Peracto sacrificio itum ad refectorium, in quo id beneuolentię argumentū dedit, quod & assidere sibi P. Visitatorem, & Rectorem voluerit, & sua manu cibos ministrare. Principis epulum recreauit linguarum varietas, quas ad duodecim nostri, beneficiis familię Bauaricæ erga nostram Societatem declarandis, applicarunt. Epulum excepit drama breue & iucundum, in quo visus est D. Thomas Apostolus, ingenti vi pecuniæ ex ærario coacta, Regi Indiæ palatium quoddam cæleste exædificare. Res magnam & Principi ipsi, & auditoribus attulit voluptatem. Paucis post diebus Serenissimus Archidux Albertus, opem laturus Syluæducensibus, cum secundo Mosa nauigaret, ad nos exscendit; post missarum solennia, statario prandio in domo nostra à

Magistratu exceptus; datis beneuolentiæ erga Societatem non paucis indiciis, ad institutam nauigationem sese retulit.

COLLEGIVM TRAIECTENSE.

MIRVM est quam frequens, hoc tam exulcerato rerum statu, discipulorũ numerus fuerit: is enim magna parte anni ad sexcentesimum accessit. Sodales B. Virginis, vt & superioribus annis, longo se asperatis nodo funiculs verberantium agmine, die Iouis sancto supplicationem magno pietatis sensu habuerunt. Quibus ob ætatem ad hoc exercitium pietatis non patebat aditus, ij saccis induti, laminas ferreas circumgestarunt. Sodalitas doctrinæ Christianæ superiori anno instituta, & duorum Pontificum spiritalibus gratiis locupletata, hoc anno non mediocriter Patronorum numero & splendore aucta. Protector eius declaratus generosus Dominus gubernator. Directores Reuerendi Domini Decani sancti Seruatij, & B. Virginis: Prouisores vterque ciuitatis consul: Assessores quatuor ciuitatis Pastores. Quorum nomina palam enunciata, vt ciues intelligerent quibusnam res catechistica maximè cordi esset. Nec diu patronorum hic titulus absque emolumento fuit. Prima enim congregatione decretum est, vti Ludimagistri suos ad Catechismum comitarentur, silentio compescerent; apparitores publici occulta ciuitatis loca lustrarent, & malè feriatos ad salutaris doctrinæ pascua cogerent. Per quadragesimam ad milites Germanos in portis excubantes

cubantes, exhortationes habitæ, quę multorũ annorum confeſſiones elicuerunt. Quam dæmon crebrius inſtigabat vt Deo renunciaret, ei ritè per noſtrum expiatæ moleſtus eſſe deſiit. Legitimis matrimonij vinculis adſtricti aliquot, qui inceſtuoſe diu vixerant. Excurſum ad vicinum oppidum, magno oppidanorum commodo. Dux ipſe gregis multis annis concubinæ amoribus tenebatur, etiam tertiò ſuperiorum iuſſu dimiſſam, etiam quartò reuocauerat, adit domum noſter, & quæ illi oſtium, ei idem ſalutis viam aperuit. Nec mora, poſt horæ vnius ſpatium abit ea, rebus obſarcinatis, eaque obteſtatione, quaſi in poſterum nec viuum, nec mortuum amatorem ſuum reuiſura. Duo primarij ſenatores ſtatuerant iniurias mutuas iudicio proſequi, ſed poſt auditum noſtrum de remittendis iniuriis differentem, à iudicibus ad arbitros deflexerunt. Auxere ciuium pietatem ſanctorum reliquiæ Tungris, Maſeyckaque proximis oppidis ad nos delatæ. Obuiam itum Ludimagiſtro ſectæ Anabaptiſticæ, qui ſe in multorum ciuium gratiam iam inſinuauerat, & pedem porrò fixiſſet, ni inſtantius contra vrſiſſet noſter.

COLLEGIVM
BRVGENSE.

PER diuerſas vrbis parœcias habitis ſacris concionibus, inſolita in ciuium animis exarſit pietas. Nam ſæuiente lue, non tantum in omnibus Collegiatis Eccleſiis, parœciis, monaſteriis, Sodalitatibus, verum etiam vicis ſupplicationes ſolennes inſtitutæ, multis ex vtroque ſexu nudis pedi-

bus eas prosequentibus, quos populi conatus, promouit sacerdos venerabile Sacramentum circumferens, & ædes peste infectas lustrans, procumbentibus in genua domesticis. Denique vicatim regionatimque lecti pueri, puellæque ordine ad sacellum D. Basilij, vbi asseruatur sacer Domini cruor, combinati & candidati, preces, auditoque sacro, cereos obtulerunt. Vnde factum creditur, vt pestis non tantopere sæuierit, quantum, humano iudicio pensitantibus medicis, grassatura putabatur. Sed non minus præclarum parthenij Sodalitij studium; nam inualescente lue, quinque sacra votiua in templo Collegij nostri, heroico plane concentu, celebranda curauit, atque ad placandam irati numinis iram, argenteam lampadem Deiparę Matri, viginti septem librarum flandricarum, ad aram eius miraculis illustrem, insigni pompa & frequentia vouit. Ipso festo Circumcisionis præter ordinarium ornatum, & insignem concursum populi, liberalitate quorundam, collucebat templum ex cera virginea ad summam aureorum viginti. Accessere templo ornamenta, quorum inita summa mille septingentorum florenorum. Duodecim hoc anno ex iis virginibus, quæ nostris confiteri solent, & inter ea nobiles aliquot, Religionem ingressę. Exhibuit iuuentus nostra comędiam, huic tempori luctuoso accommodatissimam, quæ spectatori lacrymas excussit. Theatrum erat atratum, Niniuitę ciliciis ad corpora induti, & cinere capita aspersa habentes, introducti. Nec ægris publicè priuatimque nostrorum opera defuit: adiuti pauperes, extrema inopia laborantes, nō mediocri pecunia. Hæresim abdicauit vnus. Duæ, quæ corpore quæstum faciebant, ad continentiam reuocatæ.

Pax

Pax inter huius vrbis primarios coniuges compoſita, quorum ſimultates & concepta odia, parturiebant diuortium. Quidam, vt antiquum nomen diſſolueret, eſt adductus. Et ſua militibus in Caſtellis nauata eſt opera, hyeme perinde ac æſtate, non ſine magna itineris difficultate. Paſti aliquot diuini verbi, & ſancti Sacramenti pabulo: quo exemplo exciti ruſticani, qui ſine Paſtore & Miſſæ ſacrificio, iam multo tempore degebant, templum inſtruere, diuinaque officia ſolito diligentius obire cœperunt.

COLLEGIVM IPRENSE.

PVBLICE carceres, Noſocomia; priuatim ęgri viſitati. Communia pleraque omnia, ſed tam cupide feruenterque procurata, vt ex iis colligi poſſit ad illuſtriora peragenda, non colonos, ſed meſſem defuiſſe. Mulieres duæ in extremo poſitæ dubiam viã iniiſſent, indigę viatici, roboriſque ad extremam luctam opportuni, niſi noſter in tempore remedia accuraſſet. Violatę annis multis confeſſiones, de integro inſtauratæ. Hoc quoque memorabile. Procuratum eſt apud tenaces antiquarum conſuetudinum, licet haud adeò probandarum, vt in Noſocomio, virorum à feminis paulo amplius ſecernerentur lecticæ, quæ nimium erant aſſitæ, magna vtriuſque ſexus aut verecundia, aut periculo. Non omnino nulla erga nos exſtitit piorum eleemoſyna. Templo lanx, cũ guttis argenteis, ipſa quoque eiuſdem metalli egregiè elaborata, ſacrificio adorando attributa. Pecuniarium

quoque impendium non leue eidem templo decorando datum.

COLLEGIVM CORTRACENSE.

CORPORIS tentata hic quorundam valetudo, at animorum mutua charitas, & ad quodnis munus obeundum alacritas, sibi constitit. Ea in hac vna de minoribus, quæ Societatē admiserunt, ciuitate, plebis & Senatus in nos propensio; quæ Collegio facile sex millium florenorum onus leuarit, templo variam iuxta ac elegantem supellectilem septingentorum adauxerit. Quotidiana per sacrum aduentus tempus, obtineri concio non potuit hactenus: iam noster in æde primaria auditur quotidie, magna concurrentium auiditate. Ex quo fructum animarum non exiguum, propensionem in nos maiorem sperare licet. Statutis Iubilęo lucrando mensibus, tota fermè ciuitas ad nos affluxit, aut illius fruendi, aut generatim confitendi gratia. Matrona quædam, occasione Iubilæi visura confitentes, sacellum ingreditur: curiositas illi saluti fuit. Confessionis iniecta mente, num vnica vitam omnem expiaret, diu secum & cum Deo luctabatur; adeò vt extima corporis inquietudo iam sedentis, iam vicissim assurgentis, alternantem animi fluctuationem proderet: cum ecce altrinsecus sacerdoti adhærere videt duos Angelos, illum cacodæmonem horrendo vultu, nigroque fuste ne accedat interminantem; hunc beatum Angelum aspectu speciosum, albis indutum, virga item alba, vt accedat, inuitantem. Paret illa, nec paret,

in

in alterum diem rem totam differens, & dum nocte secum vitæ actus retractat, tartareum hocce monstrum sub aspectum redit ferocientis habitu, iamiamque afflictæ vim apparantis. Quid agat? salutari metu pauitans moras abrumpit, & sacerdote accersito expiata, omni molestia liberatur. Virgo maligno spiritu, veris subinde furiis acta, insomnes ferè noctes agitabat, vocatur sacerdos noster, aquam infirmæ lustralem aspergit, & bene precantibus eam verbis prosequitur. Quietem igitur accepit noctibus aliquot, at perpaucis; non multo post tempore recurrentibus furiis. Postquam quieti conciliandæ incassum tentata plurima, redit noster, & iterato remedio, cum quiete facilem vna somnum virgini restituit, obstupescente familia. Alia salutis prodiga, ob continuas maligni hostis molestias, saniori menti reddita. Familię aliquot vt in vrbe, ita vicinis in pagis, depositis odiis & simultatibus, quę cum graui multorum offensione & dolore fouebantur, in gratiam mutuam & cum Deo redierunt. Ex adulterio, pellicatu, quin & incestu nefando sacrilegoque, non pauci per nostros adiuti & erepti; sacrilegę per annos aliquot eorundem confessiones emendatę. Mulctandis rogo veneficis vt consuleretur, dies & noctes totas allaboratum, nonnullis ad criminum detestationem, & salubre pœnitentiæ remedium perductis. Chartæ peregrinis atque ignotis characteribus conscriptę, maleficæ superstitionis instrumenta, quibus vita beata & immortalis promittebatur, è manibus excussæ.

COLLE-

COLLEGIVM GANDENSE.

SACERDOS vnus è viuis excessit, accessere quatuor. Concursus ad ædem sacram solito maior. Multorum illæ voces & querimoniç, angustiis sese templi prohiberi, quo minus confiteantur, ac communicent; vt mirum esse non debeat, vix iniri posse summam eorum, qui totius anteactæ vitæ venenum euomuerunt. Multi exteri Hispani, Galli, domi, foris, & in Xenodochiis, auditi. Abstractæ mulierculæ aliquot à fœdo corporis quæstu, eædemque ad insigne castitatis studium euectæ. Non paucæ, neque illæ vulgares, in religione orthodoxa confirmatę. Sed hæc fortassis vulgaria, quæ sequuntur omni memoria dignissima. Aliquot virorum nobilium filiæ, stupente vrbe vniuersa, omnem corporis ornatum abiecere; ac nunc quot hebdomadibus in templo nostro communicant. Consulis filia vixdum nonum decimum egressa annum, diuino prorsus instinctu Patrem adiit, obsecrauitque sibi vti liceret, spreto mundo, Deo vacare. Pia filię petitio Patri lacrymas excussit, & consensum; tum illa, age mi parens, & torque è collo detracto, ex illo, inquit, mihi calicem confla, vt ex eo mihi salus propinetur, quo ipsa mundo aliquando ludibriũ debui: quinimo, respondit parens, tibi habe catenam, nec tibi, nec Deo, aliunde curato calice deerimus. Accessere ad supellectilem sacram scyphus argenteus non inelegans, duo candelabra ramosa è tholo pensilia, nec non frontale sericum coloris violacei; vna quoque, quæ latére

tére maluit, reditum annuum nutriendę lampadi consignauit. Neque domi tantùm laboratum. Nostri frequenter ægrotis in Nosocomio solatio fuere, inuentaque ratio rem diuinã, iamdiu intermissam, in carcere restaurandi. Ad locum quendam citatis equis euocatus Pater, grauem difficultatem, & quæ mala nec pauca, nec modica minabatur, haud difficulter explicauit & dispulit. Incredibile dictu quanta in iis locis lętitia, omnium animis oboriatur, dum nostros vel eminus aduentantes conspiciunt.

COLLEGIVM.
INSVLENSE.

HÆRESI eiurata, non pauci nomine ad militiam Christianam dato, sub Ecclesiæ signa se receperunt, nouo sacramento melioreque stipendio obligati. Ex iis non nemo, qui medio in sinu, & ipsis præcordiis (quod perniciem augebat) occultatum diu noxiale venenum fouerat; vt primo in congressu discrimen per nostros agnouit suum, tanto se expeditum malo, diuinis in posterum rebus tradidit sanctius imbuendum, & iam totus noster est. Tanta vis fuit veritatis, vt vix ad manus cum esset ventum, dari sibi ipsa impulerit manus. Alter iam quadragenarium excedens in medio Gebennæ lacu eductus, educatusque, arrepta fidei tabula Gebennam simul, gehennamque euasit; felix, qui, quod vitæ supererat, vt benè moreretur, inuenit. Ab hoc non errore, sed exitu dispar, tertius fuit, qui nuper sub Hollando stipendia meritus, honestis quidem illę parentibus oriundus, sed

non

non æquè Catholicis, fluctuabat ergo, imo pendebat animi, adeoque fidei erat incertus, vt de qua secta esset, nec ipse quicquam haberet certi: verum in viam ille à nostris reuocatus, nouo fidei sacramento, meliorem in Christo militem auctoratus est; vnde factum, sententiam vt mortis, quam horrebat ac detestabatur prius, tentataque sæpius fuga declinare consueuerat, iam non æqua tantum, sed perlubenti perqueconstanti mente sustineret. Sed enim, ecce tibi dum restim tortor circa palum humi depactum contorquet, in partes illa dissilit: diceres factum vt morituri constantia fidesque constarent. Hic reus inter istos agones, ac vitæ necisque angores, cum subsidisset paullum semiuiuus, quam palpitantibus atque defectis manibus crucem gerebat, sursum tantum non præfocatis faucibus, admotam, plusquam mascula virtute exosculari adlaborat. Affecit ea res, vt lacrymas vix tenerent, quotquot istic aderant, quod duplicato maxime supplicio periret ille, flore venustissimo frontis ac ætatis iuuenis, valenti corpore, ingenio viuido, iudicio peracri. At, quæ hominum constans est inconstantia, perdita semel ac profligata vita spem frugis ademerat melioris, quę vna ad libertatem requiri videbatur. Enimuero bonam abrumpi vitam satius, quam diu viuere non bonam. Tantum de Hæreticis. In melius etiam mutati catholici. Bini coniuges inualido connubio, per plures viginti annos abusi fuerant, licito tandem vinculo cum suis quisque copulati ac firmati. Ingrauescente hic lue pestifera, tanquam concusso diuini furoris flagello, mira ad propitiandum numen facta mutatio morum, sacrorumque instauratio. Supplicationes per vicos, & compita singula ciuitatis, non sine sancta paræ-

paræciarum æmulatione, ad multos dies magnifico apparatu, pompaque perauguſta frequentatæ. Ac vt nihil ad pietatis ſtudium deeſſe poſſet, verba ad populum peropportuna à noſtris habita in omnibus templis vrbis. Fuit etiam hoc tempore proprium ſimul ac periucundum, audire pueros è noſtra potiſſimum diſciplina, paſſim flexis genibus, manibuſque paſſis, Beatæ Virginis ſacra cantica perſonantes, vbi diuerſis in locis viſuntur erectæ ipſius imagines. Habet quoque illud alterum vſurpatum, contagioni auertendæ haud parum pietatis, quo impenſis in commune partitis, eiuſdem viciniæ domus, qua plateę patent, cereolo ambiuntur oblongo & tereti, qui deinceps vt præluceat, ſolenni ritu venerabili ſacramento, tanquam alexiaco deuotus ac ſacer offeratur. Iubilæi bimeſtri à S. D. N. Clemente VIII. opportune per Belgium indulti, tantus ruricularum fuit ad nos confluxus, vt in ſingulos plurimum dies, in templo noſtro ſupra ducentos ſacroſanctam Euchariſtiam participarint. P. Gabrieli Rogerio, qui complures annos in æde prima egerat Eccleſiaſten, magnamque ſementem Chriſto fecerat, iamque à nobis alio commigrarat, vnde & ad cælos euocatus eſt; publicè inferiis inſtitutis, à Canonicorum Collegio, & D. Mauritij Curato, parentatum. Hæc in vrbe. Excurſiones ad pagos adiacentes, qui multi & frequentes ſunt, pari multorum bono ſteterunt. Noua Collegio huic colonia primum adiuncta eſt, ad quam miſſio fuit perquam vtilis. Stregræ municipium eſt Flandriæ, propter Liſam, haud multum infrequens. Ab Inſulis ſex leucis abeſt: à fide olim abfuit haud paulo remotius. Quare Gebennæ minoris, non tam falſo, quam vulgo nomen obtinuit.

nuit. Sed fenticofus hic ager fidei farculò à noftris diligenter expurgatus. Reditum eo diebus, qui venerabili Sacramento fefti, deuotique funt. Vidimus iterum magno cum gaudio non irritos fuiffe iactus; meliore iam terra pleniufque culta quam vnquam, plures ad facrofanctam fynaxim adierunt; quod id ipfa dierum feftiuitas poftularet. Octauus, quo folennitas hæc claudi folet, licet iftic nundinarum effet, feftus dies tranfactus tamen eft, pomeridiana luce, feftiuo admodum vicorum inftructu nec non hominum concurfu grato. Per pueros fphærularum precatoriarum, ac iconum, quæ exulabant, reductus ac reftitutus eft vfus. Curatum etiam, vt lychnichus penfilis coram facra Hierotheca perpetuus ardeat. Iam quoniam fe extra muros vrbis effuderat quoque hęc animarum lues, (ferpit enim eo facilius, quo indulgentius hoc malum) ad vicina etiam loca à noftris excurfum, & nonnulla meffis facta. Hic ad Lifam Parthenon eft, (nomen loco dedit) Religiofarum fancti Bernardi regulam profeffarum. Eas noftrorum exhortationes eò falutis promouerunt, vt propemodum vniuerfæ fe, fuafque actiones ad calculos reuocarint. Iam fe Religiofas demum norunt.

COLLEGIVM
VALENCENENSE.

VNvs nobis morte ereptus, Henricus Briffel Lotharingus, ipfo, qui D. Henrico facer, die: qui hoc eodem anno vota coadiutoris temporalis formati Deo nuncuparat. Hic quadragenario maior, ita è viuis exceffit, vt magnum nobis fui defide-

desiderium reliquerit, ac virtutis exemplum. Vir erat eximia integritate, excellenti studio instituti ac regularum, Christianæque humilitatis ac feruidæ caritatis exemplo memorandus: in omnibus muniis sese ad agendum,& patiendum egregie paratum semper præbuit; omnia vnus amplecti, omnia exequi officia voluisset: & sane vix fuit functio externa, in qua feruidum diuino igne animum, & lacertos torosos non omnibus probarit. Prohibeor persequi pluribus,quantum calcar nostris ad perfectionem addiderit, quantum admirationis reliquerit, raris solidarum suarum virtutum exemplis. Pagi circumuicini à nobis sacris concionibus, catechismis,reliquisqueSocietatis officiis non mediocriter adiuti. Complures nostrorum industria & opera, ab animorũ interitu & periculo emerserunt Argumento est(vt de multis vnum alterumue perstringam) quod diffidentium simultates, quarum exitialis timebatur exitus, sint penitus sublatæ, ingenti diffidentium,atque adeo præcipuorum ciuitatis bono. Addam aliud. Vir,adeo pertinaci animi dissensione, cum vicinis contendebat, vti desperata in perpetuum concordia, omnia minis & terrore miscerentur; horum sauciis animis vnus è nostris sacerdotibus adeo feliciter medicinam fecit, vt veteribus offensionibus sempiterna obliuione deletis, dexteras propalam darent beneuolas, & irent in amplexus mutuos, summa consensione, manantibus gaudio lacrymis. In virgine adolescentula, confessionis in templo nostro, & sacræ communionis frequenter à se vsurpatæ mira vis exstitit; Huius eximia specie captus impurus adolescens primi nominis, castum animum omni ratione & technis sollicitabat, cum interim illa, animo

nimo in castimoniam obfirmato, impudentiam hominis constantissimè repelleret. Sed inflammauit ardentius iuuenem, virginis obstinata castitas, votoq; obsignata. Euincit igitur muneribus vicinæ domus ancillulam, vt se per tectum in amatæ domum immittat. Paret illa, & monstrara via, clancularius, dum adnoctescit, in cubiculum virginis irrepit, seseque abdit quam occultissimè. Ascendit mox virgo, fraudis inscia, vt cubitum concederet: fusisque pro more vespertinis precibus, cœpit præter solitum tremiscere, nunc hâc nunc illâc circumspectare, & perspicacis instar columbæ, vel vmbram timere accipitris. Castigat subinde imbellem animum, & fortis esse adlaborat metu discusso, frustra; crebrescit horror, geminatur metus, virginei pudoris vel præcursor, vel comes. Tandem lustratis cubiculi angulis, castitatis insidiatorem sub lectica abditum reperit. Exilit ille blandiens verbis, lasciuiens habitu; Non tulit petulantiam Amazon christiana, & arreptum candelabrum tam altè in hostile caput impegit, vt domum vix viuus euaserit. Post menses aliquot persanato capitis vulnere, gliscebat in amatore pectoris vulnus perniciosius. Vertit itaque se ad artes, & consulto mago virginem expugnare conatur. Semel, bis, tertio amatorios pulueres, animorum philtra, chartas peregrinis characteribus exaratas, virginis vestibus, libro, cubiculo, inseruit. Sed interno monitore tuta virginitas virtutem, fraudem semper detexit. At ne sic quidem effrenis amor stetit; dum contra artes magicas, contra blanditias inuictum animum spectat, vi virginem aggreditur. Captata solitudine, cum parentes abnoctant, clancularia claue ad cubiculum peruadit, vbi virgo strato se dedit, fauentibus

uentibus tenebris prorumpit è latebris, circumstat ceu raptor ad agnam, ceu lupus ad prædam. Quid faciat pauida columba sub vngue accipitris? inclamet? nullus exaudiat; gemat? non iis mouetur incestus amor. Luctetur? sed certa stabit ab hoste victoria. Itaque iam non de morte dubia, sed de p[illegible]ore trepida, animum ad virtutem parat, ad artes vertitur, vacua præsidio, Deo plenior. Habet & suas artes ingeniosa virginitas, & inermis ipsa armatos nunc strauit, nunc exarmauit. Quid agimus? inquit tacita, nisi prospicimus, captiua virginitas; votum est mori, sed metus est deflorari. Est in virgine vulneri locus, non est contumelię. Ergo de testamento armata, dum in Iudith velut obsecundante benè successit exemplũ; Age, inquit, pertinax amator, dum castæ, mihi, esse non licet, liceat esse cautæ. Erit vtriusque famæ consultum, si pessulus foribus obdatur, ne serò domum reuertens ancilla amores istos turbet, vel infamet. Prouidè, subdit, insanus amator; sed comitata inquit, ibis, ne solitos ludos agas. Præit illa superinducta subucula, præhensat comes laciniam, & dum per tenebras gradiuntur, primoresque fores virgo tentat; raptim aperit, è manibus elabitur, in medias plateas sese proripit. O prouidam castitatem! quæ ne capta quidem, capi potuit. Ita demum elusus adolescens, dum metus amorem, infamia desiderium vincit, insania ad breue tempus destitit; Ad tempus inquam breue, nam cum hac ratione se nihil proficere videt, ad alias artes conuertitur, magicis incantationibus spiritus quosdam malignos, per virginis cubiculum, noctè obambulare facit, qui metum nocturnum incutiant. Vbi rem ad nostros virgo retulit, consilium accepit, vt omnes

cubiculi sui angulos diligenter excuteret atque euerreret, si quod forte signum magicum alicubi proiectum esset: nihil inuenit, nec cessauit nocturna illa illusio donec ipsa velut diuinitus inspirata, oratorium, quod in cubiculo habebat, examinans, cæreum altari suo domestico impositum candelabro eximit, ibi videlicet philtrum reperit candelæ ab inferiori parte insertum; erat autem filo circumuoluta scedula chartacea, in qua puluis nescio quis, ac atra quædam bestia inclusa erat; ancillam accersit, & diabolicum instrumentum vt in flumen proijciat mandat, grauius aliquid verita si in ignem coniectum fuisset, vt aliâs. Detecta hac fraude orationi se dat, Beatissimæ Dei parenti, ac sanctæ Vrsulæ, cui imprimis deuota est, enixius se commendat. Res mira! audit velut magnum agmen ac confertum, moderato gressu per cubiculum suum pertransire, & horrescit quidem primo auditu, secumque deliberat num descendere velit, triste aliquid suspicata; tandem ad ianuam cubiculi aduolat, sed sentit se impediri quo minus egrediatur, & mox timorem omnem ab animo abstergi, tantamque consolationem duarum horarum spatio percepit, vt virgineum agmen, ac virginum reginam, sponsumque virginum eò aduenisse, etsi oculis nō cerneret: ex admiranda odoris fragantia, sed præcipue ex inusitata illa mentis dulcedine, certissimè cognosceret; venit postea seu sponte seu vocata ancilla, & aperto ostio mox admirabunda quæsiuit vnde tam admirabilis odor, cui similem nunquam esset experta, prouenisset. Dissimulans prudens virgo, & secretum suum sibi seruans, sermonem diuertit & abire iussit; & quidem is finis fuit nocturni illius terriculamenti, sed nondum certaminis

nis finis, quem felicem vt speramus proximis annalibus, cum eum intellexerimus, reseruabimus. Mulier quædam internis peragitata terroribus, & peccatorum forte molesta conscientia pænè furebat: hæc nostri sacerdotis hortatu, cum crimina confessione expiasset, conquieuit, & sic solatium mali ac remedium inuenit. Tertia quæ è peccatorũ cœno & salebris, ob interfusum sæcularis luxuriæ æstum, non poterat eluctari, cum industria nostri sacerdotis ad sacram exhomologesin esset adducta, & sacro post epulo refecta, ita in bono perstitit perstatque, vt facile appareat quantum momentum sit apud Deum, digne hæc sacra mysteria obire. Cœpimus hoc anno (quod annis viginti, quibus Societas hic sedem fixit, non fuit concessum) obire scholas, in quibus prima rudimenta litterarum traduntur, vt christianæ disciplinæ capita simul edoceantur præcipua: quod primoribus ciuitatis vnicè probatum.

COLLEGIVM MONTENSE.

EGREGIA nostrorum eluxit solertia, qua in salutem & perfectionem proximorum sedulo incubuerunt. Numerus imprimis eorum, qui conscientię maculas pœnitentię sacramento eluerunt, & mysteria corporis & sanguinis Domini perceperunt, solito longè fuit auctior. Inter eos quam plurimi cum viri tum feminæ, replicata peccatorum memoria, sarcinam totius vitæ deposuerunt, expressis iis etiam, quæ quadraginta & sexaginta annis grauissima reticuerant. Dissidentium animi ad

concordiam reuocati; quique graui & iam inueterato sese odio prosequebantur, atque ad cædem spectabant, erroris ab inuicem petita venia, arctiori sese amicitię vinculo colligarunt. Vir qui se ab vxore & thoro, & loco disiunxerat, ad eandem magno conscientiæ bono est reductus. Femina, quæ per alterius imprudentiam in ignem lapsa fuerat, atque ex combustione moritura, offensionem aduersus alteram pertinaciter retinebat, eam tandem vt remitteret, ac Christi Domini amore condonaret, est inducta. Duo è diaboli laqueis educti, quorum alter iam collo laqueum iniecerat, alter desperationis barathro absorptus, sese dęmonibus deuouere obdurato animo statuerat; quibus à confessione mira animæ serenitas est consecuta, omnisque morbi grassatio conquieuit. Alia annorum quindecim continua corporis ægritudine conflictata, vix manducare, vix valens incedere, Beatę Virginis ope, quam vnius è nostris consilio inuocauerat, sanitati est reddita. Sodalitas vtraque sub tutela Virginis Deiparæ, virorum iuuenumque flore non infrequens, viret vigetque, ac rosæ instar suaueolentis, inter aculeatas obloquentium linguas, suauissimum vitę & virtutum odorem ad omnes transfundit. Ad Collegii dotem, quadringentorum circiter florenorum accessio facta est. Sacrum item templi instrumentum variis ornamentis, quæ mille quingentis florenis æstimantur, locupletatum.

COLLEGIVM WINOCIBERGENSE.

NOSTRORVM non domi tantum, sed & foris ardens animarum studium, longè lateque flammas sparsit. Atque vt omittam Concionum, Catechismorum, Confessionum amplam segetem ac messem, quæ huic & aliis Collegiis communia; peculiares tantum huic agro spicas in fasciculum cogam, cui beneficium potissimum stetit, eradicato omni aconito hostilitatis, & pungentibus odiorum rubis. Composita igitur inter primates lis, quæ octodecim annos tenuerat, ea dissidentium pertinacia, vt mutuo alloquio & aspectu se non dignarentur; dictitarent insuper se malle fame interimori, quàm ope mutua iuuari. Quod sequitur, vt maioris operæ, ita fructus quoque vberioris. Aliquot iam annorum simultates fouebant inter se duo nobiles, & à verborum aculeis ad ferri aciem ventum fuerat, ac summa vtrinque contentione, causa in Senatu Gandensi agebatur. Multos viros primarios, ac ipsum quoque Iprensem Episcopum res hæc habebat sollicitum, occasionem nactus, superioris consilio, ad vtramque partem emolliendam pergit, sacerdos vnus è nostris, qui primis horis, ita parum æquis ad conciliationem animis eos reperit, vt non aliorum modo, sed suo etiam iudicio aduersissima quæque citius conciliasset. Resumpto tamen animo eo vtrumque permouet, vt petenti veniam dare aduersario polliceretur. Sed qui primus rogaret, id verò controuertebatur. Quid multa? altero ad Ec-

clesiam ablegato, ad alterius Castrum pergit noster, Dominumque familiariter eò vt se conferat, inuitat, & quasi manu ducit, nihil fortasse minus, quam quod gerebatur suspicantem, mirante populo tam insolita hora templum peti. In ipso itaque choro, ante venerabile Sacramentum se prosternit noster, & cum se orationi nonnihil dedisset, vtrumque ad se vocat simul cum Pastore, & causam aduentus exponit, sed neuter induci potuit vt sibi ignosci peteret, & ad iurgia res tendebat: Cum subitò noster à circumfusa turba omnium delictorum, si quid fortè in eos patrasset, veniam petit, & cum rubore adstantium audit, nihil se in eos deliquisse, tum rursus ad vtrumque; ecquid ergo in eo difficultatis, vt ignoscat sibi quis petat, si quid deliquerit? & ad nobiliorem conuersus, tu, inquit, sapientia & exemplo præi, quem præis honore; an non doles, si quam parti aduersæ iniuriam intuleris; tibique ignosci petis, & pacem quæris? Cui cum ille annuisset, dolere se, velleque cum omnibus amicè agere; totidem verbis alterum interrogans, idem responsum promptò ab eo animo accepit. Quibus benè precatus ad Castrum cum omnibus pergens, pacis symbola, dexteris interiunctis confirmauit; qui concordibus animis deuincti, iam amicè inter se agunt. Hoc anno ipso die Epiphaniæ, instituta Deiparæ Virginis Sodalitas, maiores inter & studiosos, quæ quidem paruis initiis cœpta, splendore suo ac pietate præcipuos quosque ad se traxit, ac in eam rem spirituales gratias Reuerendissimus Iprensis elargitus est. Impensa & vtiliter carceribus cura, furti reus, cui laqueo vita erat finienda, salutaribus monitis informatus, ea pœnitentis animi signa dedit, vt

grauiores

grauiores etiã pueritię errores populo aperuerit: vix octauum annum agens, ob contumaciam à matre increpitus, furiali dementia lapidem in matrem impegerat; quod factum cum parens alter dissimularet, non dissimulauit Deus, facinorosæ dextræ tremore immisso, cui non nisi à supplicio finis fuit.

COLLEGIVM LVXEMBVRGENSE.

Hæc Residentia, totius Ducatus flagranti desiderio, & amicorum nostrorum ingenti congratulatione, tandem in Collegium mutata, vberiores in posterum, vti speramus, Deo propitio fructus proferet. Nunc primitias habetote. Qui habitant in hoc nouo Collegio, omnes bona vtcumque sunt valetudine, & solidarum virtutum, tam in se quàm aliis augendarum, studiosi. In proximis iuuandis salutaris opera posita est, tum doctrinę sacrę exegesi tribus in locis ciuitatis; tum concionibus fructuosis frequenti in auditorio. Milites præsidiarij plures quindecim labe Lutherana aspersi, illisque in locis educati, vbi nullum Christianæ religionis viget exercitium, catechesi præuia fidem catholicam amplexi sunt. Itum identidem ad loca stationum, simulque eorũ egestati, liberalitate quorundam ciuium, nostrorum commendatione subuentum. Calendis Octobris Deo auctore, scholis initium dedimus. Cantatum eodem die solenne sacrũ de Spiritu Sancto, Abbate Munsteriensi sacris operante corã Illustrissimo Principe ac Comite Mansfelt, Consilio, Senatu, aliisque honoratissimis viris. Habita quoque oratio docta & elegans in laudem

beralium artium, quam drama festiuum excepit, non sine spectatorum applausu. Eluxit & hoc anno Serenissimi Archiducis munificentia, quinquies mille & sexcentis florenis, ad antiqua nomina expungenda, attributis. Auximus & prioratu Aqualia à morte Do. Linden, qui Ecclesiæ Cathedralis Leodij Decanus, eo hactenus fruebatur. Ea vero Comitis Mansfeldij in nos est beneuolentia simul & beneficentia, vt sacellum nostrum quotidie ei à sacris sit, quod insigni quoque propetasmate adornauit; domus vero ita curæ, vt sæpe, si qua re indigeamus ipse prior interroget, duobus nuper vini vehibus inopinato submissis. Coemptæ quoque vicinæ domus duobus dalerorum millibus, & quingentis, priores angustias dilatarunt. Inter pretiosam supellectilem, quæ hoc anno sacrario accessit, casulæ quatuor, cortinæ acu pictæ, tabulæ opere phrygionico, paropsis cum duobus pocillis argento ductili, coronæ sericæ, & quod omnia superat, sacrosancta aliquot ossa sacra, viua olim Spiritus sancti habitacula, ex Vbiis nobis allata, magnaque pars ex ossibus Sanctæ Barbaræ, Reuerendi Abbatis Epternacensis singulari dono.

COLLEGIVM ATREBATENSE.

TANDEM post trium annorum residentiam, apertæ sunt initio tres classes octauo Aprilis, incredibili omnium ordinum lætitia. Id declarauerunt tum publicæ congratulationes, tum pastores omnes, ac diuersi Religiosi, qui pro concione hoc beneficium, & institutum nostrum plenissima

commen-

commendationis oratione collaudarunt. Recensiti primo die ducenti discipuli: In præsenti supra trecentos quinquaginta numerantur; duplicato futuri numero si loci angustiæ paterentur. Iuuentus acri, imperterrito, & martio est ingenio, docili tamen; & ad literas propenso. Exacto semestri, sub primam studiorum renouationem, datum drama de institutione Arcadij Cæsaris, sub disciplina Arsenij; argumento in speciem breui, sed eo magis admirabili, quod perquam magnifico apparatu, nec non poeticarum inuentionum, instructionumque moralium eximia varietate, eleganti iuuentutis actione, quatuor horas & amplius ita detinuerit spectatores plebeios, ac litteratos (quorum hic ingens, sicubi, est numerus) vt post distributa ex Senatus munificentia præmia, clausa scena & applausu dato, hianti ore sisteret quisque, loco moueretur nemo. Conciliabant authoritatem ipsa illustris Præfecti vrbis area, viri vt maximæ apud Atrebates authoritatis, ita nostri ordinis amantissimi, Reuerendi Domini Abbatis Vedastini, Cleri, Consilij Atthesiæ, totius Senatus, deniq; lectissima doctorum hominum corona. Senatus ipso die cum honorarijs muneribus Societati gratias egit, & eadem hebdomada populi conuentum indixit, in quo ex Senatusconsulto, Consiliarius ciuitatis necessitatem ædificandarum à fundamentis classium, cum aula ad scholasticas exercitationes necessaria, ita exposuit, vt omnes, nemine excepto, annuerint. Porro cum ratio inueniendæ pecuniæ, exhausto iam ærario publico difficilior appareret; ciues voluntarie polliciti sunt se, quod commodo cuiusque fieret, vtendam ciuitati pecuniam, sine vlla prorsus temporarij vsus æstimatione, daturos. Interea

terea ad scholarum vsum vicinæ ædes partim à Senatu conductæ, partim aliæ à Reuerendo Domino Vedastino coëmptæ, ac primum quidem vsibus Societatis concessæ, iam etiam non sine diuina prouidentia donatæ. Res memoria digna. Ædium dominus rogatus vt eas elocaret ad tempus, recusauit; venales exposuit. Facta per Commissos abs Principe Arthesiæ Consiliarios pretij æstimatione, pretio non stetit; Ad Mechliniense (id est supremum in Belgio Concilium) turbulentus appellauit. Indicta domi, iunctis precibus, sacrificia; Ecce tibi, postero die, quo nimirum authoritate Concilij, rogante ita Senatu, nõ sine vario, vt fit, plebeculæ rumore, domo sua erat excludendus; bene mane mitis ac placidus, vir alioqui pertinax, significat nostris sua se domo sponte cessurum: atque ita domus ad nostros vsus accommodata, atque adeo à Præsule Vedastino Societati deinde data, futuro Collegio pernecessaria. Ita nimirum obstinata, viri voluntas, dum noluit vt sua domus ad tempus Iesuitis concederetur, occasio fuit, vt eisdem non sine diuina prouidentia donaretur. Munifica profecto est huius Præsulis in nos beneuolentia. Scenographiam omnem futuri, quod nobis suis sumptibus meditatur, Collegij, dum Societas ei ostendit, primum de ea sententiam ipse suam aperuit. Ceterum Patres, inquit, iudicate quid è vestro sit commodo, mihi perinde est, vobis enim ædifico. Aucta insigniter voluntariis piorum eleemosynis suppellex domestica, libraria, sacraque. Illustris Marchionissa de Roubay hic moriens, quater mille florenos partim Atrebatensi, partim Valencenensi Collegijs, testamento legauit. Comites Barlaymontana Gubernatrix Arthesiæ, & eius

soror

fotor, nobiles Heroinæ, pretiosis fericeis altare exornarunt. Ea est iurisperitorum beneuola in nos promptitudo, vt quotiescunque consultandi gratia ab huius, aut aduentantibus aliorum Collegiorum patribus adeuntur, omnibus sese confestim expediant; & qua licet sibi ratione, non lucri sed honoris (sic enim loquuntur) sui causa satisfaciant. Eos spiritali, vt possunt mercede, compensant nostri. Diebus sacris habitæ à nostris hominibus semper in quinque, aliquando etiam sex locis conciones. Vna stato loco, copioso populi & honorato primorum auditorio, quod durare in tanta aliorum concionatorum frequentia, ipsimet Atrebatenses, vtpote sua ipsorum confessione nouitatis auidi, demirantur. Excursum crebro foras, neque negle&ti pij sermones ad sacras virgines; & de more, statis diebus, di&tum in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ. Mala & inolita ab omni memoria insanientis popelli consuetudine, in plerisque locis ineunte quadragesima, ridiculum plane ac monstruosum ex eminenti fenestra, ipsius quadragesimæ simulactum exponebatur; quod deficiente ieiuniorum tempore, sensim quoque, non sine spectantis populi gaudio risuque, deficere videbatur: Eius rei inter Christianos indignitatem, ante ipsos ieiuniorum dies proposita parobola, ita noster concionator gratiosè & efficaciter reprehendit, vt Senatus, edi&ta au&horibus graui mul&ta, eam consuetudinem sustulerit. Complures de Iubilæo sermones, compluribus occasioni fuere, vt iter Bruxellense susciperent. Vno die, Atrebato mille facile communi rumore discessere. Bethunia (oppidum est Arthesiæ) sacerdos noster profano die, percelebri frequentia ad duas horas, reli&ta auditoribus

ditoribus magna diuini verbi auiditate, ita de Iubilæo concionatus est, vt testibus Pastoribus ac primariis quibusque, Bethunienses institutę à plurimis Bruxellas peregrinationis, cum fateantur authorem; ac etiam non pauci, qui alioqui illam profectionem non erant suscepturi, eo nomine sacerdoti nostro gratias agant. Cæterum cum datæ sint fere quotidie aures pœnitentibus, tum maxime tempore Iubilæi, quo rustici plurimi, vel ex Gallia confluentes (quoniam Bruxellas adire non poterant) plerique omnes generali se confessione expiarunt, nec sine deliquio non pauci, propter susceptam aut ieiuno stomacho, aut ætate decrepita peregrinationē. In ijs vetula interrogata, cur, cum in pago suo indulgentias consequi posset, tantum laboris insumeret: respondit vt solent Arthesiani, cordata sane voce: Imo verò si Roma mihi foret adeunda pro tantę gratiæ consecutione, Romanum iter hac ætate subirem. Vir vnus cum sibi, tum domi tum in itinere, videretur vndequaque à dæmonibus obsideri, atque adeo possideri, ad domum nostram auidus ac turbulentus accurrit, instituta que confessione generali, ad sanam mentem omnino rediit. Visitati de more ægri; lustratus carcer, in eo iuuenis desperabundus sibi laqueum iniecerat, parumque aberat quin strangularetur, nisi nescio quo surdo strepitu exciti carceris comites, & ipse custos interuenisset. Rogatu Senatus eo aduocatur vnus è nostris, hominem insano similem reperit, iubet reliquos præsente misello litanias recitare, recusat ille horribiliter exclamans, licet iussus orare cum reliquis; ad confessionem animatur, renuit, dæmonem sese videre in sede sacerdotis asserit. Confessus tandem aliquando, ani-

mo

mo æquior factus resipuit.

RESIDENTIA BRVXELLENSIS ET MISSIO CASTRENSIS.

LICET domus nostra nuper dumtaxat cœperit Collegij titulo gaudere, nihilominus, quæ Dei gratia fuit, eos hactenus bonorum operum fecit progressus, qui etiam à iam diu formato Collegio expectari possent. A Iubilæo exordium sumatur. Inchoatum est istud operosè admodum in primaria vrbis nostræ æde, inter ceteros sacerdotes, ab octo Societatis nostræ Patribus, ita postulante Illustrissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi, duos continuè menses residentibus à matutina luce, in vespertinum crepusculum, duabus vix horis interiungentibus. Totidem & plures in sacello nostro exteriore, longè verò plures in sacello domestico atrijsque ædium nostrarum, aliunde ad tempus accersiti, audiendarum confessionũ gratia constantissimè consederunt. Ac foris quidem in Ecclesia primaria linteati stola, virgaque in altum elata conspicui, tanta passim corona pœnitentium stipabantur, vt examen apum circa Regulum conglobatarum crederes; tanto agmine, vt ne quidem laxiora, Basilicę cęteroqui amplissimę, spatia peruia forent. Hic nostrorum Patrum industria, pietas, zelusque non parum reluxere, dum nec ingruentibus, nec malè informatis rudibusque cedunt. Nulla hic natio linguæ suæ peritum desiderauit; non Scotus, non Germanus, non Italus, non Hispanus, non Polonus, non Hungarus. Ita

breui tempore Bruxella quoque emeruit esse totius orbis compendium. Iam vero is fuit peregrinorum feruor, vt ante tertiam, post medium noctis horam, aditus portarum obstiparint, pij gratiarum prædones; imo & totis noctibus præ foribus excubarint; vt aperta porta, velut vrbem inuasuri captam, in domum turmatim ingruerent: Prandia, cænæ, tenebræ, noxque ipsa nullam interdum requiem dabant. Tandem velut longum emensi mare, primo die Maij latum celeusma concinuimus, dum à prandio post hymnos, canticaque musica, in primariæ ædis choro, linteati ordine longo Pænitentiarij consistentes, in manus Archiepiscopales virgas lætanter resignauimus, plurimosque animarum manipulos cælo addidimus; Centum enim & quinquaginta millia, vel in solo S. Gudulæ templo sacram synaxim piè sumpsere, vt omittam qui in nostris sacellis duobus, ac alibi eandem celebrarunt. Accedunt nunc communes omnibus functiones. Ergastula crebro obita, pellicatus passim sublatus, palantes per hæreseos auia, ad fidei rectæ tramitem reducti. Nobiles aliquot virgines, in Diuę Claræ familia, voluntariam paupertatem amplexæ. Vnius digna posteritate vox; cum ab arctiorę vitę genere, ad laxiorē nobilium Religiosarum cœtum inuitaretur: Quid (inquit) gloriosumne erit sęcularis pompę assectis, vt quisq; proximus herum heramue subsequatur, & mihi inglorium censetur, Christi proximis insistere vestigijs? Luserit, Luserit me alias aulæ fastus, & sæpius erroris magistra fuerit, in hoc certē mihi magistra erit disciplinę. Concione ad populū vtiliter in tribus pręcipuè vrbis Ecclesijs, Catechesi apud numerosam iuuentutem in quatuor, in omnibus ferè alijs vel mona-

monasterijs, vel Ecclesijs, monialibus, aut Pastoribus, concionando, aliaue nobis solita munia præstando, subseruimus. Itum ad vicina pomerijs vrbis cœnobia, exhortationum aliarumque piarum functionum gratia, atque adeo Alostum vsque excursum, quinto à Bruxella milliari, magno ciuium bono, & Societatis commendatione. Restitutiones cum iniunctę, tum præstitæ; vota virginitatis vltrò, castitatis studio suscepta; quæ suapte sponte ea conceperant, benè edoctæ instructæque, quò factum, vt quæ vouerant hilariter seruarint. Illud Diuæ Matris in Clientes suos singulare beneficium. Monticulus est Sichemium inter & Diestenium, pręsentiore quam alibi Diuę Virginis numine, per totum Belgium celebris. Nullius ibi frustrata vota, qui fideli mente accesserit. Virgo igitur Bruxellis, quam miris dæmon modis ludificabat, nunc hirci, nunc canis, aliaue monstrosa specie, non tam vitam degebat quā deflebat. Conata illa non semel importunum illum mimum abigere, seu funiculis, seu cilicijs, seu alijs ad illam rem vsitatis remedijs. Quę vbi nihil prodesse videt, suasu nostro ad montem acutum, sic collem, in quo ea Diuæ Virginis ædes est, appellitant, contendit, opem implorat & impetrat. Simile, licet dissimili in re, auxilium sensit altera, quæ multis annis frigida fèbri exagitata, stomacho etiam respuente quæ sumpserat, visitato mōtis acuti salutari loco, pristino vigori est reddita.

IAM in Castris quo vita periculo propior, eo caritas emicuit ardentior; non pestis, non fames, non aeris inclementia, non durum super solido stratum, nostrorum conatus vel infregit, vel fatigauit industriam. Argumento sit trium Patrum, duorumque fratrum vita, dum militum commodis student,

dent hoc anno impensa. Felices victimæ, quas non Deus venter mundo saginauit, vt coronatæ otio caderent: sed quas ardens diuini amoris flamma Deo erogauit, vt æternum sibi, authorique suo starent, & viridi semper iuuenta viuiscerent,

RESIDENTIA CAMERACENSIS.

VTilis admodum posita opera, reuocandis ad officium animis toto Iubilæi tempore, quod duorũ mensium fuit. Aduolarunt huc supra numerum è finitimis locis, & ciuitatibus Galliæ, quorum magna pars in templo nostro totius vitæ eluerunt maculas. Multi etiam Cameracenses ciues, dato reformandæ vitæ tunc initio, in suscepta pietate & Sacramentorum frequentatione, etiamnum sibi constant. Catechesis floret egregiè, quam etiam Illustrissimus Archiepiscopus sua præsentia exornat, augetque subinde. Conciones Dominicis Quadragesimæ & Aduentus, iterum habitæ in æde principe ab vno è nostris, idque ex voto Reuerendissimi. Eas & ipse & Canonici, & frequens populus adeunt non exiguo fructu, & Societatis commendatione. Non neglecti milites, qui tribus hic arcibus Belgij aditus obfirmant. Sunt ij partim Hispani, partim Germani. E Germanis abiurata hæresi, Ecclesiæ Catholicæ aggregati octo, quorũ aliqui veritati, licet obfirmato animo diu restiterint, eam tamen magno sibi solatio, tandem respexerũt. Excursum foras creberrimè, obitique ad sex aut septem milliaria pagi complures. Operæpretium & mirus eorum in nos affectus, & quando ad ciui-

tatem itant, crebræ peccatorum apud nos expiationes demonstrant. Vocati quoque ab Archiepiscopo sacerdotes è nostris duo Cameracesium (oppidum id est in Cameracensi ditione Franciæ finitimum, hæresi olim perquam infectum) dictus erat Pontificijs Indulgentijs dies, quo summus Præsul solenni sacro, purgatis confessione animis, diuinum pabulum impertiuit. Auditi à nostris, & Parocho, alijsque, tam ciues, quam è vicinia confluentes, ad tria hominum millia. Habita quoque ab altero nostrorum in Pontificiali sacro concio, magna auditorum corona; iis officijs factum, vt ciuium animos benignior de Societate opinio occuparet, & spem plurimam restituendæ istic omninò Religionis dederint.

MISSIO HOLLANDICA.

IN Hollandica missione hactenus tres soli ex nostris, & ij quidem sacerdotes versantur, qui strenuè se Catholicorum consolationi, rudium instructioni, & Hæreticorum reductioni totos impendunt: Duo præsertim, hi enim assiduè, vrbes, oppida, pagos, arces nobilium apostolico more obeunt, nunc Hollandiam, nunc Frisiam, nunc Zelandiam, non ignobiles Belgicæ nostræ regiones, atque alias vicinarum ditionum oras, magno animarum bono oberrant & percurrunt. Tertius certo loco plerumque hæret, vel quod valetudo eius itinera crebra non ferat, vel quod ita potius fieri communi animorum bono expediat, cum etenim duo illi, vt dictum est, in perpetuo fermè motu sint

fit vt si qui Catholici eorum opera, seu in Sacramentis percipiendis, seu in petendis consilijs alijsue negotijs ad salutem eorum spectantibus, vti velint, eos non facile inueniant, præsertim cum propter pericula, ne hæreticis prodantur, cautè admodum & secretò proficisci cogantur. Hunc verò tertium, quia eodem fermè loco moratur, opportunè reperire norunt, ad eumque cum vsus venit vel deuotio vrget, se pro spirituali solatio atque auxilio recipiunt. Magna in istis locis benè merendi seges, messis copiosa, & in quibusdam locis pænè extrema, in aliis vero extrema necessitas. Nam vt de Hæreticis, & Catholicis in fide vacillantibus taceam, tanta irrepsit, & in dies irrepit maior in multorum animos rerum diuinarum obliuio, etiam eorum qui fidem Catholicam constanter retinere satagunt, vt propè sit incredibile. Quid sibi velit peccatorũ confessio, quomodò ea facienda, quid Missæ sacrificium, quid ritus & cerimoniæ adhiberi solitæ, prorsus ignorant; vestes sacras sacerdotales admirantur, nomen tamen confessionis & missæ auditu multi perceperunt, eaque confuso quodam modo, verbo tenus potius, quam re ipsa credunt. Mysterium Dominicæ Incarnationis, ac Sanctissimæ Trinitatis crassè ignorant quamplurimi. Imo nonnulli Deum esse, cœlum item & infernum, tenui solum fama, & lumine illo diuini vultus, quod super nos signatum est, delibasse videntur. Symbolum fidei, orationem dominicam, mandata Dei & Ecclesiæ, praxim & vim Sacramentorum, viam rationemque æternæ vitæ adipiscendæ, permulti nesciunt, aut si verba aliqua norint, ea sine vllo gustu pronunciant, nonnulli licet hæc lingua sonent, & quidem vernacula, non plus tamen capiunt quæ

dicunt, quam si Iaponica eloquerentur; eóque ignorantia hæc progressa est, vt inuenire sit non paucos ætatis adeo prouectæ, vt liberos nubiles habeant, qui putent se recitare Orationem Dominicam, si ante & post refectionem aperto capite, iunctis ante pectus manibus, dimissis decenter oculis (sunt hæ reliquiæ priscę pietatis) labia nonnihil motitent, nihil articulatim pronunciantes: itaque docuerunt liberos suos, qui putant bona fide se, cùm ceremoniam hanc norunt, orationem dominicam nosse, & cum ritum eum obeunt, se dominicam orationem precari; & tamen in medio nationis prauæ tales se Catholicos constanter profitentur, estq; ijs tanta fames ac sitis Catholicæ doctrinæ audiendę, confessionis peccatorum faciendæ, Sacrosanctæ Sacrificio Missę se sistendi, vt nullis periculis aut minis absterreri possint, quo minus, vbi harum rerum copiam sperent, ingenti ardore accurrant, magno gustu hisce fruantur profusis lacrymis, vel præ gaudio, quod Catholici aliquid exercitij oblatum sit, vel præ mærore, quod boni illius constanter fruendi, tam parum adhuc spei affulgere videant. Itaque vt feruor hic consolationis, ita densæ tenebræ commiserationis pariter, atque patientiæ vberem materiam suppeditat. Magno hic opus & indefesso labore, magnaque industria, vt hos à primis velut elementis res fidei edoceas, & ad Sacramenta ritè percipienda disponas. Multæ tricæ ratione matrimoniorum illegitimè contractorum expediendæ, noctes hic plerumque insumendæ, quidam horarum aliquot, alij duorum, triumue dierum instructione opus habent, vix vlli confessario se sistunt (loquor de ijs potissimum locis, vbi pauci aut propè nulli sa-

 cerdotes,

cerdotes, ad quos nostri modo excurrerunt) qui non magna Confessarij præparatione indigeant, vt capaces absolutionis fiant, vel propter ignorantiam, vel quod à pluribus annis sine Sacramentis velut syluescant. Quare experti sunt nostri, ad dandam scientiam salutis plebi huic, nihil æquè conducere, atque docere publicè & per domos, imo per singulas personas, ad quem finem homo conditus sit, qui sit sensus cuiusque articuli Symboli, vel petitionis orationis dominicæ, nec non singulorum præceptorum Dei atque Ecclesiæ. Item quæ vis Sanctorum Sacramentorum, Eucharistiæ potissimum, ac pœnitentię, & quo modo ad ista præparare se debeant: idque perutile ac necessarium esse, etiam scioli aliqui Catholici, qui bonæ voluntatis in sacrorum Bibliorum lectione assiduè versati sunt, rem ipsam experti non inficiantur, imo libenter profitentur se rerum harum esse ignaros, easque cupidissimè audiunt. Itaque experientia docuit huiusmodi clara, methodica, ac familiari docendi ratione, quibus hæc necessaria explicantur, magis promoueri salutem animarum, quam eruditis concionibus, quibus aut controuersa dogmata stabiliantur, aut hæreticorum næniæ refellantur, aut quæuis alia moralis doctrina insigniori apparatu proponatur. Quamobrem in hoc genere nostri multi sunt, atque adeo assidui, quod eò tædiosius videri possit, quod plerumq; non multis simul, sed vel paucis, vel singulis hęc inculcanda sint, vt etiam pauculis pœnitentibus vix vna nox interdum sufficiat. Eo tamen pacto in hoc officio nostri versantur, vt concionandi munus pro peritioribus non omittant. Vnus eorum anni spatio plus centies & quinquagesies, alter sesquianno plus

minus

minus ducenties, octuagesies & sexies, & quidem interdum bis vno die concionē habuit, auditorio fermè semper frequenti, si locus & cæteræ circumstantiæ spectentur; frequenter sexaginta, centum non raro, aliquando etiam trecenti viri concioni interfuere, vt locus non omnes caperet, essetque periculum ne nimius accursus rem hæreticis Magistratibus proderet. Quare subinde filum orationis abrumpere oportuit, & ad aliam domum se recipere, interdum scripto per diuersas domos distribuendi fuere auditores, quibus in orbem eundo satisfactum. Sed & non raro horæ spatium excedere in exhortando, nonnunquam etiam duplicare coëgit insatiabilis diuini verbi fames. Nempe epulaturos se lętabundi aiunt, cum sacro hoc pabulo pascendi sunt. Accurrunt aliqui vt concionantem audiant, vel peccata Christi Vicario aperiant, à pluribus miliaribus; crebri vndique à familijs, & communitatibus submittuntur, qui nostros tutos ad se perducant, & certatim nos præoccupare festinant. Nobilis quidam cum bidui iter suscepisset, vt sacerdotem nostrum ad castrum suum abduceret, diebus aliquot eius lateri indefessus adhęsit, donec ab alijs diuulsum eum domum suam pertraheret. Idem sacerdos noster noctem Natiuitatis huius anni 1603. in hęretica ciuitate, cum centum circiter personis, maxima omnium consolatione & gaudio transegit. Mirabantur vsque ad stuporem iuniores præcipuè, qui ritus Ecclesię nunquam viderant, eorundem & suauitatem & efficacitatem, nec finem faciebant commendandi Catholicæ Ecclesiæ sapientiam, quæ sacra illa nocte diuinæ Natiuitatis mysterium velut oculis cernendum exhiberet, quo factum vt,

licet seuerissimum silentium indictum esset, tamen aliqui gaudia sua non capientes, ea celare non possent; quare res ad Conciliabulum hæreticorum, quod Consistorium vocant, relata, & nostro repente ipso Diui Ioannis festo, è ciuitate illa migrandum fuerit, ni periculum adire vellet, & in id hospitem suum coniicere. Neque dubitari potest, quin conciones tali spiritu factæ, tamque auidè auditæ fructum faciant, licet eum omnem non semper intelligant nostri, cùm mox migrare cogantur de loco in locum, partim vt tutiores sint, & ipsi & hospites eorum, partim vt pluribus Euangelium annunciando satis faciant. Et quæ de fructu facto percipiũt, ita multa ac varia sunt, vt nec memoria ijs retinendis, nec tempus ijsdem annotandis, licet ephemerides suas habeant, sufficiat. Fructum nihilominus testantur paces reconciliatæ, restitutiones factæ, multorum hæreticorum conuersiones, acclamationes, quæ subinde concionem excipiunt. In hac fide, inquit, vnus, viuam & moriar; alius, pro talibus, inquit, Euangelij Dei præconibus, oporteret nos animas ponere. Rusticus vero quidam, qui operam suam cuidam Prædicanti hæretico elocarat, atque in fide vacillabat, audito nostro Patre in hanc vocem erupit. O, inquit, illa est concio multum diuersa à Prædicantis nostri, moxque ad genua Patris prouolutus, omnia peccata sua expiauit, & cum gaudio suo suorumque, ad vxorem Catholicam redijt. Nobilis quidã, cùm audisset Patrẽ nostrum pro concione tractantem verba illa. Adolescens tibi dico surge, memor adolescentiæ suę, totã vitam generali confessione expiauit. Sed hęc minora, illa maiora, quod vnus nostrorum quadraginta septem, alter octoginta sa-

cro baptiſmate tinxerit quorũ pleriquc grandæui erant, vtpote quatuordecim, ſexdecim, octodecim, nouemdecim, viginti, viginti trium, triginta annorũ, in quibus vna, quæ viro Catholico biennio, velut marito conuixerat, & prolem habebat Chriſtianam, ipſa Chriſtianę Religionis exors. Aliæ nonnullæ puellæ parentes habebant Anabaptiſtas. Alius quidã ortus parente Dauidiaco, cum triginta eſſet annorum, ante ſeptem annos ritu catholico coniugem duxerat, ſed comperto demum quod vndã ſalutari ablutus non eſſet, eam gratiã eſt conſecutus. Sed perſpicuè magis concionum fructum declarat, quod circa adoſcentem viginti annorum, obſtinatiſſimi hæretici filium, ac hæreſi ab infantia ſemper imbutum contigit. Is enim audito aliquoties noſtro, dum verba faceret, aurem & mentem veritati accommodauit, cumque ardendentiſſima febris eum inuaſiſſet, nec ignoraret noſtrum breui ex ijs partibus diſceſſurum, ſeipſum parenti piè ſuffuratus, clam noſtrum ſacerdotem adijt, cœlo admodum aſpero atque inſalubri, iamque ita febri exæſtuans, vt pedibus vix conſiſteret, Baptiſmum petijt, & magno ſuo gaudio impetrauit; neque vero ita mirum cuiquam videri debet, ſi plures adulti his in oris baptiſandi veniant. Miſerando enim ac multiplici aſtu, miſeros hos mortales diabolus à ſuſceptione huius Sacramenti diuertit. Nam vt Anabaptiſtas omittam, qui ex profeſſo neminem, niſi actu credentem, tingendum docent, & multi ſunt, ac in varias ſectas abierunt; quidam, licet hæretici, odio miniſtri ſuas proles baptizari nolunt, alij miniſtro deſtituuntur, nonnulli tenent Baptiſmum neceſſarium non eſſe, quod infantes Chriſtianorum in Chriſti ſanguine bar-

baptizatos credant, quidam sine concione baptizari nefas putant, formam præterea baptismi multi vel ministri, vel parentes Catholici ignorant. Catholici demum opportunitatem sacerdotis Catholici, qui ceremonias omnes adhibeat, expectant, ac postea rem obliuioni tradunt. Incredibile est quanta hinc strages animarum, quæ durissimo etiam lacrymas excutiat. Ita Catholicus quidam olim Anabaptista, quinque vel sex proles suas sine baptismo mori permisit, quod modo gemitibus inenarrabilibus deplorat. Hæreticus minister rogatus à quodam ciue, vt infanti moribundo, qui ad templum deferri non poterat, sacræ ablutionis beneficium conferret; is nihilominus, ô impiam crudelitatem, & crudelem impietatem! licet puerum animam agentem, atque adeo expirantem videret, nihil motus, puerulum sine sacramento bis mori est passus, nequicquam parente vt eum baptizaret obsecrante. Et quia de Hæreticorum impietate sermo incidit, vnum addam cognitu non iniucundum, vtpote quod spem faciat fore, vt desoletur breui regnum, quod ita in seipso diuisum est. Noua & fermè quotidiana inter hæreticos, Anabaptistas potissimum, schismata. Nam si contingat quempiam sectę ipsorum aliquid admittere, quod ipsorum exhortatori, (ita appellitant eum, qui impiæ synagogæ præsidet, indoctum, sed linguosum forte Cerdonem, & ficta atque affectata quadam grauitate tardiloquum) displiceat, is monetur errati, si non paret monitioni, à communione segregatur. Quod si pendulam nonnihil linguam habeat, retentis præcipuis quibusdam eius sectæ dogmatibus, sciungit se, è scriptura patrocinium aliquod culpæ obiectæ accersit, aliquot sibi

fauentes

fauentes adgregat, & cœtum alium, priori æque ac Catholico contrarium, instituit. Paulo post huic cum aliquo ex suis, si forte deliquerit, vel dissenserit, idem contingit; & ita sine fine in contraria dogmata propagantur. Suntque adeo impudentes miseri, vt cœtum illum suum decem aliquando virorum, ac totidem feminarum, solam ac veram Christi Ecclesiam asserant, freti illis Domini verbis. Nolite timere pusillus grex, & iterũ, Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Porro partim ex hac diuisione, partim ex Pseudoministrorum improbitate, atque inscitia, partim etiam ex doctrinæ ipsius absurditate, quæ nec simplices omnino latere potest, fit vt templa hæreticorum, eorumque conciones deserantur passim, vixque octauam partem clancularij nostri auditorij attingant, imo plerisque in locis nulli viri graues, sed vel ij soli, qui pecunia ad hoc conducti sunt, vel officio publico funguntur, ad audiendum comparent.

SED vt ad fructum laborum, qui ex concionibus & consuetudine nostrorum colligitur, reuertamur; Matrimonio iuncti legittimo, ab vno è nostris, tredecim paria coniugum, ab altero nouemdecim, quorum plerique annis aliquot velut coniuges vixerant, quidam etiam proles susceperant, & quia vel baptizati non erant, vel coram legittimo Ministro non contraxerant, rite coniungendi fuerunt. Quidam horum viginti, alij octodecim annis vna degerant, neque de peccatis suis vnquam confessi erant. Verum ex nulla functione euidentius laborum nostrorum fructus constitit, quam ex pœnitentibus. Auditi siquidem ab vno diuersi homines mille quingenti octuaginta, præ-

ter

ter, eos, quos fallente memoria ac multitudine, nō notauerat; nec pauciores putatur audisse alter, qui rariores tantum in pugillares retulit: qui numerus exiguus censeri non debet, tum quod prolixæ pleræque omnes sint confessiones, vel quod catechisatione, ac dispositione pænitentium sit opus, vel quod multę sint triginta, quadraginta, quinquaginta annorum, aut plurium. Notabilior fuit conuersio cuiusdam filij familias Catholicorum parentum, qui nefario consilio, non sine scandalo plurimorum, conciones hæreticas adibat, adeo vt hæreticus propterea à quibusdam haberetur. Ad hunc cum parentis rogatu quatuor horarum iter noster suscepisset, ac frustra hominem, licet serio ac grauiter monuisset; contigit eum, post vnum circiter mensem, in febrem calidam incidere: quare iterum noster accersitus, licet eum morbo contagioso, non improbabili argumento laborare suspicaretur, accurrit tamen, mente abalienatum reperit, & sacra omnia ridentem. Verum die altera sibi restitutus, cum publicam dedisset domesticis pœnitentiæ significationem, & diuinæ iustitiæ manu se tactum professus esset, absolutionis & sacri viatici beneficium, gaudens in Domino percepit. Alius vir primarius, cum vitam ad id vsque temporis egisset minime Christianam, ac nothos multos genuisset, tactus ægritudine, generaliter de tota vita confessus, & cęlesti pane pastus est. Rogatus autem num vltimum illud, à Christo Domino Ecclesiæ suæ relictum solatium, extremæ videlicet vnctionis sacramentum posceret, ad id, inquit, anhelat animus, vt ceruus ad fontes aquarum, iis enim verbis vtebatur; cum denique ad singulas sacramenti illius partes, & formulas cordate respon-

diſſet, vitam haud ſatis laudabilem ſalutari fine concluſit. Eluxit etiam inſignis Dei prouidentia erga quoſdam, remediis ſalutaribus deſtitutos, ad quos Deus noſtros, vt eis conſolationi eſſent, direxit. Anus quædam, inter hæreticos degens, Deum orarat, vt ante mortem ſemel Dei verbum audiendi ipſi copia fieret; cumulauit eius vota Deus, & noſtrum, nihil de ea ſcientem, poſtridie miſit, qui bis coram ea, & aliis qui conuenerant, concionatus eſt, & ab ipſo diuina Sacramenta percepit. Non poterat bona matrona ſibi à lacrymis temperare, cernens ſe & tam cito voti compotem eſſe factam, & tam cumulate. Simile prorſus accidit alteri propè centenariæ, in pago commoranti, quæ confeſſa, & ſacro Chriſti corpore paſta, non poterat ſatis laudare diuinam clementiam, quæ abundantia pietatis, & merita ſupplicum excedit & vota.

MONIALIS quædam multis annis pro amente, & furibunda habita, & ceteris conuentualibus hactenus permoleſta, vbi noſter aduenit, accepto lucido interuallo, mirantibus omnibus, vitam ſuam generali confeſſione purgauit, ac paucis poſt diebus animam Deo reddidit. Ruſtica virgo anno ætatis quinto decimo, cum ad virginitatis florem illibate ſeruandum, oblata in viſione D. Virginis ſpecie, inuitata eſſet; aſſenſum continuo præbuit, perſtatque adhuc, iam quinquagenaria, in propoſito, eximia in matrem octogenariam pietate, & in proximis, vbicunque poteſt, ſpiritualiter & corporaliter iuuandis caritate Mater ipſa vetula, inſigni abſtinentia D. Antonium, cuius ſtatuam inter medios hæreticos domi in oratorio aſſeruat, vnice colit, & agricolis eius loci colendam exibet magno

pietatis

pietatis & sensu & fructu. Familia quædam non vulgaris Memnoni nuncio remisso, & perfidia anabaptistica eiurata, Ecclesię sacrosanctę fidem dedit. Gratum sanè nostris videre Patrem familias, qui magister fuit erroris, factum non tantum discipulum, sed & magistrum veritatis: Non enim verbo tantum (vtpote rerum controuersarum bene peritus) multos deuiantes ad viam rectam reducit, multos torpentes Catholicos excitat, verum etiam exemplo, & vitæ probitate, ceteris omnibus prælucet; eius tres proles ab eodem Patre, qui ei salutis post Deum caussa fuit, sacris vndis tinctæ sunt. Minima natu erat nouendecim annorum. Maior natu filia, zeloso catholico viro in coniugem data est. Minor Christum sponsum delegit, & Coloniam, vt in Monasterio aliquo se Deo mancipet, profecta est. Tertius, qui filius, iam D. Francisci institutum Coloniæ item complexus est, suisque literis pietatem spirantibus, multas subinde optimo parenti lacrymas excutit. Parens diuinam in se demiratus prudentiam, non desinit plorare, non tam quod orbitatem suam lugeat, quam quod diuinam beneficentiam erga se, suosque gratuletur. Nobilis matrona, Caluino relicto, generali se confessione expiauit, & vel clam, vel inuito marito hæretico, quoties copia fit sacerdotis, sacramentis se munit, nil verita vel itineris molestias (foris enim degit cum coniuge) vel cæli intemperiem; munit etiam se piis libris, & prædicantem, qui subinde à marito vel aliis, ad eius tentandam constantiam submittitur, magno animo à se repellit. Relatum cuidam ex nostris, cum in pago quodam circa ęgros officia caritatis obiret, adolescentem quendam viginti quatuor annorum, paulo ante vita functum, cum

morti proximus esset, velut è graui sopore excitatum erexisse sese, rogasseque parentem Catholicum (qui adhuc superstes ita Patri nostro narrauit) quidnam ex more Ecclesiæ agi soleat circa moribundos: Parentem verò respondisse, moris esse mensulam poni ante lectum infirmi, mappa munda stratum, & super eam tridens candelabrum, quod cereum gestaret ardentem, inter duas sebaceas item lucentes, collocari item prope sedile, pro Præsbytero, confessionem ægri excepturo, & cetera, quæ ipse à suis maioribus acceperat & viderat; tum aiunt ægrum respondisse. Quæso mi Pater, hæc etiam circa me fiant (sacerdotis enim copia non erat) hæc siquidem omnia per visum mihi hac nocte ostensa sunt, quæ cum præstita essent, obdormiuit in Domino; & mirum dictu, post mortem in eius indusio, ad pectoris locum repertum est signum crucis ad eius instar, quæ in extrema vnctione, in ea corporis parte, formari solet, quod postea elui nullo modo potuit. Et ne longi nimis simus, multi in fide nutantes confirmati sūt, multi ab hæresi conuersi, excussi è manibus libri hæretici non semel. Vt vero de numero hæreticorum facilius tecum statuas, constat aliquando vna hebdomada, decem notæ qualitatis, partim viros partim feminas, vel colloquijs, vel concionibus, vel catechesi ad gremium Ecclesię sanctæ esse reductas ab vno solo è nostris; memorabilior fuit cuiusdam pertinacissimi, & primarij viri ad castra catholica reuocatio; is vxorem catholicam antea ad hęresim pertraxerat, Infantes baptizari vetuerat, nunc in eo cernere est illud Christi Domini, erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur; ipse veritati aurem præbuit, & proles sacro bapti-

smat



mati obtulit, coniux obstinata persistit. Duo Caluinistæ iam ad Christum traducti, pridie eius diei, quo sacræ mensæ erant participes futuri, cum sub meridiem ad mensam accederent, mutato repentè consilio, mutuo se hortati sunt, vt refectione in vesperum potius dilata, ad oratorium pariter se conferrent, ibique ad peccatorum confessionem, & Sacrosancti Sacramenti perceptionem sanctius se compararent, quod fecerunt, ac postridie magna pietatis, ac reuerentię significatione, cęleste pabulum sumpserunt. Groeningæ Frisię metropoli, non pauci ac parui errores, longa sacrorum desuetudine, in mores Catholicorum irrepserant, ij per nostros profligati; erant siquidem qui, licet carnibus diebus Sabbatinis ipsi non vescerentur, Religioni tamen sibi non ducerent, eas, ijsdem diebus, alijs in mensa proponere. Erant qui matrimonia, coram ministro hęretico contracta, putarent esse legitima; alij animum, suo tempore coram catholico sacerdote contrahendi, cum opportunum esset, sufficere existimabant ad legitimum matrimonium. Erant qui noxæ nihil contrahi putarent, ex sponsorum sponsarumque ad templum comitatu; alij licere credebant dare infantes hæreticis baptizandos, vt ita proles legitimæ haberentur. Item esse perinde, siue festa clausis officinis, cessando ab omni mercatura, seu apertis, vendendo omni petenti, agerentur, modo in corde doleas, te in hanc necessitatem coniectum, eoque nomine subinde ad Deum gemitum emittas, cum tamen nihil vrgeat ita facere, nisi forte vt leuiusculum aliquod scomma, vicini alicuius hæretici euites. Omnes hi abusus sublati, quin & inducti plerique, qui secundum veterem Calen-
darij

darij stylum (quem hæretici in eam ciuitatem, nouo abolito, post captam vrbem introduxerunt) festa celebrabant, vt præscriptum noui & correcti Calendarii sequerentur. Eam enim ob rem dissensio aliquando erat inter Catholicos, cum hi in ea re parum, alii plurimum momenti collocarent. Demum Catholicus quidam, qui, quando coram honestioribus Baptismum administrabat, multa in speciem spendida verba, velut ad maiorem deuotionem prouocandam, consuetæ verborum formæ addebat, seriò monitus ne ab instituta verborum formula vnquam recederet, quod se facturum promisit. Denique ne pauperiores stipe hebdomadaria inescati, ad hæreticas conciones deflecterent, institutus ibidem, per quendam è nostris, certus ac status eleemosynarum colligendarum, ac partiendarum ordo. Facta sunt hæc quæ hoc paragrapho continentur, & alia plura sparsim dicta, Groeningæ, prænobili ac primario Frisiæ Emporio, vbi Pater, priusquam in hæreticorum potestatem ea ciuitas veniret, Societatis Residentiæ præfuerat: quo loco mirum, quo sensu animi expectatus primò & inuitatus, deinde admissus, ac postea dimissus sit. Nempe non poterant boni ciues, cum pericula, quibus Pater pro ipsorum salute se exponebat, perpenderent, à fletu sibi temperare. Itáne, inquiunt, Pater, contempto hostium odio nos interuisis, inter tanta pericula nos non deseris, nec facis animam tuam pretiosiorem, quam nos? Itane vel ad horam te frui datum est? vtinam semper & palam. Quæ & similia tanto sensu pronunciabant, vt sacerdoti etiam nostro lacrymas excuterent; vnus vitam, alius sanguinem, quidam & bona vniuersa, & vitam pro ipso se fundere velle acclamabant

Non

Non defuit qui aſſereret, ſe, ſi hæretici magiſtratus noſtrum Patrem odorati adreperent, ad ipſos fallendos & Patrem ſeruandum, mox veſtes ſacras aſſumpturũ, & (vt erat vir facundus & doctus) concionatorem acturum, atque adeo in carcerem libenter iturum. Porro cum abeundum fuit, videre erat quid ſimillimum ei hiſtoriæ, quam Diuus Lucas vigeſimo Actorum narrat, de Maioribus natu Melitenſis Eccleſiæ (liceat magnis parua componere) cum à Diuo Paulo diuellerentur. Vidiſſes ipſos etiam ſuper collum Patris noſtri procumbentes, & oſculantes eum magno fletu omnium, audiſſes & Patrem noſtrum cohortantem, conſolantem, & contra non futuras, ſed præſentes hęreticorum fallacias pręmunientem.

CETERVM quæ hactenus narrata ſunt, & plura his ſimilia, quiuis conijciat, non niſi magno labore, & crebris magniſque periculis fieri non potuiſſe. Multas noctes aut omnino, aut potiori ex parte inſomnes ducere, prope quotidianum eſt, tum quod tutius noctu hęc tractentur, tum quod tunc hominibus occupatis magis vacet; modicam deinde quietem, diurnæ mox excipiunt occupationes, & redit labor actus in orbem: ſæpe poſt iter longum, aut emptanſis omnino quo ieiunis, ad veſperum extendendi labores; ſæpe ad multam noctem incœnatis, interdum etiam ieiunis. Moleſtiæ multæ itinerum, pluuiarum, ventorum, tempeſtatum, niuis, & grandinis; factum aliquando vt peracta noctu concione, ſub horam ſecundam poſt mediam noctem, per niues ad cingulũ vſque proreptandum eſſet, tanto gelu vt digitos conglaciatos putaſſes. Imò non rarò quis benè fatigatus ex pedeſtri profectione, exhauſtus inediâ, madidus, frigidus,

frigidus, in seram noctem difficilibus Confessionibus excipiendis, alijsque functionibus piis vacare cogitur, & tædia, quę (ni diuinus amor omnia condiret) ignorantia quorundam, & earundem rerum crebra apud diuersos inculcatio, generare possent, deuorare. Ne quidem inter prandendum cum amicis quies; proponunt varia, verbum ædificationis, & iustæ frequenter concioni collatio inter cænandum facta æquipollet, nec id sine fructu, nam & eo aliquando colloquio capiuntur, qui concione ex professo facta capi non potuêre. Testis est prędiues quidam consularis, qui eiusmodi familiari colloquio permotus, accersito ad se Patre nostro, cum tota fermè familia hæresim eiurauit, & fidei Catholicæ lumen aspexit, vxore Catholica, se præ gaudio vix capiente. Pericula verò terra marique sunt maxima, vt locum frequentissimè mutare sit opus, subindeque accidit, vt cum benè fessus corporis necessariæ quieti, aliquid te concedere posse speres, repentè adsint amici, qui periculum instans aperiant, fugam suadeant, itaque pro quiete nouus, & maior labor suscipiendus. Constat vnum è nostris, duodecim aliquando dierum interuallo, octies hospitium mutasse, quam mutationem eo æquiori animo tolerant nostri, quod non tantum ad euitanda pericula, verum etiam ad fructum propagandum multum momenti habeat. Noui enim hospites, eorumque affines aut propinqui, nouam bene merendi occasionem sæpe subministrant. Verum non deest in hisce laboribus, vel periculis diuina prouidentia, suos demulcet consolationibus, præuenit benedictionibus dulcedinis, custodit eos, vt pupillam oculi. Exemplo sunt quæ sequuntur. Dominica Quin-

quagesimæ anni 1603. vnus è nostris impensè rogatus, vt tridui itinere quosdam comitari vellet ad varia pietatis opera, quod plures essent baptizandi, non pauci Deo, & Ecclesiæ reconciliandi, in quibus vnus vir primarius (cuius conuersio multum sperabatur profutura bono communi) à prandio traham conscendit, equo ducendus per glaciem; dum errabundi vias inuias sectantur in tenebris (hora enim octaua vespertina peruenerunt ad hospitium) ea euasere discrimina, quæ die sequenti cum summa admiratione Deum collaudantes primum agnouerunt. Plurima enim in glacie passim, vt fit, erant foramina facta, quæ ipsi non perceperant, inter quæ tamen, diuina dextera velut aurigante, mirabiliter incolumes vecti sunt. Altera die vna cum priore illo viæ duce, ac filio ac famulo viri nobilis, apud quem ea nocte fuerat diuersatus, traham iterum conscendit, ratus viæ per glaciem compendio ac lubricitate, medio die se vnius diei iter redimere posse; Verum dum circa diei horam nonam securi per glaciatas aquas præcipitant, ex improuiso equus in fossam fluentem (vbi propterea infirmior glacies) lapsus omnes simul trahit in flumen, & erat nostro plus periculi quam cęteris, quod imminens ipsi traha, eum in imum depressura videretur: Cum igitur socij aliquamdiu, vt Patrem collotenus gelidis aquis immersum eriperent, laborassent, ac vnus eorum dum aliũ iuuare nititur, & ipse corruisset, euasit & ipse, & equus, in quo extrahendo multum laboris fuit, & omnia impedimenta salua fuerunt, nulla fermè alicuius rei iactura. Temperauit hanc afflictionem, non solum eripiendo, sed & consolando Dominus. Nam in domo vicina cuiusdam agricolæ nouam,

uam, & inexpectatam humanitatem experti, luculento igne se, suaque exsiccarunt, & sub noctem ieiuni, incolumes tamen ad locum destinatum, quem meridie ad sacrum faciendum obtinere sperarant, peruenerunt. Vix domum ingresso, litteræ adferuntur ex vicina ciuitate, quibus certior fit de periculo, quod ipsi, à falsis fratribus prodito, pro certo parabatur, tamen quod viæ essent perdifficiles, & hospes periculum contemnens, viæ ducem dare nollet, Deo se commendans noctẽ ibi exegit. Die sequenti hospite probante, traha per duas horas super glaciem vectus, cui nonnullis in partibus innabat aqua, vsque ad genua reliquum iter per lutum & aquas, ad noctem vsque confecit. Similes fuere labores diei insequentis, in quibus omnibus seu laboribus, seu periculis, tantis se solatijs, ac gaudijs perfusum testatur Pater ille, vt cum omnibus huius sæculi delicijs id non videretur commutandum; Etenim, inquit, mortificamur quotidie, & ecce viuimus, fugamur ab inimicis, & dominamur ijsdem. Alio tempore, cum idem sacerdos noster curru, amicorum beneficio vsus, de ciuitate vna in alteram proficiscitur, prope portam ciuitatis puer octennis calcibus equorum, & currus rotis obtritus est. Fit vndiq; concursatio, apparebatque id à malo dæmone procuratum, vt hac occasione coram Magistratu citatis omnibus, quotquot in curru erant, noster proderetur. Sed Satanæ conatus elusit Deus, prætervecti omnes sunt, nec à quoquam, quod certe mirum, interpellari. Aliâs currus in ponte angusto magna vi euersus, omnes, & nostrum cum ceteris eiecit, nemo tamen in aquam propter labentem cecidit, læsus est nemo, quod euidenti miraculo omnes attribue-

runt. Altera vice, cum ex vna ciuitate in aliam id[...] curru iter ageret, euersa est funibus, quibus equi alligati erant, mensa, in qua vasa testacea venum proposita erant; nato hinc strepitu magno, & funibus cum mensa implicatis, versi in furorem equi, effrenes currere cœperunt, cum euidenti omnium vectorum vitę discrimine, donec platea illa emensa, cum verterent se, vt furebant, currum summa vi in ædium proximarum proęmium impingunt. inexpectato illo impetu è curru noster eijcitur, primo super extremum tergum vnius equi, vnde mox funibus implexus in terram, capite inter equorum vngulas, pedibus currũ versus protensis. Stat quasi prodigio currus, stant equi, & accurrentibus vndiq, spectaculi nouitate hominibus, stupentibus omnibus, ipse totus incolumis ne tenuiter quidem læsus exurgit, qui certò certius discerptus fuisset, ni repente stetissent equi: ipse Pater se incolumem esse, licet sentiret, vix poterat credere. Explerat eo die summo mane ante horam quartam horarũ canonicarum, & meditationis pensum, quo ad iter expeditior esset, & ad tres horas cum viro quodam nobili obambulans, tria rosaria, septem Psalmos cum litanijs, & similes precationes recitarat. Angelo custodi se diligenter commendarat, cui suum beneficio se ab eo tempore adstrictum, & agnoscit, & prædicat. Eo grauius erat periculum, quod eiusmodi apud se haberet seu sacra, seu alia, quæ eum proculdubio prodidissent, si quid grauius accidisset, quęque fidei hostibus ludibrio fuissent. Ex quibus omnibus nõn obscurè liceat conijcere, Deum ac dominum nostrum, in nostris tuendis, cum Satana eos perdere & prodere satagente, certare: Itaque semper moderari res nostras, vt aut in tacti


ab

ab aduersis mirabiliter simus, aut certè ea non magis nos afficiant, quam ad meritum & consolationem nostram, & opus sit & sufficiat. Addi his plura possent scitu non iniucunda, quæ & Catholicorum feruorem, & Hæreticorum impietatem arguant, sed breuitatis caussa duo tantum attingam. Triginta erant ex militibus Dunkerkanis, qui Archiduci Alberto merebāt, capti à Batauis & laqueo adiudicati; erat inter eos præfectus seu tribunus vnus, Capitaneum vulgò appellabant, is ferebatur passim in fide nutare, faterique se iustè ab his impijs, & suo Principi rebellibus puniri, conari etiam collegas ad hæresim pertrahere. Intellexerant id cum dolore amici catholici, quare vnus eorum, arte cæmentarius, fidentior, in media turba stipante, currui se iunxit, vt præfectum hunc alloqui posset, & rei veritatem intelligere, eumque, si opus esset, animare ad mortem constanter in fide Catholica, & obsequio Ducis sui, oppetendam, ne socijs petra offensionis esset: demum ne sanctam fidem in contemptum vocando, catholicos omnes magno mœrore, contra hæreticos gaudio afficeret, quæ omnia verbis admodum prægnantibus, atque animo tam ardenti pronuntiabat, vt tribunum non parum commouerit, tum suo feruore, tum rumoris falsi, quem de se sparsum intelligebat, indignitate; falsum, inquit, id prorsus, & ab hostibus fidei confictum commentum, vt qui veris non possunt, falsis se iactent. Certa igitur, inquit Cæmentarius, viriliter. Præsto est, & capiti tuo imminet corona, atque cum in modum, cum sacerdotis copia non esset, sacerdotis officio Laicus functus, perrexit ad extremum vsque spiritum hominem animare, & hæreticos, qui falso eum defe-

ciſſe ſparſerant, confuſione afficere. Diuerſum prorſus ab hoc eſt quod ſequitur. Homo erat obeſo corpore, vt defuncti cadauer viginti duobus hominibus fuerit ſuccollandum; huic cum duobus vicinis, vt fit, ſermo erat de vitæ breuitate, de ignotis illis oris, ad quas libera à carnis ergaſtulo anima proficiſcitur: cum verò ipſi vtpote Catholici dicerent, cupere ſe antiqua D. Petri nauicula, vitæ huius pelagus enauigare; Haud ita ego, inquit ille, impio ioco, quod vetus ea ſit, nec propterea molem hanc carneam ferendo; nouam malo, ne mihi & ijs qui mecum fuerint, periculi quicquam forte creetur. Nec diu ioco ſuus plauſus ſtetit, ſanus hæc iocatus eſt, ac triduo poſt mortuus, Cymba Charontis vectus, ſenſit miſer, quam non impunè diuina rideantur.

Finem facio, ſi adiecero vnum, ex quo vtcumque videas, quam parum cordi ſit Batauis Religio, modo Catholicam excludere poſſint, quamque ab hæreſi ad atheiſmum præceps ſit lapſus. Circumduxere ibi quinque Æthiopas, quos Regis Acenorum, Inſulæ Somatiæ legatos aſſerebant (ſit penes ipſos perfidos fides) eoſque publico epulo, ac feſtiuo Campanarum, Scloporumque ſtrepitu excepere, hos permiſere decimo tertio, & decimo ſexto Septembris anni ſuperioris 1603. myſteria, vel potius ſacrilegia ſua rituſque Turcicos in hoſpitio publico, frequenti populo ſpectante, & ſuſpiciente celebrare. Ita qui Catholicos ritus cane & angue peius oderunt, Turcicos non grauatè admittunt.

PRO-



PROVINCIA POLONIÆ.

DEGVNT in Polonia Societatis homines plures quingentis, diſtincti locis duodeuiginti, nempe domibus Profeſſis binis, Collegiis decem, domibus Probationis duabus, Reſidentijs quatuor. In domo profeſſa Cracouienſi viginti ſeptem, in Vilnenſi ſexaginta duo. In Collegio Brunsbergenſi triginta quinque. In Pultouienſi viginti nouem. In Poſnanienſi quinquaginta duo. In Caliſſienſi duo plures, in Iaroſlauienſi quadraginta. In Lublinenſi vnus ſupra triginta. In Nieſuiſienſi triginta ſex. In Polocienſi, & domo Probationis illi adiuncta, quadraginta quinque. In Rigenſi vndecim. In Derpatenſi tres. In domo Probationis Cracouienſi quinquaginta duo. In Reſidentiis Gedanenſi quinque, Thorunienſi ſeptem, Leopolienſi decem, Sendomirienſi quatuor. Reſidui tenentur captiui in Suetia Patres duo, & eorum ſocij; ceteri namque peſte abſumpti.

DOMVS PROFESSA CRACOVIÆ,

OMNIVM noſtrorum induſtriam & zelum, occaſio Iubilæi, ad tres menſes pro hoc Regno conceſſi à ſummo Pontifice non parum exacuit, & ad colligendos vberiores fructus in vinea

Domini incitauit. Adducti ad ouile Christi ex variis sectis septem supra centum. Nimirum ex variis hæreticorum lacunis octoginta sex, ex schismaticis nouemdecim, ex Mahometanis duo instructi & baptizati. Duo denique Hæbræi in rebus, ad fidem necessarijs, ab vno è nostris domi instituti, quorum Baptismum sequens excipiet annus. Multi præterea alij qui nutabant in fide confirmati. Atque inter Hæreticos illos, gremio Ecclesiæ restitutos, duo fuerunt Pseudoeuangelij præcones & Magistri, qui publicè palinodiam errorum suorum, cum magna significatione doloris, & veræ pœnitentiæ cecinerunt. Apostatæ, qui ex varijs Religiosorum familiis à religione exciderant, octo temissi ad suos ordines. Vnus ex eis per annos triginta extra nidum suum per mundi, in maligno positi, deuia oberrauerat. Confessiones totius vitæ, quæ quidem sigillatim numeratæ sunt, exceptæ sunt ab aliquot nostris Confessarijs ducentæ. Ceterum multo plures auditæ fuerunt, Iubilæi præsertim tempore; religione enim quadam ducti populi, & deuotione erga Iubilęum, omnes fere & singuli generalem aliquam Exomologesin peccatorum instituere, & ad innocentiam quandam vitæ renasci cupiebant. Atque hoc eodem tempore Iubilæi vndecim millia fuere, qui in nostro templo sacrosanctæ Eucharistiæ sacramęntum perceperunt. A turpi & scelerata vita ad meliorem reducti fuere quinquaginta duo. Lites & dissidia varia, inter homines varij status & ordinis, composita duodeuiginti. Inter quas erant quinque, quæ sanguinem spectabant. Vnus etiam abductus ab eo consilio, quo propinare venenum alteri destinauerat. Restitutiones multæ, nostrorum hortatu, legitimis

timis Dominis factæ, è quibus insigniores non parui momenti fuere septem. Nobilitas hoc anno frequentior in nostro templo, Iubilæi occasione sacramenta percepit. Duo etiam ex precipuis regni Senatoribus, per dies aliquot domi nostrę sese collegerunt. Habita in templo nostro oratio quadraginta horarum, pro necessitatibus publicis Regni, maxima hominum frequentia & felici successu. Serenissimi Regis, erga Societatem nostram propensa voluntas, magis ac magis in dies elucescit. Et quidem anni huius initio, nimirum ipso Circumcisionis festo, quod Societati nostræ solenne est, in templo nostro interesse, & sacrum atque concionem audire voluit. Noui templi fabricam per se hoc anno inuisit, sumptusque ordinarios auxit. Processioni cuidam solenni confraternitatis Misericordiæ, templum nostrum visitanti die Parasceues, præsens adfuit. Sacra denique solennia hebdomadis singulis die profesto, ad certam intentionem suam, decantari in nostro templo facit in hunc vsque diem. Iubilæi tempore, cum ad Cathedralem Ecclesiam ingens fieret populorum concursus, Sacramentorum percipiendorum & Indulgentiarum consequendarum causa, neque confessariorum copia sufficiens suppeteret; postulatu Reuerendissimi Domini Episcopi Cracouiensis accersebantur quotidie fere aliquot ex nostris, qui in excipiendis confessionibus, alios istic iuuarent. Congregatio B. Virginis Mariæ, cuius perexigua quædam initia anno superiore extiterant, iam toto hoc anno insignia cepit incrementa, & crescit ac dilatatur in dies magis ac magis; ita vt festis Natalitijs Christi, in sacro & sacello suo proprio numerati sint plures centum, qui sacro-

sanctæ

ſanctæ Euchariſtiæ Sacramento refecti fuerunt. Neque tantum creſcunt numero, ſed in pietate ita proficiunt, vt ſeipſos in dies magis ſuperent. Xenodochia pauperum viſitant, doctrinam Chriſtianam docent, Eleemoſynam erogant, & aliis huiuſmodi exercitiis Chriſtianæ religionis vacant, atque hac ratione paulatim etiam eos, qui minus eorum propoſito fauebant, ad ſe alliciunt ſibique deuinciunt. Excurrerunt noſtri etiam hoc anno ad loca circum vicina, & non paruos fructus ex ordinariis Societatis miniſteriis retulerunt. Inter cetera, quinquies varia Religioſorum monaſteria, rogatu ſuperiorum eorundem, vtriuſque ſexus confeſſionum cauſa adierunt. Puer quidam Catholicus, matrem hæreticam ſollicitabat ad conuerſionem, & reditum ad gremium Eccleſiæ ſanctæ. Et cum aſſiduis id à Deo etiam precibus flagitaret, nocte quadam mulier, ob violata Eccleſiæ ieiunia, ab Angelo reprehenſa, ad cor tandem rediit, & fidē Catholicam ſuſcepit. Puer autem, quaſi in eum tantum finem vixiſſet, vt matris ſaluti conſuleret, morbo correptus, & paulo poſt è viuis ſublatus eſt. Diſſimili prorſus ingenio, & exitu alter extitit, qui cum, per confictas viſiones & ſtigmata, nonnullis externis impoſuiſſet, & fidem ſibi apud eos conciliaſſet; noſtrorum tandē opera & induſtria detectus, fuga ſibi conſuluit. Illuſtriſſimus Nuncius Apoſtolicus, quanti Societatem faciat, declarauit, inter alia, etiam illo argumento, quod Patris cuiuſdam è noſtris opera à concionibus, quæ coram illo Italico fieri idiomate conſueuerunt, vti voluerit. Die D. Barbaræ ſacro, Reuerendiſſimus Epiſcopus Cracouienſis ſacrū ſolenne in noſtro templo cecinit, concionem audiuit, & in noſtra

noſtra poſtea domo vna cum Reuerendiſſimo D. Nuncio Apoſtolico, Reuerendiſſimo D. Epiſcopo Camenecenſi, & aliis nonnullis Prælatis, prandium ſumpſit. Denique hoc anno experti nō pauci vtilem noſtrorum opera infirmi, ſiue Xenodochiis ſiue domibus propriis detenti, carceribus incluſi, vltimo ſupplicio deſtinati, & alij plurimi quorum ſalus agebatur, qui diuina cooperante gratia, noſtrorum conſiliis adiutos ſeſe plurimum ſenſerunt.

DOMVS PROFESSA VARSSAVIÆ.

INSIGNIS hic annus fuit, ſalubritate aëris, & commoditate ad res diuinas obeundas, & humanas; quippe peſtis huius anni decurſu intactam ciuitatem reliquit, cum eam per biennium autumni menſibus, magnis incommodis afflixiſſet; quo quidem tempore noſtrorum Patrum in iuuandis, & expiandis peſtilentia infectis, virtus ita admirabilis exſtitit, vt in mentibus Varſſauienſium labores Societatis hæreant. Varſſauia, erroribus hæreſeos paucas familias deprauatas habet. Vnus è præcipuis ciuibus, qui quinque & quadraginta annos, virus hæreticum in animo gerebat, præſente Senatu vrbis & popularium frequentia, in primario templo, feſto die eiurauit, & oppugnatores ſuos, qui poſt gratiam è Sacramentis perceptam, eius conſtantiam labefactare, & proſternere anhelabant, magna virtute reiecit. Nouem alij, huiuſce ciuis inſignem, ad Eccleſiam reuerſionem, ſecuti ſunt; & erroribus nuncium remiſerunt. Ad

numerum hunc accessit duorum Schismaticorum, ad summi Pontificis authoritatem agnoscendam reditus. Nostrorũ sacris concionibus Catholici deterriti sunt, ne funus defunctorum in hęresi sequerentur; vtque peruersam consuetudinẽ abolerent; neque tanti cognationis officium facerent. Mores quoq; ciuium verbi diuini semine ad bonam frugẽ reuocantur, vt passim ex fructu & emolumento percepto, ciues se bonos Societatis concionatores habere prædicent. Nec solũ sacris concionibus auditor frequens eruditur & informatur, sed etiam rudiores in dogmatibus, Christianæ Catecheseos exercentur. Tradita est doctrina Christiana in vicis; itum est ad suburbana loca: & plebecula conuocata ad audiendũ; ad vicinos quoque pagos excursiones factæ, & rudibus ac imperitis hominibus, cũ magna animorum voluptate, lumen articulorum fidei ostensum, & quę officicij essent Christiani declaratũ; Xenodochiis quoque inuisendis impense nostri operam dederunt; & pauperum domicilia, tum expiandorum caussa animorum, tũ exhortandi ad omnem pietatem adierunt. Quam quidem charitatem Patrum admodũ ciuitas suspicit, & eam liberali largitate prosequitur: propter opinionem & existimationẽ nostræ charitatis ac pietatis, vndique à multis millibus passuũ concursus fiunt, caussa conscientię exomologesi perpurgandæ. Curiones, qui præsunt Ecclesijs, & alij sacerdotes, ad nos potissimũ accurrunt. Nobilitas frequens, ex longo itineris interuallo, ad nos accurrere non grauatur. Ciuitas quoque magnum pœnitentium numerũ subministrat. Magnificus Palatinus Posnaniensis, cum sciret nostros in vinea Domini strenue laborare, & commeatu indigere, statim copiam magnam rerum ad vitam tolerandam

lerandam necessariarum, magno pretio submisit. Insignis aliorum quoque Senatorum Regni Poloniæ, & Nobilitatis erga nos extitit liberalitas.

COLLEGIVM VILNENSE.

PRÆSENS annus (vt inde exordiar) sicut statu & conditione haud multum superiori fuit absimilis: ita parem à nostris curam & conatum requirebat. Nam & iisdem ferè malis, ob cæli & annonæ grauitatem, conflictatum est; & eadẽ nostris hominibus, de proximis bene merendi, prebita occasio. Qui Sacramento confessionis vitæ quotidianæ maculas apud nos absterserunt, numerati sunt ad viginti, & eo amplius millia; Eorum verò, qui Sacramentum hoc aut vsurparunt nunquam (ij fuere complures) aut sacram confessionem ducto à primis annis exordio instituerunt, aut pluribus annis Pœnitentię bono caruerunt, audita ad tria circiter millia. Hæresim eiurarunt triginta, in his nobiles viri duo: Schisma deseruere septem & viginti; quatuor in fide nutantes confirmati: duodetriginta, qui in fœdis volutabantur libidinibus, ad honestatẽ traducti, quin & clandestina matrimonia, ex decreto Tridentinæ Synodi, rite coniuncta; multorum acre ac diuturnum iurgium sublatum; vnus ab inferenda cæde abductus; perditis egestate hominibus, quorum hoc vtroque anno ob summam inopiam magna fuit in hac vrbe copia, pro virili subuentum est; eorum animi confessione expiati; corpora re & ære corrogato sustentata, spiritualibus Societatis nostræ commentationibus

tationibus perpoliti aliquot. De scholarum flore non nihil ob pestilentiam imminutum; ex eorum tamen numero qui Sodalitati Parthenicæ nomina dederunt, quinque adolescentiam suam, in varijs religionibus Deo consecrarunt; vnus in Societatem adlectus. Domum quandam nocturnis terroribus exagitatam, aquæ lustralis efficacia, & salis benedicti iumentis (quæ cum primis infestabantur) porrecti vis, omni infestatione liberauit. Eadem fuit cælestis agni in cera impressi virtus. Cum enim incendium in quadam domo coortum, contigua ædificia lignea, inuoluturũ videretur, quamprimum orbiculus sacer, in flammam coniectus est, illico compressa eius, ne se diffunderet, violentia. Et hæc quidem animorum seges collecta domi, in qua primas tulerunt, qui cęteris socijs metu pestilitatis (quę male sopita hybernis mensibus, adulta iã æstate ac penè præcipiti recruduit) in tutiora concedentibus, salutem suã in omne discrimen obtulerunt, vt multorum animas è faucibus dæmonis eriperent. Et certe conspecta fuit eorum charitas, dum promiscuè omnes, siue contagione afflati essent, siue alijs detinerentur infirmitatibus, se conferrẽt in publica valetudinaria, compita, angiportus, addo etiam fimeta & sterquilinia, intra & extra vrbem, in quibus miserorum hominum, fame & tabe confectorum, ingens numerus ęgras trahebat animas, sedulò obirent, stipem emendicatam beninè porrigerent, darent aures confitentibus, ad patientiam afflictos erigerent, moribundos adiuuarent. Ceterum neminem eorum, quæ Dei benignitas fuit, vis morbi tentauit. Neque tamen ab iis qui vrbe cesserunt, nihil actum. Institutæ proximorum saluti procurandæ ad discreta & diuersa loca, per

cos

eos ferè menses Missiones duodecim, in quibus omnibus (vt absoluam breui) munera Societatis præstita, haud exiguo commodo animorum. Duas hic ex iis, quia diuturniores, secernam. Alteram qua Reuerendissimi Antistitis Vilnensis rogatu, ad bona Episcopatus, cum magno Christianæ rei emolumento facta est. Obiti de more à sacerdote pagi, cum socio; Sacramenta ministrata, segnes animi ad pietatem inflammati, præcipua doctrinæ Christianæ capita agresti, & incultæ hominum multitudini (cuius summa in his partibus inter rusticanos homines ignoratio est) exposita; diebus vero festiuis conuocata in templum horis pomeridianis concione, hæc eadem pro auditorum captu & intelligentia, vberius tradita ac inculcata. Verum cum quodã in oppido institutum hoc suum minus procedere, oppidanorum incuria & segnitia nostri animaduerterent, & longe plures in foro & compitis, quam in templo comparere viderent; ad eos mutato consilio progressi, medio in foro locis diuersis, ad confusam multitudinem verba fecerunt. In hac excursione auditę confessiones eorum, qui pœnitentiæ remedio nunquam sunt vsi, amplius trecentæ: in his inuenti tres decrepita iam ætate (annum centesimum egressi ferebantur) qui verò à pluribus annis confessione abstinuerant, ad mille. Baptismate lustrati tres & viginti; delatum ad ægrotos diuinum epulum, egenis in hac rerum penuria, stipe hinc inde collecta subuentum: ij prope mille fuerunt. Schismatici quinque cum Ecclesia reconciliati. Hæresi renuntiarunt quatuor, vnius conuersio memorabilior. Cœperat is nutare in sua perfidia, & animo in religionem catholicam inclinari, verum quò minus
meliorem

meliorem mentem induceret, siue respectus humani, siue peccandi illecebra, atque libertas præpediebant. Interea cum iter aliquando facientem nox occupasset, contingit incautum in latrones (qui bonam partem lignei pontis, qua transeundum fuerat, insidiosè deiecerant) incidere, atque etiam voces mutuo sese ad cædem hortantium exaudire, ibi ille in se reuersus meritas dilatæ conuersionis pœnas à se expeti cognoscit; Deumque precatus sanctè promittit, se, si præsenti eximeretur periculo, omni posthabita procrastinatione, ad gremium Ecclesiæ rediturum, nec votum frustratus est euentus: equo admisso, simul hiatum pontis ingenti nisu transilit, simul manus operientium se Latronum incolumis euadit, nec prolatandum ratus, ad Sacrosanctam peccatorum confessionem, dudumque dilatam hæresis detestationem festinus accurrit. Hęc de priore Missione, ex qua vberior fructus animorum sperari poterat, ni commune toti fere Lithuaniæ malum pestilentia, oppidorum & villarum, in quibus gliscebat, aditu prohibuisset. Altera fuit ad pagos Collegij nostri, in ea etiam præclarè stetit opera, viginti quinque sacro Baptismi fonte abluti, in his puer octauum iam egressus annum, & aliquot alij, qui sex decemuè aut eò plures à natiuitate menses habebant. Nongenti circiter confitentes auditi, ex quibus nonaginta fuerunt, plerique eorum matura, nonnulli etiam exacta iam ætate, qui id nunquam factitarunt; pane cælesti refecti duo & quinquaginta supra trecentos; ad matrimonium ritè ineundum inducti triceni. Nec prætermittendum in hac vtraque Missione, quosdam tam crassa Dei & rerum cęlestium ignoratione repertos, vt lapidibus ipsis

nescio

nescio quid numinis inesse arbitrantes, cultu superstitioso eos venerarentur, & decimas omnium rerum eis offerrent. Claudet annuas suppellex Ecclesiastica, haud mediocriter aucta, accessu crucis argenteæ affabre factæ; sacri indumenti quintuplicis ex panno Attalico, argento virgato: vmbella pereleganti ducentis comparata florenis; accedunt his quadringenti floreni, quos vir pius moriens, in fabricam Ecclesiæ testamento legauit.

COLLEGIVM BRVNSBERGENSE.

SCHOLÆ nostræ, licet anno superiori ob pestilentiam nonnihil afflictæ, iam nunc & eodem numero, & quidem maiori lectissimorum iuuenum, & nobilium insignium aliquot auctæ sunt, in quibus modestiæ pietatisque incrementum quotidie, maius atque maius cernitur. Et quia tam domi, quam in scholis, nihil fere præter ea, quæ vsu sunt recepta, admodum in mentem venit nisi fortassis non prætereundum, quod res domestica Reuerendissimi liberalitate, agello suburbano, ad piscinas faciendas idoneo, & eleemosynis tam eiusdem, quam aliorum aucta sit vtcunque, paucis & ordine perstringam. Ac inprimis quidem se offert missio quædam suscepta, in qua & operis feruorem, & lucri percepti magnitudinẽ, animaduertere licet. Vnus ex nostris sacerdotibus, spatio trium hebdomadarum, solus omnino ad duo millia de peccatis confitentes audiuit; omnesque in concionibus modum recte confitendi edocuit. Et licet esset alius, qui parochi officio fungeretur, ta-

men omnes propemodum ad nostrum confugerunt: De tota vita auditi ſeptemdecim; torque pœnitentibus audiendis oneratus, nihilominus tam breui tempore, ter & decies ad populum concionem habuit. Hoc anno Lutheranam hæreſim abiurarunt, & a vinculo hæreſis abſoluti ſunt, triginta. Perſona quædam Catholica, à proprio coniuge ad pernitioſam hæreſim pellecta, venit ad vnum ex noſtris Brunsbergam à multis milliaribus, petitum conſilium: quæ lætior, & in orthodoxa fide confirmata, ad coniugem reuerſa eſt; altera quędam ad hęreſim propenſior, & ſuis diſputationibus Catholicos oppugnans, ad meliorem mentem reducta eſt. Accedit alius peregrinus quidam, qui ab ipſis incunabulis apud Caluiniſtas parentes educatus, cum ab vno ex noſtris rectam fidei ſemitam audiſſet, libenter ſaniori conſilio aſſenſit. Duo ſacerdotes, graui diſcordia diſſidentes, reconciliati; & aliquot ciues eodem malo affecti, cum vnum ex noſtris Eccleſiaſtem, de pace & mutua concordia declamantem audirent, mutuum amorem complexi in gratiam redierunt. Alij duo coniuges qui ad hæreticos migrare decreuerant, vnius ex noſtris opera, à tanto ſuo malo liberati ſunt & prohibiti. Exacti huius anni paſcha, iuxta correctum Calendarium, recte quidem, ſed citius ſolito incidit: Huius cauſſæ ignara plebs admirari cœpit, & conſternari animo, & noui Calendarij correctionem quaſi ſuſpectam habere; præſertim cum adhuc ipſa dominica Paſſionis omnia flumina, & ipſum maris brachium denſiſſima glacie, adeo vt currus onuſtos, & iumenta ſuſtinere poſſet, vbique conſtricta viderentur. Vnus ex noſtris euidenter oſtendit, non Catholicos, ſed ipſos aduerſarios

in tar-

in tardiore suo Paschate, quam plurimum errare. Quæ dum passim, & apud vicinas ciuitates etiam ipsorum hæreticorum, cum magna auiditate omnium fere manibus tererentur, & legerentur, non exiguum fructum attulerunt. Et ad certiorem eius rei quasi fidem faciendam, accedebat, præter omnem spem, Dei benignitas singularis; qua factum est, quod ipso Paschatis sacro die vix glacies visa sit, & tam benigno ac miti cælo vsi fuerimus, vt alias persimili tempore, vix vnquam benigniori: atque ita ipsis aduersariis pudore affectis, & ansa calumniandi sublata, silentium impositum est; & Catholicis animus additus. Exercitia nostra spiritualia, non sine fructu tam sacerdotibus nonnullis, quam aliis Deo iuuante, tradita sunt. Et quidem ex duobus Parochis vnus, ad hoc saluberrimum animę remedium, ab externo quodam inductus, salutis suæ auidus, ab vndecim milliaribus ad nostros Brunsbergam aduenit; ibidemque per aliquot dies, pro commoditate sua eadem exercitia feliciter ruminans, cum magna gratiarum actione nostris habita, lætus domum rediit. Duo afflictissimæ vitæ suæ exitum laqueo quærentes, salubri auxilio & consilio, per nostros, à tam nefaria cogitatione feliciter deducti sunt. Quidam homicida vltimo supplicio, eodemque satis horribili affectus, vni ex nostris in carcere confessus, magnam animi contritionem, raramque constantiam, cum multorum inspectantium ædificatione, vsque in finem ostendit. Alij duo feliciores, graui ista sollicitudine fluxarum rerum sese exonerantes, ad religionis arcem, tanquam ad ipsum salutis portum confugerunt. Introductus vsus erigendi sepulchrum, in hebdomada sancta, in memoriam Christi morien-

tis, in alias ciuitates. Valet illud teste experientia, ad excitandos hominum animos ad pietatem plurimum, eumque ritum iam retinent tenacius & quotannis vſurpant. In hoſpitalibus (tria enim hic erecta ſunt) frequenti & aſſidua admonitione & exhortatione, non fruſtra laboratum eſt. Incarceratis, infirmis, & agonizantibus, afflictiſque perſonis conſilia, & remedia congrua adhibita: Quædam, cum ad ipſam iam propemodum deſperatam, & quæ iam, ex nimio dolore vehementer perturbata, in delirium inciderat, ob captum videlicet maritum, ſacerdos Societatis vocatus acceſſit; eodem prorſus die melius habere cœpit; & poſtera die ad mentem reuerſa, per confeſſionem peccata aperuit, & infortunium patienter tulit. Alia item perſona, relicta turpitudine, matrimonij vincula, ſano conſilio aquieſcens, libenter amplexa eſt. Matrona, Lutherana peſte infecta, quam à puero imbiberat, ad Eccleſiæ Catholicæ gremium, cum lacrymis & ingenti dolore, quibus conuixerat, aduerſariorum adducta eſt. Eadem eo pietatis progreſſa eſt, adeoque primum ſuſceptæ Catholicæ fidei feruorem retinet, vt etiam iam renunciatis omnibus, & relicto ſæculo monaſterium ingredi, ſiquidem vidua eſt, certò decreuerit. Sed in his & id genus aliis, cum noua non ſint, longior eſſe nolens finem ſcribendi facio, cum ſimul & viuendi facit, chariſſimus nobis in Chriſto frater Matthæus Faber. Venerat huc Vilna miſſus æger, ineunti autumno, vt debiliore valetudine, vires in aëre Prutenico colligeret ac confirmaret. Verum Deo melius quid de illo diſponente, ſacramentis ritè munitus, ad meliorem vitam migrauit. Vixerat in Societate annis

decem,

decem, non ſine laude & vitæ, à puero innocenter actæ; & religioſæ tum modeſtiæ, tum pietatis. Cuius quidem pietatis & patientię, ſic quoque & obedientiæ in morbo diuturniore, non vulgaria edidit argumenta, non ſine adſtantium ædificatione.

COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

QVÆ ad Sacramentum pœnitentiæ pertinent, eadem repetenda eſſent, quæ ſuperoribus annis perſcripta ſunt. Multitudo enim eorum, qui apud nos illud frequentant, non ſolum non decreuit, ſed auctior euaſit; adeo vt ſacro quadrageſimæ tempore, ante ipſos Paſchales dies, permultis, propter concurrentium multitudinem, nequiuerit ſatis fieri; nec minor poſt peracta feſta, & iam collectam meſſem fructus, veluti è noua quadam meſſe, rurſus ſe offerret colligendum. Fuitque idem haud raro in feſtis celebrioribus, potiſſimum autem Beatiſſimæ virginis renouatum. Qui vniuerſæ vitæ noxas detexerunt, fuere permulti, inter quos habuerũt præcipuas partes, aliquot nobiliſſimi viri & primarij, & matronæ quædam eiuſdem nobilitatis. Nec defuerunt, qui hac ſalutari animorum medicina, nunquam antea quęſierant ſanitatem, aut olim quæſitam ac inuentam, rurſuſque labefactatam, non exiguo tempore neglexerant. Quo in ſtudio cum intenſius quidam verſaretur, ſeſeque, quam poſſet optimè, curare adniteretur, peracta iam confeſſione, viſus eſt ſibi per quietem videre, grauem ætate ac ſpecie virum, admonentem enormium quorundam facinorum, quæ ipſius

fugerant mentem, qui vt oblatã plenius consequeretur salutẽ, nullam in adeundo rursus sacerdote moram imterposuit. Tres præterea in sinum Catholicę matris Ecclesię repositi sunt; adolescens quidã, & virgines duæ, quarum altera schismatica fuit; in hæresi educata altera, cui plurimum accessit virium contra graues admodum hostium insultus, posteaquam diuino refecta est epulo. Allatum auxilium oportunũ plerisque, graui in discrimine salutis propriæ constitutis. Itaque cohortationibus nostrorum, graues inimicitiæ sopitæ inter sex viros, haud vulgates, dissidia inter coniuges, octo sublata, inter quos duo fuere sagarum maleficiis, acerbissimis contra se odiis inflammati, in quibus extinguendis, non obscurum fuit, quantũ valeant Ecclesiæ sanctæ orationes, ad depellenda veneficia adhiberi solitæ. Sed profligatis quoq; in hoc nocendi genere feminis, diuini formido incussa iudicij, mentem excussit impiam; inter quinque duæ fuere insigniores, totos triginta annos malo dæmoni obsequentes, cuius se tandem tirannide, præsenti ope diuina exemerunt. Non prætereundi sunt etiam flagitiosæ vitæ homines, à suis domesticis impuritatibus, Christo miserante, abducti; tres, à meditatis cædibus auocati: Et vnus quidem, pluribus sibi ascitis propinquis, fratri necem parabat, notam illius facinoribus familię inustam deleturus, &, ne plures in posterum inureret, effecturus. Sed correptus grauiter, saniora deinde secutus est consilia, edoctus quanam ratione, & vitam fratris vtramque, ac suum, ac familiæ honorem percommode' seruaret. Decem Ecclesiastici, Societatis nostræ exculti sunt Exercitiis: Prælatus vnus; Parochi tres, qui etiam in templo nostro primum obtulerunt sacrificium. Quinque

itidem ſeminarij Epiſcopalis alumni, ad ſacros ordines promouendi. Denique è religioſa D. Franciſci familia (Bernardinos vocant) bona ſuorum cum ſuperiorum venia, quidam ad Carthuſienſium tranſiturus ordinem, menſem integrum poſuit in iiſdem, ſuo, vti profitebatur, eximio emolumento. Inſtituta eſt etiam, hoc anno, doctrina Catechiſtica in templo Beatæ Virginis, cum antea ſolum in ſacra Collegij æde haberetur. Vnus noſter Sacerdos, duobus in oppidis, intra paucos dies, trecentas & quadraginta confeſſiones peccatorum cum audiſſet, alio progreſſus, & per pagos diſcurrens, plurimos à peccatis abſoluit, eorum autem longe maximam partem, de tota vita audiuit. Plurimis pernitioſus exemptus error, in ſpem Iubilei, differendæ in plures annos confeſſionis. Quiddam ſimile præſtiterunt alij duo ſacerdotes, vnus in ciuitate quadã regia, alter in frequenti cuiuſdam nobilis pago. Et hic quidem à prima luce, expoſitis doctrinæ Chriſtianę capitibus præcipuis, maiore, quam vt ei ſatis faceret, concurſu obrutus, æſtiuæ noctis horam impendere debuit iis, qui tota die nulla recreati corporis refectione, vt aures illis daret expectarunt. Ille] vero alter, confitentium numerum inire non potuit. Porro ſacerdotibus auctor fuit, ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumendę, die cænæ Domini, ex more Eccleſiæ Catholicæ; quod quidem ad illud tempus, ea in Eccleſia nunquam viſum, mirificè adſpectantem oblectauit multitudinem, multo autem magis inexpectatus feruor eorum, qui primi eo in loco, noſtri ſacerdotis ductu, verberibus in ſe ipſos deſæuierunt, compoſito progreſſi ordine, à templo Parochiali ad ſacram Bernardinorum ædem. Quis ad inſoli-

tæ, atque permultis ne auditu quidem vſurpatæ rei nouitatem, ſecutus ſit animorum motus, piæ complorationes indicarunt. Alibi quoque vnus ex Anabaptiſticæ impietatis, alter à Caluinianæ perfidiæ cœno extractus; admoniti de illicitis matrimoniis, ne illa contraherent, paruerunt. Latrociniis vias publicas infeſtantes, viuendi mutarunt rationem duo: à pellicum conſuetudine quinque reuocati. Duo reperti ſexageſimum prope exigentes annum, tum primum legitime abſoluti. Plures quindecim, condonatis offenſis amicitiam redintegrarunt: Et duo quidem die ſacro cænæ Domini, amentia quadam & furioſa rabie conciti, mutuis ſeſe conciderant vulneribus: ſed non multo poſt, noſtro alterum, qui moriturus videbatur, obteſtante, vt inimico condonaret acceptam iniuriam, is licet minus fuiſſet in cauſa (inuaſorem enim repellebat) eum dedit admonenti locum, vt ne iure quidem ſe acturum, ſuoſue permiſſurum agere cum hoſte, in poſterum ſpoponderit. Sopitum denique & extinctum eſt, iiſdem in partibus, graue quoddam incendium, quo cum aliqui interiiſſent, non pauci adhuc videbantur conſumendi. Quidam enim viri Nobiles, ad quindecim ſcelerate fœderati, hoſtilem in modũ graſſabantur in eos, à quibus ſe læſos fuiſſe exiſtimabant; adeo vt tribus interfectis, etiam in cadauera ipſorum, ædibus igne iniecto, deſæuierint. At ne id facerent aliis, deducti per noſtrum ſacerdotem ſunt à nefario conſilio, & per pœnitentiam magno doloris ſenſu expiati, inſuper data compenſarent detrimenta. Vni è noſtris dum loci Epiſcopo, viro maximo, præſto eſſet foris in eius oppido, ſeque ad ſacrum compararet, inaudiiſſe contigit, mulierculam ad

ſacriſtiæ

ſacriſtiæ portam cum eiulatu, ſtolam à Sacerdote poſtulantem, deferendam ad mulierem in partu extremè iam laborantem, ac fere iam mortuam: vetuit ne ſacerdos id faceret; quum ſuperſtitioni, rei ſacræ inſuper annexa eſſet prophanatio: ſe aliud adhibiturum conuenientius remedium, vbi ſacrum peregerint. Mittit igitur agnum Dei, cum ſacris multorum ſanctorum reliquiis. Mirum dictu, è veſtigio ac illa ſacra, ad luctantem cum morte, delata eſt imago, eique applicata, fœtum illa quidem effudit mortuum: ipſa autem pæne iam mortua ad ſe rediit, ac melius habuit. Vltra mille capita iouentutis in ſcholis recenſita ſunt, non minimam eo in numero partem conſtituente primariæ nobilitatis flore. Parthenicæ Sodalitatis iuuenes, in iis eminent dignitate. Præter eam porro, quæ adultioribus conſtat, inſtituta hoc anno eſt alia, ex tenerioribus inferiorum claſſium diſcipulis, qui tamen non cedunt Nobilitate; nec multo ſunt numero inferiores maioribus, ac forte plerique cum ſuperioribus decertant de pietate. Illa tamen adultior, auxit Societatem noſtram, quinque inſignium adoleſcentium acceſſione: hæc autem iunior, addidit tres, qui mira cum ſuauitate extremam obiere diem, haud dubie excepti ab ea, cui ſe dicarant patrona. Datus eſt à iuuentute hac ſpectandus viris grauiſſimis ipſique cum primis Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo noſtro, Criſpus, eo apparatu & actionis venuſtate, vt à talibus viris probata fuiſſe omnia, mirum nemini fuerit, tertio tempore. Peſtis tempore non defuerunt noſtri, qui ad hoc expoſiti erant, qui opera ſua poſcentibus, ſacramenta miniſtrabant. Subleuata eſt eodem tempore, inopia multorum pauperum, pro Collegij tenuitate: exercitat

exercitati ij qui congregationi misericordiæ præerant, & ciues nonnulli opulentiores, idem vt facerent; inuentique sunt qui insigniter plerosque iuuerunt, ac vnus præ alijs, ad triginta pauperes certis ædibus collocarat: iis vero qui per ciuitatem oberrabant, Dominicis diebus, tertia & quinta feriis, cibos ministrabat.

COLLEGIVM
POSNANIENSE.

OBIIT vnus P. Ludouicus Rogerius, vir instituti proprij amans, temporis parcus, commoditatum omnino negligens, promouendæ Religionis Catholicæ, inter Hæreticos, studiosissimus Qua causa magna virium, & animi contentione aggressus defensionem librorum Illustrissimi Cardinalis Bellarmini ei tandem operi, cum iam primum tomum absoluisset, immortuus. In exhortationibus efficax, ad quas antequam accederet, ante sacrosanctum Sacramentum orare solitus erat. Obiit cum multis pietatis signis, nec tam mortem timere, quam illam vehementer expetere videbatur; cum ea verba vsurparet, o mors quando venies, quam cito veniam, & apparebo? Cum discessisset Posnania initio decembris iam æger, quod mutatiò aëris profutura putaretur, mortuus est Pultouiæ in ipsa Natalis Dominici nocte. Reliqui diuina gratia hoc tẽpore intacti à peste mansimus; cum ea multa alia huius Prouinciæ loca peruagata sit. Accessio vnius pagi hoc anno facta est. Eleemosynæ, in pecunia, supra tria millia ducentos florenos accepimus. Discipuli florent Nobili-

tate & frequentia, ne numeremus nongentos plures angustiæ scholarum faciunt. E religiosorum familiis, complures literis dant operam, iidemque & ornamento, & exemplo sunt aliis. Quietæ sunt res; turbarum nonnihil ad Lutheranorum Synagogam excitatũ, qua occasione studiosi aliquot ab Hęreticis vulnerati, est tamen maturo nostrorũ interuentu tumultus omnis compressus. Quam gratiam eximiè nobis rependerunt Hæretici, omnia nihilominus Iesuitarum instinctu, contra se agi clamare soliti. Nam & Conuentus Nobilitatis magnis in nos clamoribus, & protestationibus impleuerunt, & coitiones fecerunt eiusmodi, quibus se vehementer ad intentandam nobis litem armarent. Vbi tamen ad rem ventum est, frigidum negotium, nulloque nixum fundamento relinquere, licet inuiti, coacti sunt. Ne tamen in irritum furor recideret, sparserunt per Germaniam rumorem, ad Iesuitarum Scholas diabolum venisse, tantaque Collegium trepidatione impleuisse, vt omnes fugam consternati arriperent. Id etiam, mendacissimi homines, typis commendare nõ dubitarunt. Summa fabulæ studiosus, morbo caduco correptus, vnde puerilis timor obiter in schola excitatus. Nec minus idcirco in eorum salute laboratum est, reconciliati Ecclesiæ prope quadraginta. Non indormiuit interea suis rebus dæmon, in vnum è conuersis, Posnaniensis ciuis filium, tantum odium parentum concitauit, vt eum maledictis, dirisque imprecationibus prosequerentur. Cum verò alia non succederent, maleficiis juuenem tentare aggressi. Vetula, Ministri cuiusdam olim vxor è domo Parentis, in eam rem operam suam contulit. Itaque bonus iuuenis tam di-

re

re vexari ab illo tempore cœpit, vt energumeni speciem referret, donec ad spiritualia arma ventum, & Exorcismi de more Ecclesiæ adhibiti; quibus & vis maleficij non parum repressa est, & illi tandem sanitas restituta. In quibus Exorcismis illud notatum est, vt cum alias stupidus totus esset, inuocatione B. P. N. Ignatij, B. Xauerij, B. Stanislai Kostka, mire commoueretur, vt vix à pluribus teneri posset. Vltimum remedium Parens adhibuit, congestas in chartam horrendas maledictionum formas contra eum, quod morem Parenti in Religione non gereret, pronunciauit. Quas ille cum horrore correptus ferre non posset, fuga elapsus fecit irritas, & tandem post verbera domo paterna exclusus, constans hactenus in fide Catholica perseuerat. Similis & alterius constantia; is precipui Caluinistę Dantiscani filius, non modo literis, & suasionibus amicorum & consanguineorum, sed nec ipsi Parenti, qui illum secum abducturus venerat, mirisque artibus ab hac Ciuitate, & à nostrorum conuersatione, animum adolescentis abstrahere conatus erat, in Religionis susceptæ negocio cessit. Insuper, sumptu ad studia continuanda negato, ad nos confugit, aliturque in Seminario Episcopi. Hic in sua conuersione opem B. Virginis est expertus. Nam auditis variis eius Patrocinij exemplis, illā in suis circa fidem dubijs inuocabat, hac adiecta clausula, Si te Deus meus non offendo, quod alio præter te, apud te mediatore vtor; quo genere orationis magna animi voluptate vsus sæpius, non solum desiderium Catholicę Religionis, sed etiam perfectioris vitę studium infundi sibi sensit. Iudęa Baptismum accepit, cum magna solennitate, estque constans in Religione Catholica

Nostro-

Nostrorum opera auidè accipitur non modo hic Posnaniæ, in diuersis templis, ad quę concionum causa mittuntur, sed etiam extra. Fuerunt Missiones ad diuersa loca, nec sine singulari fructu. In vna, cum pro concione noster de confessionis integritate egisset, centum & quinquaginta fuerunt partim de tota vita, partim à multis annis repetita, generaliter confessi. Consuetudo in his partibus erat, vt tribus diebus Paschatis coloni, cum suę Parochiæ imagine crucifixi, & duobus templi vexillis, agros, vicosque solenniter obirent modulantes. Huic dæmon se inserens auctor fuit, vt si altera quæpiam Parochia fieret obuiam, eripere mutuo vexilla, & imaginem, per vulnera & neces nonnunquam conarentur, sacrum vero Missę hac ex causa negligerent, potationibusque vacarent. In hos inuectus in quodam pago vnus è nostris, effecit, vt eiusmodi processionibus superséderetur, aboleuitque magis casus luctuosus. Nam eadem ipsa secunda feria Paschæ, cuius pridie noster hæc pro concione damnarat, è duabus Parochijs illi oppido vicinis congressæ processiones fuerunt tanto certamine, vt tres statim trucidarentur, duodecim grauiter, & ex his nonnulli lethaliter saucij discesserint. Domi quoque suus extitit concionũ, & confessionum fructus. Multi deterriti à maleficijs & veneficijs, ea abiurarunt. Multi illusionibus vexati dæmonis, ac velut morbo aliquo correpti, restem ac ferrum molientes, salutari Pænitentiæ & Eucharistię vsu, percurati sunt. Characteres ablati, & pacta cum dæmone rescissa. Alter cuiusdam Nobilis famulus, ex suspitione furti de vasis argenteis sublatis, à Domino in carcerem coniectus, adeò calumniam & infamiam, impo-

impotenter tulit, vt se, prostratus in modum crucis humi, dæmoni vna cum corpore & anima deuoueret, dentibus etiam carnem propriam conuulneraret, & cruore erumpente literas quasdam, quas penes se habebat, illiniret, vt id chyrographi loco (ignarus enim erat prorsus literarum) dæmon acciperet. Seruatus tandem diuinitus ab hostis malignitate, & innocens postea compertus, atque è carcere liberatus, magno dolore, pœnitentiæ Sacramento flagitia sua expiauit. Quidam cum indignè ad communicandum accessisset, supinus in terram, ignotum à quo proiectus (nemo enim visus est) ad mentem rediit, & vitæ anteactę confessionem seriam instituit, ratus ob vitæ licentiam se ita à Deo admonitum. Restitutiones pecuniarias fecere non pauci. Vsurarij aliquot reliquere vsuras, quas annis compluribus exercuerant. Dissidia aliquot coniugiorum sublata. Infirmi, incarcerati, morientes adiuti. Trimestri spatio, nostrorum opera, accesserunt ad curandos infirmos quadringenti quinquaginta floreni. Exercitijs Spiritualibus eruditi tota quadragesima, & alijs temporibus permulti, tum Sacerdotes, tum variorum ordinum Religiosi. Sodalitas B. Virginis Mariæ pietatis officijs, Sacramentorum frequentia, & Congregationis assiduitate floret. Bachanalium tribus diebus, quibus homines licentiæ se dare solent, ita se Sodalitas continuit, vt pomeridianis horis, ad oratorium suum conuenirent, & spirituali tum collationi, tum lectioni vacarent. Diebus vacationum festis, Dominicisque, partim templa, partim hospitalia inuisunt, altaria ornant, hypocausta, areas, oratoria verrunt, Eleemosynæ aliquid erogant. Et quod hoc anno in-

stitue-

ſtituerunt, doctrina Christiana pauperes, in certas classes distributos, ſedulò imbuunt, die Cænæ Domini vtraque Congregatio in diuerſis Xenodochijs pauperes, poſtquam eorum pedes lauiſſet, prandio excepit. Maiorum Congregatio hoc anno, die feſto B. Mariç Virginis Annunciatę præmiſſa Confeſſione, partim totius anteactæ vitæ, partim multorum annorum; generalem inſtituit renouationem ſui illius pij propoſiti, quod, primo in Sodalitatem ingreſſu, facere ſolet. Quo illius exemplo, non pauci ex congregatione minorum, generalem confeſſionem inſtituerunt. Nec Sanctorum auxilia defuerunt. Cognatus Epiſcopi, hauſto modico vino, quo fuit ablutum os Fratris noſtri B. Staniſlai koſtka, ab autumnali quartana, quæ ipſum notabiliter exhauſerat, eodem die penitus eſt liberatus.

COLLEGIVM.
CALISSIENSE.

AB omnibus impigre laboratum eſt in ſuis miniſteriis, nec ſine fructu. Nam hæretici ſupra triginta, è quibus plerique Nobiles, Eccleſiæ Catholicæ redditi. Confirmati vero nutantes in fide, & ab Hæreticis concionibus frequentandis retracti viginti confeſſiones generales exceptæ ſexcentę, neglectę à multis annis reuocatæ centũ. Ad reſtitutiones, & quidem non parui momenti faciendas, adducti viginti; Vnus, ad quingentos florenos inuentos reddendos Domino, ſine emolumento ſuo. Ab vſurario quæſtu retracti viginti quatuor. A concubinatu ſeptem. Ab inceſtuoſis

ſtuoſis nuptiis paria decem. A veneficiis & ſuperſtitionibus, quibus ab incunabulis aliqui erant addicti, abſtracti triginta duo. Ab illuſionibus vero dæmonis quinque. Inducti ad Eccleſiaſtica ieiunia ſeruanda ſexaginta. Vnus à beneficio, malo titulo obtento, retractus. Sopitæ inimicitiæ, præcipue inter quaſdam perſonas Illuſtres, quæ in graui controuerſia, partes ſuas iudicio & arbitrio vnius è noſtris ſubiecere. Exercitiis ſpiritualibus adiuti non pauci, è quibus aliqui religioſam vitam elegerunt, in noſtram Societatem adſciti quinque, pluribus expectare iuſſis. Scholæ auctæ tam numero Auditorum, qui ſupra octingentos numerantur, quam etiam Magiſtrorum (nam pro tanta multitudine oportuit addere tertium Profeſſorem Grammaticæ) & Gymnaſiorum amplitudine, perfectis hoc anno in nouo ædificio, ſcholis tribus cum ampla aula. Exercitationes eorum multæ ac variæ fuerunt tam literariæ, frequentibus affixionibus & diſputationibus, ſub finem præſertim Philoſophiæ, & tempore Congregationis Prouincialis: quàm etiam Parthenicæ, ſacro præſertim tempore Aduentus, & in quadrageſimali ieiunio, duabuſque ſeptimanis illud antecedentibus (in quibus homines in varia plerunque ſcelera ruere ſolent) nō abſimiles iis, anno ſuperiore de Sodalibus Parthenicis recenſitis. Ipſorum totiuſque populi tunc maxime enituit feruor, cū Iubilæus à Sanctiſſimo D. N. toti Regno, Cracouiæ conceſſus, publicatus eſt ipſo ſacro Pentecoſtes die in noſtro templo pro legitime impeditis, qui ex hac ciuitate, totaque vicinia, Cracouiam adire non poſſent. Tantus enim concurſus confluentium hominum ad templum noſtrum, per quindecim continuos dies,

dies, quibus visitandum erat, est factus, quantus pietatis causa, memoria hominum nunquam est visus in hac ciuitate. Videre licuit multitudinem populi preoccupantem lucem matutinam; etiamsi nocte breuissima, excubantem ad valuas templi, in modum castrorum fusam per plateas, apertoque templo irruentem in confessorum subsellia, nec ab illis se diuelli patientem (etiam neglecta corporis refectione, non ad vesperam tantùm, sed etiam ad dies aliquot) donec expiatis animis, sacro Domini corpore, quod ad tertiam vsque horam pomeridianam, & vltra, distribui aliquando necesse fuerat, reficerentur. Nec vero, etiamsi strenue laboratum sit per illos dies, non à nostris tantum confessariis quindecim circiter, sed etiam à multis aliis, tam è religiosis familiis, quam etiam ex Clero, quos in tanta captura piscium socios aduocauimus, satis fieri tantæ multitudini potuit. Vix ab his laboribus respirare cœpimus, quando ecce biduo post, nunciatur de graui infirmitate Illustrissimi Fundatoris nostri. Accurrit statim P. Rector cum altero Patre, inueniunt iam senem venerandum agentem fere animam, sed ex felici infirmitate, contracta ab optimo Præsule in officio suo Pastorali administrationis Sacramenti Confirmationis; à qua, licet affecta valetudine & ætate; (vtpote octoginta quatuor circiter annorum) nullo modo se abstrahi à suis, vsque ad magnam defatigationem est passus. Excipiuntur nostri ab illo amantissime, intermortuis licet vocibus. Assistunt die ac nocte, solantur, iuuant, reficiunt iterum (etiam si triduo ante sacramentis omnibus munitus fuisset) cælesti cibo, ad quem sumendum, quasi reuixisse visus est ipso mortis die, præstantque

omnia debita filiorum obſequia vſque ad extremum ſpiritum, quem iam ſub veſperum ſenex optimus, plenus dierum, ſed tamen longiori adhuc vita digniſſimus, Creatori ſuo in manibus noſtrorum reddidit, poſt multa præclare geſta tam pro Eccleſia Dei atque Repub. cuius fuit Primas, quam etiam pro Societate noſtra, cuius fuit amantiſſimus, & beneficentiſſimus: ſolicitus ſemper de hoc ſuo Collegio perficiendo, & augendo, ſed maxime poſtremis vitæ ſuæ diebus, vrgendo mirum in modum fabricam nouarum ſcholarum, & prouidendo de neceſſariis omnibus pro congregatione Prouinciali, quam ad ſuum Collegium liberaliter inuitauerat, cuique vehementer intereſſe cupiebat, ita vt in ipſo etiam fere agone mentionem illius non ſemel faceret, commendans ſuis bonam noſtrorum in omnibus expeditionem. Sed quando viuus ad nos venire, vt cupiebat, non potuit, voluit tamen ſaltem mortuus. Nam præter multa quæ pro Bibliotheca noſtra, & templi ornatu, ac fabrica nobis teſtamento legauit, iuſſit ſuum corpus ad nos transferri, & in templo à ſe magnificè, cum amplo Collegio à fundamentis extructo, ſepeliri: quod factum eſt eo apparatu, qui tantum Principem decebat, non multo ante congregationem Prouincialem, ita vt non prius fuerit vel ſepulchrum clauſum, vel lugubris ornatus, quo totum templum fuerat magnificentiſſime conueſtitum remiſſus, quam Patres congregati conuenirent, tantoque Parenti oblatis ſuis ſacrificiis parentarent. Amiſit quidem Collegium hoc maximum in eo Parentem; ſed affulget ſpes etiam magna in nominato ſucceſſore, qui ad perficiendum quod reliquum erit fabricæ, & promouenda

pre-

prædecessoris opera est animatissimus. Inter alios nostrorum opera adiutos, fuit virgo quedam, quæ licet educata catholicè, deprauata tamen ministri cuiusdam Hæretici debacchantis in sacras imagines concione, auulsam è pariete Christi pendentis in cruce imaginem, cœpit intorquendo in eam os irridere, & illudere: sed mox vltionem diuinam sensit. Nam extemplo os eius ita enormiter in partem sinistram intortum est, vlcereque affectum graui, vt non nisi post varia Diuorum loca remedij gratia obita, factamque pœnitentiam, ab eo liberata fuerit, cicatricibus tamen in perpetuam rei memoriam relictis. Quædam Matrona Nobilis graui morbo lecto affixa, & à medicis deplorata, cum se ab illis destitutam plene videret, ad medicum cælestem confugiens, premissa rite confessione, afferri sibi iussit particulam sanctæ Crucis, quam cum agno Dei inclusam auro habebat, tantaque deuotione, & vi lacrymarum exosculata est, vt subito melius habere cœperit, & præter omnium expectationem pristinæ sanitati restituta sit. Sed & alia non vulgaris matrona, cum aliquando imaginem B. P. N. Ignatij, apud artificem quendam vidisset, curassetque sibi miracula in ea descripta legi, cum non multo post difficultate partus grauissime periclitaretur, post multa humana remedia frustra tentata, ad diuinum se contulit, memorque imaginis prædictæ, quam viderat, iis dictis cum magno affectu verbis, Beate Pater Ignati adiuua me intercessione tua apud Dominum, statim eius auxilium sentiens sine difficultate enixa est.

COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

DISPERSI anno ſuperiore, ob peſtilentiam, Ianuario reuertimus, cumque Dei beneficio inducias nouem menſibus habuiſſemus, quibus, non mediocriter aucto ſtudioſorum numero, ſcholæ frequentes apparebant, rurſum ſub finem octobris, cum peracta ſolenni inſtauratione ſtudiorum, plenis velis, in literarũ pelago nauigaremus, peſte inualeſcente, dimiſſis ſcholis, diſcedere ad pagum coacti ſumus; vbi quinque hebdomadis tranſactis, iterum ſublato contagij timore, domum redimus. Iubilæo huic regno conceſſo, tantus feruor in iis, qui conſequendi eius gratiæ Cracouiam ire non poterant, extitit; vt nonnulli iniunctas preces ternis vicibus abſoluerent, adhibitis ieiuniis, corporiſque afflictionibus ſponte ſuſceptis; & à confeſſariis graues ſibi pœnas iniungi poſcerent, nec ſibi ſatisfacerent, niſi totius vitæ, vel certe plurimorum annorum crimina, per confeſſionem expiarent; vnus è Patribus ducentos & ſexaginta, de tota vita audiuit. Non pauci, qui forte minus rerum momenta ponderabant, de tanto Eccleſiæ theſauro bene inſtructi, in mediis difficultatibus, & occupationibus domeſticis, iter Cracouiam arripuere, beneficium conceſſum obtenturi. Sed nec infirmis duobus, ſupra viginti, hæc gratia defuit; quibus charitas, & diligentia noſtrorum prouidit, ex quorum numero, nonnulli feliciſſime, paulo poſt è vita migrarunt, Certe in ſtudioſis noſtris magna hoc tempore mutatio

mutatio secuta est, in quibus apparuit ardor studiorũ inusitatus,& feruor in pietate colenda; plurimi enim die sancto parasceues,acriter sese flagellis in nostro templo diuerberarunt, quinque vel sex Religiosæ vitæ se addixerunt, & nonnulli Societatem nostram expetunt. Ab hæresi & schismate ad Ecclesiæ gremium, reuocati viginti tres. Catholici quindecim, qui addicti erant sacris schismaticorum, hortatu nostrorum,auitæ adhæserunt Religioni. Tres deuouerant se cacodæmoni, tum ob egestatem , tum ob scelerum enormitatem; tandem salutaribus preceptis instituti, & restituti pœnitentiæ. A turpi consuetudine viuendi, ad honestiorem adducti quadraginta. In viduitatis proposito & Virginali, iam iam quasi labascentes, conseruatę. Plurima restincta odia etiã inter coniuges. Restitutæ res quæ mala fide tenebantur. Superstitiones & veneficia, effectu sacramenti pœnitentiæ, & virtute agni cerei sublata. Non pauci aleis dediti,rapinis,blasphemiis,ad saniorem mentem reuocati. Tria paria redintegrarunt benedictionem matrimonij sui, apud Catholicum Parochum , postquam errabundi schismaticis valedixissent. Diebus quibus laborat sæculum omnis lasciuiæ licentia , quindecim fortunæ pinguioris, singulare pietatis,& virtutis specimen dedere,partim vindicando in se superioris vitæ facinora, ieiunia, & verbera diebus tredecim continuando; partim precibus vacando, quibus effecerunt, vt & vicini desisterent à compotationibus , & lautiorem tum temporis egenis stipem elargirentur. Experti quidam in morbo vim diuini Sacramenti, siue cum placidissime expirant, siue cum præter expectationẽ conualescunt. Duo quidam cum vehe-

menter abhorrerent à sacra synaxi, eamque ob rem cum proprio Parocho fœde decertarent, demum contempto Ecclesiæ præcepto, quod annuam Sacramentorum participationem præscribit, vxoribusque proiectis, hæretici facti, cum in quæuis scelera ruerent præcipites, dæmoni sese traderent, manusque violentas sibi inferre attentarent, Dei beneficio à nostris reuocati, ad saniorem mentem rediere. Tres militiæ dediti, quorum vnus propter diuturnam vim morbi surdaster à tribus annis, alter à decem, tertius vero hæresi infectus nunquam in vita confessus erat; pertæsi vitæ pristinæ ad sanctiorem se receperunt, elutisque animæ maculis, confessione, & lacrymis tranquillitatem conscientiæ inuenerunt. Rogatu vnius è nostris effectum est, vt, vbi magna commiseratione opus erat, ad septem, vel octo pupillos alendos, honestæ matronæ quatuor, vices matrum subirent. Quanta nostrorum, tempore sæuientis pestilentiæ, diligentia, & feruor in iuuandis pestifera lue infectis fuerit, inde facile colligi potest, quod exemplo nostro permoti sacerdotes paræciæ, ipsi quoque in mediis periculis æmulatione sancta ducti, opem adferrent desolatis. Quo tempore accidit, vt prope octodecim, ritę peccatis confessione purgatis, & aqua lustrali accepta, è mortis faucibus sint liberati. Reuerendissimus Episcopus Premisliensis opera nostrorum frequenter vtitur, nam & plerique Parochi ad nos iussu ipsius venerunt, ad vitæ totius sordes, per confessionem abstergendas, qua occasione nonnulli diligenter instructi, ad muneris sui functiones bene, & cum fructu obeundas: & ipse, cum aliquot loca visitaret, euocauit ad se quendam Patrem, à quo exhortationes habitæ & confessiones

nes exceptæ frequentes non fine fructu. Ceterum non defuerunt qui liberalitate pietatem, & beneuolentiam in nos suam testatam esse voluerunt: à duobus enim eximiæ nobilitatis viris, sexcentos florenos, sicut & ab aliis duobus, duo vasa vini accepimus. Virgo preterea nobilis centum florenos Collegio obtulit. Patres, qui hic tertium probationis annum fecerunt, egregiam in missionibus operam nauarunt, in excipiendis confessionibus vt plurimum generalibus, aut totius vitæ, aut multorum annorum. Persuasum est quibusdam, vt odiis & litibus vel omnino depositis, vel iudicis arbitrio commissis, præcepto Ecclesiæ sacro Paschatis tempore rite obediant. Maioris hebdomadæ duobus diebus, hortatu nostrorum ciues vnius oppidi, ex vno templo ad aliud procedentes, flagris in seipsos acerrime sæuierunt. Ducissa nostra partui proxima, monebatur à P. Rectore vt erga Beatum Kostka, vt pote sanguine sibi coniunctũ, magna ferretur Religione, memorque esset in partus difficultate auxilium ipsius expetere, & in periculo reliquias eius, cum fide & deuotione applicare. Quod accurate fecit, facilioreque negotio partum edidit quam putauit. Simile beneficium Reuerendissimus noster Premisliensis, in quodam casu expertus est, quod clarius ex ipsius testimonio, quod R. P. Prouinciali dedit, cognosci potest. Sic autem habet. Matthias Episcopus Premisliensis anno salutis 1603. die 30. mensis Iulij, Bzosouij subitaneo, & periculoso morbo correptus: cui cum nocte concubia, nullum interea humanum remedium occurreret, ad B. Stanislai Kostka patrocinium confugit, atque ita loco affecto particula tumbæ eiusdem, quam recens à Patre Christopho-

ro Angelo Rectore Collegij Iaroslauiensis acceperat, admotu subito, pristinæ sanitati se fuisse restitutum agnoscit; lubensque ac merito, pro gloria Omnipotentis Dei, & sancti Patroni sui honore, hoc interim debitæ pietatis & gratitudinis, sub chirographo suo, monimentum ad posteritatis memoriam transmittit.

COLLEGIVM
LVBLINENSE.

NOn defuerunt nostri iis, qui iustas ob causas Obuiam ad consequendum Iubilæum ire non poterant: confessiones eorundem totius vitæ excipiendo. Hæreticus Minister, nobiles Hæretici quatuor, ad fidem Catholicam redierunt; & alius quidam educatus in oppido hæresi infecto, eandem amplexus, item duæ Virgines Parentibus hæreticis natæ. Hoc anno mense Iunio in nostro Sacello, Metropolitanus Russorum Ecclesiæ Romanæ vnitorum, Liturgiam solenni pompa, ingenti hominum concursu & admiratione, vno ex nostris sacerdotibus concionante, peregit. Facta etiam hoc anno est quadraginta horarum oratio, pro auertenda anni siccitate & sterilitate. Ruthena quædam Schismatica grauiter decumbens, Ecclesiæ reconciliata, eodem die vitam finiit. Iuuenis quidam Arrianus rediit ad Ecclesiam, & quidam alter ad sectarios inclinatus, piis consiliis à suo proposito reuocatus est. Idem factum est cum quadam femina, quæ Caluiniana labe fuit infecta. In Nosocomio, nostrorum opera non defuit: euocantur eo nostri fere ad singulorum, qui
eo

eo recipiuntur, excipiendas confeſſiones. Scholarum noſtrarum ſtudioſi aliquot, variis Religioſorum familiis ſe adiunxerunt; ad noſtram quoque Societatem tres ſunt aſciti, nec deſunt aliqui, qui admitti deſiderant. Sunt in noſtris Scholis aliqui Schiſmaticis, Hæreticiſque parentibus nati, qui Sacramenta palam, ſemoto parentum timore, ſuſcipiunt, ſuiſque propinquis ad id ſunt incitamento. Quidam ſtudioſus germanam ſuam ad Sacramentorum participationem excitauit, breuique ea fratris exemplo facta Catholica, & confeſſa eſt ſua peccata, & ſacra communione refecta. Parthenici quoque exemplo ſuo, multos alliciunt tum ad ſui verberationem, quæ cum non mediocri concurſu fuit in hebdomada ſancta: tum ad alia pia ſtudia, videlicet viſitando Noſocomia, & eleemoſynas pro ſuis opibus largiendo. Ad conciones in noſtro templo habitas maximus fuit ſemper concurſus; pauperes in iis commendati, aliqui ex ijs ſunt veſtiti, infirmi lectis inſtructi; conſilio & opera noſtrorum non exiguus pauperum numerus alitur. Cum ex oblata occaſione concionator noſter, quodam tempore, contra dierum feſtorum violationem, vehementius in ſuggeſtu egiſſet, & pœnam diuinam ciuitati minatus fuiſſet; commi-nationem, ſub veſperum illius diei, atrox incendium iuxta ciuitatis mœnia conſecutum eſt; ex quo diuinitus ſeſe monitos à ſacerdote, non obſcure intellexerunt: didiceruntque hoc euentu, quod religiosè dies feſti à Chriſtianis ſint celebrandi. Frequens etiam eſt in hoc Collegio, vt ij qui inter ſe male conueniunt, noſtrorum opera, in pace ineunda, & amicitia reuocanda vtantur: vnde factum eſt, vt non raro ſit à noſtris hac in parte feliciter

liciter laboratum. Hoc anno factæ sunt duæ excursiones, ab vno è nostris sacerdotibus, ad quandam Magnificam viduam benefactricem Societatis, in vtraque excursione quotidianæ conciones, interdum binæ habitæ sunt: totius aulæ confessiones, in qua ducenti homines, & amplius numerantur, exceptæ: priuata consilia de rebus, ad perfectionem spiritualem pertinentibus, data: exemplo etiam in colloquiis spiritualibus, præsertim ad mensam, cum ipsi Magnificæ, tum vniuersæ domui ipsius non parua consolatio allata est, desideriumque nostros sæpius ad se euocandi excitatum. Excurrit alius è nostris Sacerdotibus, sub tempus Iubilæi, ad prædia Collegij, ad confessiones subditorum excipiendas; functus est suo officio cum multorum consolatione, & fructu spirituali; eorum etiam, qui ex vicinia concurrebant, maxime ex oppidis hæreticis, quæ sunt vicina prædiis Collegij. Excurrerat & alter, alio tempore, ad eadem loca, ad docendam doctrinam Christianam, excitati sunt animi omnium fere incolarum; multorum feruor apparuit, cum Patres & Matres suos, vel liberos, vel domesticos, ad sacerdotem per viam transeuntem portarent, & ducerent, vt modum, quo se gerere deberent, acciperent ab eodem: eosdemque recitantes Dominicam orationem corrigebant, hæsitantes animabant.

COLLE-

COLLEGIVM NIESVIEZIENSE.

VT agrorum non vberes fructus, hoc anno percepimus, propter æstatem feruidam, quæ sementes exussit; ita & animorum lucra, viciniis ob pestiferam luem imperuiis, exigua comparauimus. Princeps enim noster, vt ciuitatem suam, contra pestilentiam defenderet, vias ad confinia, duris custodiis intercluserat. Quæ inter propiora agendo effecimus, hæc pauca sunt. Nouem diuersorum statuum, atque hæresum homines Catholicam religionem susceperunt. Quinque Rutheni schismatici, sancto Apostolico imperio sunt adiuncti, sed in quibusdam hæreticis, maiorem diuinæ gratiæ efficacitatem agnouimus. Duo enim familia nobili, maritus & vxor, atrocium hæreticorum liberi, assueti iam inde à prima pueritia audire calumnias in Ecclesiam Romanam, fauere ministris hereticis, libros vetitos legere, fugere vel aspectum Societatis hominum, & obstrepere veritati; præter omnium expectationem, nostrorum colloquio, ad fidem Catholicam sunt conuersi. Ministros Euangelicos, tanquam impostores abegerunt. Libros perniciosos reiecerunt; delicta sunt confessi, diem suæ conuersionis, inuitatis aliquot vicinis Catholicis, religiose celebrarunt, denique ipsam domum in qua habitant, lustrali aqua, & sacris præcationibus fecerunt expiari. Diuelli certè à cognita veritate non poterant, nec suasionibus, nec irrisionibus agnatorum, qui pariter expertes Ecclesiæ, retro ad sectam Caluini reuocare

uocare

uocare illos obnixe conabantur: quin illi potius tam ingenuos se in præsentia declararunt Catholicos, vt cum de venditione simul cuiusdam ædificij ageretur, omnino illud ea solum de causa vendere vicino noluerint, quod in fanum hæreticum commutandum esse intellexerint. Altera femina plebeia, in Lutheri impietate obfirmata, nominis quoque nostri inimica, cum graui morbo afflictaretur, impulsu hospitæ suæ Catholicæ, Confessariũ à nobis vocari curauit. Adfuit extemplo confessarius; Sacramentis igitur ab illo intime recreata dixit magna fide: Nunc vere sum Christiana, nunc sincera sum filia Dei, deinde mox è vita discessit. Ex eadem Lutheri sentina ereptus alter, confiteri peccata studio sibi non habebat, donec morbo correptus, iubet protinus accersiri Confessarium, cui confessus totius vitæ noxias, non solum animo quietior, verum etiam corpore valentior esse cœpit: ac tandem perfecte conualuit.

COLLEGIVM POLOCENSE.

PESTE sæuiente, Nostri singulari Dei prouidentia illęsi conseruati sunt, licet vnus ex domestica familia, contagiosa labe extinctus sit. Ne autem infecti in ciuitate sine auxilio, & consolatione essent, duos sacerdotes, suo cuique adiuncto coadiutore, secerni opus fuit. Hanc igitur ob luem nulla fuit excursio, præterquam in prædia Collegij circa ferias Paschatis, in quibus supra centum triginta exhomologesi expiati sunt. Solita flagellationis exempla, in parthenicis sodalibus, desiderata non

non ſunt, qui ſuo feruore non Catholicos modo, ſed ſchiſmaticos etiam, vt ſibi idem apud nos facere liceret, ad rogandum incitarunt. Paſchalia feſta maiori ſolito populis concurſu, ſolemnitateq; peracta ſunt ſicut & celebritas corporis Christi. Datum eſt in ea populo & nobilitati frequenti, de panibus propoſitionis vernacula lingua Drammathon: vtrique feſtiuitati Rhuthenorum Antiſtes interfuit. Nec noſtri ſuo defuerunt officio. Nam paulo poſt in Ruthenorum proceſſione, P. Rector cum aliquot è noſtris, ipſum Epiſcopum ſubſecuti ſunt. Sic quibus modis poſſumus, Schiſmaticorum ab Eccleſia Catholica alienos deuincere conamur animos. Nec omnino irritus conatus noſter eſt, nã prȩter complures, qui ad nos Confeſſionis gratia ſæpe ventitant, vir quoque primarius ſub noſtra pompa Euchariſtica, ſanctam hanc, & optandam Grȩcæ Eccleſiȩ cum Romana concordiam & vnionem mirifice probauit, ſeſeque eandem amplecti, atq; tueri publicè atteſtatus eſt. Itaque cum apud noſtros diuino officio intereſſe poteſt, magna præſefert germanæ pietatis ſpecimina, Catholicorumque, contra Hæreticorum rabidas ſannas, eximius propugnator exiſtit. Hæc publica. Venio ad domeſtica. Supellex ſacra Eccleſiæ præclaris candelabris æneis, & duobus altaribus è Flandria allatis aucta eſt; quorum alterum Sanctæ Crucis, alterum, pro parthenicis, Annuntiationis Deiparȩ. Bibliothecæ quoque ſacrorum Doctorum acceſſerũt, florenis quingentis octoginta conſtitere. Ex tyrocinio fatis conceſſerunt Staniſlaus Aruiſtanſki & Stephanus Meglynouſki, coadiutores ambo, religioſa modeſtia ſpectati: ſed poſterior longè illuſtrior, qui cum ſuperioribus annis in nouo

templo

templo exornando suo artificio desudasset, templum pulchrius Deo omnipotenti extruere cupiens, in Societatem nostram admitti petijt, admissusque non minori studio spirituale ædificium decorauit; tantus enim & tam exactus peccatorum trutinator, tantus sui in omnibus contemptor, tantus obedientiæ obseruator, vt tyro etiam veteranis religiosę vitæ viuum existeret exemplar.

COLLEGIVM RIGENSE.

LVCTVOSVM hoc belli, pestis, famis, ceterarumque publicarum cladium, tempus, quę etiam in nostram domum ex parte redundarunt, præclaram nobis industrię, charitatis & patientiæ materiam, atque etiam de omnibus bene merendi occasionem, domi forisque præbuit. Nam quicquid assiduitate concionum domesticarum, apud Germanos, Polonos, Lothauosque profectum est, apud militares certe copias contra Suecum paratas, laboris nostri apparuit fructus. Miles enim regius, cui Sacerdos noster à concionibus fuit, audito hostis aduentu: nec equos conscensurum, nec arma sumpturum prius iureiurando quasi sese deuinxerat: quàm detersis animorum maculis, ac pondere coram sacerdote nostro deposito, Eucharistiæque Sacramento munitus, & sibi leuior securiorque, & hosti audacior videretur. Votis euentus respondit. Vix sacerdos rem diuinam peregerat, cum milites innixi genibus, demissisque in terram frontibus benedictionem excipientes, audito classico, equos ad prælilium

lium iam instructos insiliunt, inuocatoque IESV nomine, primi densam, hostium numero & apparatu maiorem, aciem hostis nullo negotio perrumpunt, viaque sibi patefacta, illæsi ipsi multos vulnerant, cædunt, fugientes ad octodecim milliaria, biduo integro insequuntur, ligant, plerosque captiuos abducunt. Quod si vrbs munitissima Reualium, in quam se hostis abdiderat, & paucitas nostrorum non obfuisset, ad internecionem omnis exercitus deletus fuisset. Post huius pugnæ laborem, & æstum, cum miles nullum frigus, quod tunc erat intensissimum, nullam famem, sitimque, nullam denique virium debilitatem, aut huiusmodi incommoda sensisse pugnando sese animaduertisset; soli Deo & Sacerdoti nostro, per quem expiati fuerunt, victoriam adscribebant; nunquam se deinceps, nisi expurgatis conscientijs, prælium commissuros elatis vocibus conclamantes. Vulneratis alijs, ægris, aut quos contagio, variique morbi in lectos, vel terram abiecerant, nullum officii genus abfuit; nulla studii, munerisque vicissitudo. Et quamuis hæ partes subleuandi afflictos, etiam Franciscanorum ordinis hominibus essent communes: non tamen illorum labor nostris, in magna hominum copia, pietatis minuit exercitationem. Itaque cursitando, interuolando bombardarum, tormentorumque globos, lanceas, variaque tormentorum genera cadentibus humi miserè, & sub dio iacentibus, aliis etiam expirantibus, succurrendum fuit, infirmis lecti sternendi, cibi afferendi, etiam emendicandi egentibus, Sacramenta administranda, denique mortui, pro statu & necessitate cuiusque, sepeliendi erant. Quæ omnia cum apud omnes

omnes omnium generum homines, magnum amorem & fauorem vniuersæ Societati conciliarunt: tum vero ipsos Duces miro nostri retinent desiderio. Non minus aliorum, per varia loca, ad supremam egestatem redactorum incolarum, tam corporum quam animorum salus, alteri Sacerdoti cum socio cura fuit. Pro ferijs quoque Paschæ, Ducum Curlandiæ soror à viginti sex milliaribus ad Collegium misit, Sacerdotem expetens (pia enim hæc femina, licet ordinariè duos sacerdotes sæculares in aula sua alat, nulli tamen præterquam nostris, animæ suæ maculas detegere solet) vnum impetrauit, qui in medio hæreticorum, vbi hactenus ab annis quadraginta, sacra Catholica nulla visa sunt, palam cæremonias ritu Catholico per festa Paschalia peregit, ipsam cum aula sua Sacramentis Ecclesiæ reficiens, admirantibus Hæreticis. Ab ipso etiam Duce perhumaniter, vna cum socio acceptus fuit, ad cuius preces paulo post, alij sacerdotes nostri duo, consiliorum quorundam causa, quæ à nostris Ducissa petiit, missi; non minorem ipsius, quam Principis humanitatem experti sunt. Nec Samogetica missio absque fructu fuit, in qua sacerdos noster per festa Natiuitatis Christi agens, partim catechisando populum, partim Sacramentis reficiendo, partim etiam ab infestante milite defendendo, magnum discedens sui desiderium reliquit. Variis etiam missionibus, præsertim ad prædia Collegij, deprædationes militum ansam dederunt, in quibus subditi partim defensi, partim etiam cibo refecti. Confessione sacra hoc anno, scelera sua expiarunt bis mille ducenti viginti & vnus. Inter quos prouectæ iam ætatis homines, tota vita sua
nunquam

nunquam antea confeſſi mille centum & ſeptem; ex his pane cæleſti refecti mille centum nonaginta vnus. Ad gremium Eccleſiæ reducti ex Luthera-na & Caluiniana hæreſi octoginta nouem, ex ſchiſmaticis duo, vacillans in fide confirmatus v-nus, luſtrali aqua variis locis abluti centum qua-tuordecim. Inter quos fuit Turca vnus & adulti pueri viginti, Matrimonij Sacramentum collatum paribus centum viginti nouem. Ex his paria duo ab Hæreticis copulata, benedictionem à noſtro Sacerdote denuo acceperunt. Ad concordiam re-ducti inter alios quam plurimos, etiam præcipui Nobiles duo. Hæretici duo ad mortem iam con-demnati, poſtquam confeſſione ſacra animas ex-piaſſent, ac Eccleſiæ Catholicæ nomen dediſſent, authore quodam ſacerdote noſtro, vita donati ſunt. Eadem gratia impetrata tribus aliis. Nobi-lis quidã, adeo à Societate noſtra alienus factus; vt coram alijs Nobilibus, iureiurando affirmaret, ſe nunquam noſtris confeſſurum: cui tamen quidam paulo poſt ex noſtris auctor extitit, non ſolum vt ipſemet noſtris confiteretur, ſed etiam alios exem-plo ſuo ad idem faciedum permoueret. Experti ſu-mus etiã hoc anno aliquoties, Proconſulis Rigen-ſis ac totius Senatus beneuolentiam, in mittendis munuſculis, tum in aduentu P. Viſitatoris, tum in ingreſſu noui ſuperioris, tum etiam alias, quæ qui-dem aliis viderentur exigua, hoc loco tamen ma-gna quia inſolita, & ab hominibus à Catholica re-ligione alieniſſimis. Eccleſia quoq; hoc anno non-nihil locupletata ex legatis piorum hominũ. Nam Nobilis quidam moriens calicem argenteum inau-ratum cum patena legauit. Matrona verò quædam nobilis florenos centum: vidua quædam ſine libe-

ris & heredibus vita fungens, Ecclesiam S. Iacobi heredem omnium bonorum mobilium constituit.

COLLEGIVM
DERPATENSE.

CIVITATE Derpatensi trigesimo, aut eo amplius mense, quam in hostium potestatem deuenerat, recepta: nostri quatuor eodem prorsus tempore reuersi, Collegium, Prædia, ac fundos, adnitente præcipuè Regij exercitus in Lithuania Ductore, viro Illustri Carolo Chotkeuicio, haud ægrè recuperarunt. Ceterum facies Collegij adeò deformata, vix vt agnosceretur. Nam præter templum, quod in suos vsus ciues hæretici conuerterant, & duo triáue cubicula vtcunque integra, nihil non conuulsum, confractum, exustum: non fenestris, ianuis, tabulatis, laquearibus, tecto ipsi, implacabile scilicet in Iesuitas odium, & effrenata militum pepercit licentia. Accedit his, & nescio an non grauissimum, maxima videlicet cadauerum intra Collegij ambitum multitudo, (supra tria millia feruntur fuisse) quæ æstiuis resoluta caloribus, incredibile est quanta mephiti atque peste, totum circum circa complerent aërem. Nam cum hostilem exercitum intra mænià conclusum, grauis per hyemem vrgeret lues: plerique ea correpti, in Collegium, tanquam publicum valetudinarium amandabantur: vbi cum plures vis morbi, atque inedia in singulos dies conficeret, vulgo in cellaria, angulos, aut humiles fossas, magno numero coniiciebantur. Inuenta adhuc à nostris insepulta, & tabe fluentia, quadraginta duo

ca-

cadauera, in his vnius Sueci, qui sibi è demortui sodalis cadauere, horribili, haud tamen his locis atque temporibus nouo exemplo, infelicem parabat escam. Atque hæc quidem in Collegio. Nihilo melior aliorum ædificiorum, quæ tum in suburbano agro Collegij, tum in aliis prædiis nostrorum vsibus excitata fuerant, conditio; omnia vorax flamma, & manus hostilis adeo depopulata est, vt suburbani prædij ne vestigia quidem appareant. Nec vero in tecta solum prædiorum, sed in corpora etiam miserorum subditorum peracerbe sæuitum; id adeo vel hinc conijcere est, quod è quingentis colonis vix supersint viginti, ijdemque inedia pænè confecti, ac rerum omnium egentissimi. Quare vt verbo dicam, præter templa suis spoliata ornamentis, agros cultoribus desertos, semirutos Collegij muros, nihil admodum repertum. Nihilo secius nostri in his rerum angustiis, Collegio vtcunque purgato, strenue sese ad munera Societatis obeunda retulerūt, & præcipuam quidem eorum industriæ partem tulit miles Polonus, cuius beneficio & liberalitate hactenus sunt sustentati: illi itaque domi & foris, qua concionibus, qua Sacramentis diligenter exculti; discordiæ, odia, simultates positæ, vagæ libidines coercitæ, iurandi, potandi & aliæ idgenus prauæ consuetudines repressæ. Quibus in studiis, & christianæ charitatis officiis dū occupantur, ad cumulum malorum accessit pestilentia, quæ maiorem etiam, de salute proximorum bene merendi, suppeditauit occasionem. Freti igitur diuina prouidentia, & salutis animarum ardore succensi, omnibus se periculis obiicere, contactos adire, animos eorum expiare, sacro viatico instruere, re,

ſtipe, conſilio iuuare, cunctis ſaluti eſſe: nec caruit res admiratione, quod in media flamma nemo eorum eſſet afflatus. Penetrauit quidem aliunde tamen contagio in Collegium, & præter aliquot è familia ruſticanos homines, fratrem etiam vnũ, Stephanum Braun rerum temporalium adiutorem abſtulit, virum ſingulari prorſus probitate, & de hoc Collegio, in quo ſuperiorum omnium commendatione à viginti annis verſatus fuerat, optime meritum. Nam & regionis linguam, mores gentis probe nouerat, & in re familiari procuranda atque adminiſtranda, ita ſedulus, induſtrius, vtilis partibus his fuerat, vt ſimilem ei in tota Prouincia non inueniamus. Cæterum ex omni officiorum genere, quæ per hoc tempus geſta ſunt, hæc in particulari annotauimus. Bis mille quadringentæ quinquaginta confeſſiones exceptæ, in his à primis annis, repetitæ fuerunt ſexcentæ octuaginta. Ad vnionem Eccleſiæ Catholicæ aggregati Hæretici quadraginta, ſeptem Moſci, ſchiſmatici triginta & ſeptem. Matrimonium ritè inierunt centum & quinquaginta quinque, ex quibus non pauci vixerant in concubinatu; ſacro Baptiſmatis fonte abluti infantes ſex ſupra centum.

RESIDENTIA
GEDANENSIS.

IN Reſidentia Gedanenſi perſonæ ſunt quinque, ex quibus Sacerdotes quatuor, & vnus frater. Ad Eccleſiam acceſſerunt circiter quadraginta, inter quos, ex primariis, aliqui multi frigidi Catholici ſunt ad feruorem reuocati, multi

nutantes

nutantes confirmati. Introductus frequens vsus Sacramentorum. Exercitationibus spiritualibus operam dederunt duo viri primarij, non sine fructu. Habent quoque nostri accessum ad primarios Ciuitatis huius viros, ex quibus alij, cum pessimè essent instructi de Societate nostra, nunc saniora cogitant, adeò vt vnus, apud quem fere summa rerum est, ab vno nostrorum Regulas instituti nostri ad perlegendum desiderarit. Ista vero familiaritas effecit vt ciues præcipui, qui primo nostros subterfugiebant, iam honori sibi ducant, si quando à nostris conueniuntur. Nec tacendum de pręclaro affectu iuuentutis, quæ alias Gedani insignis erat, in nostros. Pauci sunt ex iisdem, qui non optant, vt quam primum aperiantur scholæ: & quidem si per parentes liceret, quidam eorum non solum ad scholas, sed etiam ad fidem Catholicam confugerent. Contigit autem vt iuuenis ex primariis vnus, animo Catholicus, sed ignotus, ad cænam Caluinianam à suis inuitaretur. Is, ne palam fieret quod animo gerebat, promisit se obsequuturum; altero die, cum tempus instaret sumendi panem illum prophanum, morbum simulauit: amici occupati circa morbum, obliti sunt cænæ, atque sic iuuenis euasit. Fauorem insuper non mediocrem conciliauit, quod vnus è nostris grauissimas inimicitias toti vrbi cognitas, quæ intercedebant inter Patrem & filiam Lutheranos, composuit. Qua in re magis diuina bonitas laudanda, quod quamuis viri consulares, & ipsi verbi (vt aiunt) Ministri, vno ferme anno in hoc negotio laborassent frustra, tamen Societati nostræ tanquam his subsidiis egenti, laborem hunc tam fructuosum, cum dolore aduersariorum reseruarit.

Eſt & hoc conſolationi, quod hoc anno quinqne circiter Catholici, in ciuium numerum cooptati fuerunt; ſperamus quotannis plures, ac plures adiiciendos eſſe numero ciuium, quæ res, ſi nihil mali interuenerit, temporis decurſu Rei Chriſtianæ profutura eſt. Superioribus annis ſic inuiſi fuerē noſtri, vt tranſeuntibus per plateas hę & illę inſulſę acclamationes obtruderentur; iam Dei gratia, ab his ceſſatum eſt, & ſucceſſere ſalutationes amicæ, quæ interdum etiam à conſularibus viris fiunt, ſi quo caſu, nos obuios habēt. In ſacello paruo hucuſque à noſtris habita fuit concio, cuius anguſtiis multi excluduntur; eſtque ſpes concurſum multo maiorem futurum, vbi ſpatia dilatata fuerint, ad quod non modicum conferet diſſidium, quod hoc tempore, ſolito grauius, exortum inter Caluinianos & Confeſſioniſtas, vehementer graſſatur.

RESIDENTIA
TORVNIENSIS.

COMMORATI ſunt hoc anno 1603. in Torunienſi Reſidentia ſeptem è noſtris, quatuor ſacerdotes, coadiutores verò tres. Conciones antemeridianæ diebus feſtis, ac Dominicis, more ſolito habitæ ſunt binæ in Parochiali templo, nobis ante paucos annos, à S. R. Maieſtate attributo; Polonica videlicet vna, Germanica altera. Tertia itidem pomeridiana Polonica ibidem, auditorio ſi non tam nobili, ſaltem non infrequenti, licet quidam eorum non rarò ab Hæreticis prohibeantur ab eis, quidam vero etiam ideo vapulent, variaque ſcommata in nos audire cogantur. Con-

fessionibus excipiendis duo ex nostris sacerdotibus ordinariè vacant, diebus tamen solennioribus nec plures quidem sufficiunt, licet apud Dominicanos Patres non pauci etiam confiteri soleant. Spiritualibus exercitiis exculti tres sacerdotes externi, qui postea alacriores ad sua munia redierunt. Ex his fuit vnus Prælatus celebraturus primitias suas, quas etiam in ipsis Exercitiis absoluere voluit. Duæ quoque religiosorum familiæ, suis confessionibus excipiendis, nostrorum opera vti voluerunt, eo tempore quo Iubilæus à sanctissimo D. N. huic regno, ad petitionem & instantiam Serenissimi Regis, datus atque concessus est. Ab Hæresi absoluti nouem. Plures, aliquot annis intermissa, pœnitentię & Eucharistiæ Sacramenta repetierunt. Alij peccata longo tempore celata, tandem detexerunt. Frequens est Nobilium Virorum, & Matronarum concursus ad hãc ciuitatem, quorum præsentia non parum tuetur, & promouet, atque confortat, Catholicos in sua Religione. Supplicationes publicæ, non tantum diebus, quos vocant Rogationum, sed & ipso festo die Corporis Christi sacro, per varias huius vrbis plateas, atque adeo per ipsum forum, habitæ sunt, magno Catholicorum, etiam externorum concursu atque frequentia; sicut & ipso Parasceues die, ex templo S. Spiritus ad Parochiam, habita prius, & ibidem altera concione, à nostro quodam Patre de Passione Domini. Quas quia quidam Hæreticorum irriserunt, & despexerunt, ac calumniati sunt, notati sunt eo ipso anno mirabiliter extincti à Deo. Vna Nobilis Matrona, ad declarandum suum in nos animum, preter alia, centum florenos pro eleemosyna ad domum nostram misit; alia verò nongen-

tos. Reuerendissimus noster Episcopus Culmensis huc vsque propensam nobis voluntatem suam ostendit atque declarat.

RESIDENTIA.
LEOPOLIENSIS.

OCTODECIM propè sunt anni, quod in hac vrbe Russiæ primaria, Societas Residentiam suam fixit, fructu semper non mediocri, neque tamen hactenus, quod maximè in votis erat, & miris modis tentatum est, Collegio extruendo idoneum locum habere potuit. Obstabant Ciuitatis angustiæ, & ipse in primis Magistratus varias subinde nectens difficultates, rem in hanc vsque diem extraxit. Ceterum annus modernus tandem fauente Deo, ad Scholas aperiendas commodam satis aperuit viam. Indagatum est piorum diligentia, Iudæos quosdam è suburbio intra mænia, conniuente Magistratu, admissos, areas nonnullas, quæ omnino in potestate, & arbitrio Regio erant, præter ius & fas, data pecunia occupasse. Visum est itaque Serenissimo Regi, suggerentibus nostris amicis, fundos hosce impijs vsibus perperam destinatos, à malæ fidei possessoribus auferre, & nostro Collegio assignare. Lecti sunt qui negotium hoc Regis nomine diligenter vrgerét, viri è Senatu & Nobilitate Polona primarij quinque. Sed cum ceteri varijs de causis commode adesse non possent: ad duos tantum res tota deuenit, nempe Magnificum D. Adamum Stadnicki Castellanum Præmiliensem, insignem Societatis fautorem; & Magnificum D. Stanislaum

fratrem

fratrem ſuum germanum, qui pro ſuo eximio in rem Catholicam ſtudio, fundator eſt præcipuus futuri Collegij Leopolienſis. Horũ quę fuerit in cauſa ſua propugnanda virtus & conſtantia, ſatis liquet ex ijs difficultatibus, quas, authore Deo, maximas ſuperarunt. In primis enim ipſi, grandi ære tentati ſunt, vt ſaltem aliquid de rigore remitterent, & paulò mollius agendo, rem in vlterius tempus extrahi ſinerent. Id vbi nihil profeciſſet: ijſdem machinis auri Iudaici, & falſis criminationibus quaqua verſus ſparſis, facile impulſa eſt Nobilitas pænè vniuerſa (& quæ tum ob ſolennia Iudicia Leopolim confluxerat) impulſi & magni nominis non pauci Senatores, authoritatem ſuam opponere, denunciare pericula, appellare Comitia, ipſum Regem Sereniſſimum per litteras, & internuncios ſollicitare; & nihil non agere, quo Patroni noſtri fracti animo, ab incœpto deſiſterent. Sed precipue fremebat ipſa Ciuitas, Optimates ſuos Iudaicæ cauſæ addictiſſimos ſecuta, & inuidiosè queritabatur, iura Ciuitatis violari, incolas eius fortunis exui, ſedibus pelli, Magiſtratum arearum venditorem, ad præſtanda omnia damna, & impenſas Iudæis refundendas, per Societatem impelli. Tenuit hæc procella vnum atque alterum diem. Res erat prima fronte plena periculi, & inuidiæ, nihil conſultius videbatur quam cedere tempori, & cauſam, quantumuis Religioſam, aliquantum intermittere. Abierat tum è vita Ioannes Demetrius Solikowski Archiepiſcopus, & Ciuitas ſucceſſore carebat, qui vtique, pro ſuo officio, Rei Chriſtianæ aliquod momentum afferre potuiſſet. In Prælatis nil erat pręſidij: nonnulli potius ardens hoc piorum ſtudium impedire

re

re voluiſſe videbantur. Soli noſtri Patroni, negotij huiuſce cognitores, Diuina in primis ope, & Regia authoritate fulti, partes ſibi commiſſas agere, & è iuris legumque perſcripto fortiter cauſam proſequi non deſtiterunt. Sed vbi in rem pręſentem ventum eſt, & cauſa diſceptari debuit: in tanta Cauſidicorum copia, ne vnum quidem aduocatum precio nobis comparare poteramus; omnes, auro ſuadente, vel à Iudæis aperte ſtare, vel ſilere in animum induxerunt. Productus eſt itaque ſubitariè, qui fortuitoſe obtulit, famulus Magnifici D. Caſtellani Præmiſlienſis, cauſarum vtique non periti ſſimus, & minime diſertus. Hoc actore placuit Deo præpotenti, vt Religio, contra tot graues æmulos, & infinitam largitionem Iudaicam, victrix euaderet. Aderat præſto ſubornata Nobilitas, quæ tumultuando minaciter obſtreperet: ſed ea confutata, & reiecta eſt animoſiſſimè, lataque ſecundū nos ſententia. A qua cum pars aduerſa ad Comitia prouocaſſet, non eſt permiſſum, ſed ad Tribunal Regium Craconiam, è more maiorum ablegati ſumus. Ibi vero poſt multas ambages, & artes ab aduerſariis fruſtra tentatas, denuo à Sereniſſimo Rege arbitri ęque Illuſtres, & Senatorij viri lecti ſunt, qui areas in primis Collegio idoneas dimetiantur, ędium in eis ſitarum precia ſtatuant, & Regię voluntati totius huius actionis decretoriam ſententiam relinquant. Atque ita hic annus nobis abijt. Non indormiunt quidem etiamnum cauſę ſuę aduerſarij, neque ceſſant ijſdem artificijs iuſtam cauſam reddere deteriorem: nos tamen pleni ſpe ſumus, in ſequente anno litem hanc ſecundū nos æſtimatum iri, & Sereniſſimum Regem, donationem ſuam, verbo Regio ſemel aſſertam, approbatu-

probaturum. Cui nos in primis post Deum, id acceptum ferre debebimus, quod post tam longam, & obstinatam repulsam, tandem aliquando Societas pleno iure, in Ciuitatis huius gremium recipietur. Debebimus etiam eo nomine plurimum Magnificis D. D. Stadnicijs, qui heroico planè animo, in causæ huius cognitionem incubuerunt, nec vllis præpotentum aduersariorum denunciationibus, de gradu constantię se deijci passi sunt. Et non paruo sterit illis hæc opera, Christo, & Religioni nauata, quandoquidē egregiè instructo comitatu, tot equitum, & peditum stipati centuriis, Leopoli semel, atque iterum præsto fuerunt, vt & vim ęmulam frangerent, & securius, maioreque cum libertate causam delegatam prosequerentur. Interea tamen adeo intactum à corruptela gessere animum, quod neque triginta millibus aureorum solicitati, fauoris aliquantum perfidę genti vendere dignati sint, sed quanti quanti erant, totos Rei Christianæ se deuouerunt. Digni profecto, vt hęc eorum singularis, & constans in religione propaganda, fides & pietas æterna memoria celebretur. Neque vero mirum cuiquam videri debet, quod tantæ molis, & plena offensionum sit res, intra huius vrbis munitionem scholas inducere. Nam prærerquam quod locus ipse angusto murorum, & valli ambitu cinctus est: fortasse iuratus humanę salutis hostis, præscius bonorum, quæ ad salutem communem inde emanare possunt, longè pertinacius quam alia, hoc pium studium, per suos emissarios impugnare conatus est. Idem conati sunt Magistratus, & Primores Ciuitatis, Academiæ Cracouiensi altrici suę, plus æquo addicti, & ad eius honorem tuendum

dum iureiurando adacti. Cui nulla re magis offici posse, vulgo sibi persuadent, quam Scholis nostris Leopoli excitatis. Accedunt crebra Nobilium iurgia, & militares tumultus, quibus sæpè turbata Ciuitas, Scholasticos etiam frustra subueretur; ignara, quid inter audaciæ proiectæ homines, omni disciplina solutos, & iuuentutem sanctis, seuerisque legibus adstrictam intersit. Ad extremum Iudæos ipsos à nobis lacessitos, propter innatum odium in Religionem, simul pudor cedendi, & metus amittendi tam commodas sedes, facile perpulit, vt totius suæ gentis, & prouinciæ viribus ac opibus, quæstuosa domicilia defenderent, & prope centum aureorum millia, patrocinia mercando prodigerent. Ciuitas enim hæc, cœlo salubri, solo vbere, loco oportuno sita, & vndique contra Barbarorum incursiones egregiè munita, omnes ad se opulentos institores inuitat; Vnde Turcarum, Armenorum, Græcorum, & aliorum conuenarum commertijs frequens, celeberrimum Poloniæ habetur emporium. Huc præterea Nobilitas Polonica & Russica confluit, hic inter Magnates, & varios ordines ortæ controuersiæ componi solent; hic ex iure disceptari; hic miles conscribi, & expediri ad bellum; hic stipendio numerato dimitti. Itaque his & aliis de causis, Societati latus semper patuit campus Hæresim, Schismata, prauos mores extirpandi: patebitque deinceps latiori, quando iam non inquilinorum more in alienis templis, sed in suis pleno iure sedibus, pro suo instituto nostri proximorum saluti dabunt operam. Nunc paucis percurram quæ hoc anno à quinque, vel sex sacerdotibus facta sunt. Totius vitæ criminibus absoluti vltra quadringentos, pa-

cem

cem internam, quam ob assidua conscientiæ tormina funditus amiserant, & præsentem opem contra inueteratam peccandi consuetudinem, assecuti sunt; aliqui religiosæ vitæ se deuouerunt. Hæresim & Schismata eiurarunt triginta. Facinorosi aliquot non obscuræ sortis, qui obstinati sine salutis remedio mori decreuerant, & cum vita simul salutis iacturam facere, adducti sunt ad cruciatus libenter subeundos, & vitæ labes lachrymis deflendas, Vnus quadraginta insontum hominum cæde contaminatus, ab immani desperatione, ad infinitam Dei misericordiam, vno è nostris suasore, plenus fiducia se recepit. Duo spectris nocturnis exagitati, senserunt quò terror ille à Deo præmissus eos inuitaret. Itaque postridie alter errata sua, alter cum erratis hæresim simul, magno sensu doloris, apud sacerdotem detestatus est, & quietem optatam assecutus. Miles Nobilis eximia corporis, & animi indole, inuitatus à Patre, promiserat se die quodam solenni, peccata sua apud eum expiaturum, sed cum interuentu sodaliũ, abiecta confitendi cogitatione, in peruigilio eius festi commessationi liberius indulsisset: noctu nescio quo æstro percitus; & alienatus à mente, proripuit se ad fenestram, & ex altiori pergula pręcipitem se dedit in viam, lapide stratam, frustra famulo casum, & impetum illum impediente. In quo pręcipitio plane miraculosè seruatus, ingens Dei erga se beneficium supplex agnouit, & votis Deo nuncupatis noxas aperuit, palam contestans, ob dilatam salutarem expiationem, præsens illud salutis discrimen se adiisse. Cum sæuiret in vrbe pestilentia, & quisque Prælatorum sibi consuleret, nostris aliena salus, quam vita fuit antiquior.

Habitæ

Habitæ ſunt conciones, datæ aures infectis, adiuti fame extrema laborantes, & apparuit Diuina erga eos tutela, nemine contagione illa ſublato. Iubilæum ex vrbe allatum Cracouiam primò, deinde Leopolim, auxit laborem confeſſionum, quibus continuo ab initio Quadrageſimæ, ad ipſas vſque ferias Corporis Domini, vacatum eſt. Moribundis, & ſupplicio extremo plectendis, præcipua cura impenſa eſt. Maxime verò in Illuſtriſſimum Ioannem Demetrium Sokkowſki, pro eius paterno in Societatem animo, grati eſſe ſtuduimus, cui & cum valeret, & cum ultimum ægrotaret, vnus è noſtris à concionibus & Confeſſionibus fuit. Denique ſublatum eſt atrox duellum, quod Magnates quidam, maxime hoſtili & pertinaci animo, vrgebant inter ſe, quodque non dubiè multam ſtragem dediſſet, & veluti ruina multos, qui in partibus erant, oppreſſiſſet. Cetera, quæ in excurſionibus, in doctrina Chriſtiana tradenda, carceribus & hoſpitalibus crebro viſitandis, adiuuandis pauperibus facta ſunt, vt peruulgata omittuntur.

DOMVS PROBATIONIS CRACOVIENSIS.

SVMVS in hac domo quinquaginta duo Veterani, Sacerdotes quinque, Coadiutores ſex, Nouitij ſunt triginta tres Scholaſtici, Coadiutores octo. Admiſſi hoc anno ad probationem Scholaſtici ſexdecim, Coadiutores ſex, Vnius Nouitij probata diutius fuit valetudo, qui poſt tres

quatuorue

quatuorue menses, quibus ob capitis doloré fere continuum, & oculi ex eo suffusionem, multas ad leuandum morbum, sed frustra adhibuit medicinas; tandem cum ne dimittendus esset timeretur, Christi beneficio, atque B. Stanislai Kostka, cui se impensius commendabat, patrocinio leuatus ex ipso est, magna animi sui voluptate, sponte erumpente per os & nares apostemate horrido, quod tamdiu in capite habebat. Quidam non ignoræ famæ adolescens, cum prius in Collegio nostro Calissiensi, aliquot studuisset annis, Philosophiæque curriculum non sine laude emensus fuisset, missus Cracouiam à parente vt continuaret studia, magno animi desiderio, pluribus iam annis expetitam Societatem nostram, repugnante frustra parente, ingressus est. Accepto hoc nuncio parens, sicut minaces ad nos propterea dedit literas, declarans se fore nobis capitalem semper inimicum: ita etiam grauiores ad ipsum scripsit filium, & teneriorem illius ætatem, & iucundum nec dum maturum obijciens; in ipsoque vno, spes fuisse suas ac totius familiæ suæ euehendæ collocatas asserens, minis etiam appositis, ni suæ pareret voluntati. Verum nihil ille his animo consternatus, ad hasce voces firmus in sua vocatione permansit, mollique sermone, quem talibus respondens literis adhibuit, ita perfregit parentis animum, vt mitiores ad eum deinde dederit literas. Tres Nouitii è peregrinatione quadam reuertentes, forte in quodam oppido inciderunt in temulentum quendam Nobilem, qui equo insidens, atque huc illucque cursitans, bombardam sępius in eos dirigebat, minacibusque & iniuriosis appetebat verbis, dumque paululum declinassent ad hospitale

le quod erat vicinum noſtri, ille poſtquam ſatis in nomen noſtrum debacchatus fuiſſet, teribili caſu ex equo delapſus, notabile valetudinis ſuę detrimentum quaſi in pœnã ſui facti accepit. Exercitia ſpiritualia domi noſtrę fecerunt non pauci ſacerdotes externi. Ad eadem miſerat Reuerendiſſimus Cracouienſis Monachum Ciſtercienſis ordinis, nõ ineruditum, quem è Galliis ſecum duxerat, cupiens vt concepto in Exercitiis ſpiritu, Monaſteria ſui ordinis quæ ſunt in Polonia reformaret. Eadem quidam vir Nobilis, cupiens de ſtatu vitę ſuæ aliquid certi ſtatuere, non niſi vna hebdomada continuauit. Nam quando ad electionem ventum fuit, propter famulos in ciuitate periculoſe vulneratos, egredi debuit: ipſe nihilominus nõ multo poſt ad Patrum Franciſcanorum Religionem ſe contulit. Nec defuere qui noſtrorum vſi ſunt opera, neceſſitatis tempore, in abſolutione percipienda. Quidam vir Nobilis à medicis deſperatus, poſtquam eo inductus fuiſſet vt Confeſſionem faceret, illa peracta melius habere cœpit, & omnium ſpe citius conualuit. Ciuis alter cum grauiter infirmus ad idẽ non poſſet induci à multis, poſtea vni è noſtris confeſſus eſt pleniſſimè, & non multo poſt oſtenſis contritionis ſuę ſignis, piè admodum mortuus eſt. Duo reliquiaria inaurata vtrinque ad Altare ſacelli noſtri ſunt collocata, variiſque SS. Reliquijs inſtructa. Subleuauerunt inopiam huius domus nonnulli ſubinde amici, miſſis aliquando eleemoſynis partim in pecunia, partim in rebus alijs.

RESIDENTIA SANDOMIRIENSIS.

NOVA ista plantatio nondum eas egit radices, vt in altum excrescere potuerit, ideo paucis describam, quæ pro annuis scribi solent. Mansimus hic maiore parte anni Sacerdotes tres, vnus temporalis Coadiutor; sub finem Quadragesimæ propter confitentium multitudinem, ex Collegio Iaroslauiensi, duo sacerdotes vocati, ad nos iuuandos venerunt. Est is situs Ciuitatis huius, vt ex multis locis, vbi degit Societas, si migrare contingat nostros, per eam oporteat transire. Nostri hic manentes præcipuè occupantur concionando, & Confessiones excipiendo, in Parochiali Ecclesia quæ est Collegio vnita; quamuis ex occasionibus festorum, ad aliquas alias huius Ciuitatis vocantur & ad villas vicinas, & ad funebres conciones. Ad confessiones certis præcipuis festis, fit non paruus concursus, pro numero nostrorum Sacerdotum & externorum, qui sunt in eadem Ecclesia cum Parocho. Non intermittitur etiam visitatio hospitalis. Curatum est vt quidam dissidentes inirent concordiam amicam, præcipuè tamen maritus cum Vxore, quæ cum adultero ab ipso discesserat, & Nobilis quidam, qui grauiter ciuem quendam vulneribus affecerat. Occasione Iubilæi communicati Ecclesiæ Cracouiensi, & ab Episcopo Cracouiensi, in hac ciuitate, & circa eam ne Cracouiam irent, impeditis; multæ confessiones generales exceptæ, repetitę item multæ ob defectus commissos. Vnus Iudęus, cum vxore & quinque libe-

ris baptiſatus, cuius vxor primo cum filiola, animum & deſiderium Catholicis declarauit, & ad Chriſtianos profugit; quã maritus cum duobus ſecutus eſt Iudęis, duobus adhuc filijs relictis penes auiam Iudęam. Iudæi vero ſtatim ablegarunt duos iſtos ad quoddam oppidum, ſed Magnifici Domini Capitanei autoritate, parentibus tradere illos ſunt coacti. Doctrina Chriſtiana Dominicis diebus à prandio, cœpta eſt doceri paruo adhuc concurſu. Et ciues & Nobiles ſunt nobis optimè affecti, maximè propter ſcholas, quarum maximo deſiderio tenentur, vt cito poſſint haberi. Neque vero deſunt, vt vbique, contradictiones. Magnificus Fundator in dies animatur, vt & continuet opus inchoatum, & perficiat. Tradidit iam nobis villam, à ſe pro dotatione Collegij futuri emptam, gubernandam. Iam & templum à Sereniſſimo Rege, & loci Ordinario, Parocho id optante, priuilegio eſt traditum, in quo & vſum Cathedræ concionatoriæ habemus. Quidam Nobilis famulus Magnifici moriturus, teſtamento legauit nobis domum ſuam, & alia quædam, pro vſu fabricę futurę, quę poſt obitum eius recepimus. Non deſunt hoc initio Eleemoſynæ, etſi paruæ; & in ſuppellectili templi, pro vſu noſtro donata ſunt, quæ florenis centum non compararentur. Fundator ad florenos trecentos in argento, & materia pro caſulis dedit.

FINIS.

IN literis annuis Societatis IESV, quas typis suis exprimit Kellami Vidua, annorum videlicet 1603. 1604. & 1605. quasque diligenter perlectas nouimus, nihil omnino continetur, quod vel Catholicæ fidei contrarium sit, vel bonis moribus aduersetur. In quorum fidem subscripsimus die primo Maij. M. DC. XIIX.

FLORENTIVS A MONTMORENCY
Rector Collegij.

RICHARDVS GIBBONVS
Theologorum Præfectus.

Horum iudicio lubens subscripsi, & has epistolas prælo dignas censui. Actum Duaci Calendis Maij 1618.

GEORGIVS COLVENERIVS
S.Theol.Doctor & Professor, & in Academia Duacena librorum Censor.

